This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY

ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS.

BENEDICTUS PICTETUS

Ecclesiastes et Theologus

Genevensis. Ætatis LIIIo. 1707.

THEOLOGIA

CHRISTIANA

BENEDICTI PICTETI,

In Ecclesiâ et Academiâ Genevensi Pastoris
et S. S. Theologiæ Professoris,

EX PURIS S. S. LITERARUM FONTIBUS HAUSTA.

Editio Quarta, ab Editore, Gulielmo Vint,

RECOGNITA ET EMENDATA.

BRADFORD IN COM. EBOR.

Typis T. Inkersley:

PROSTAT

APUD R. BAYNES, LONDINI; WAUGH ET INNES, EDINBURGI,
ET M. OGLE, GLASGUÆ.

1820.

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
525146
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS.
R 1911 L

MAGNIFICIS ET AMPLISSIMIS

REIPUBLICÆ GENEVENSIS

PROCERIBUS,

D. D. CONSULIBUS,

PRÆTORI URBANO, EX-CONSULIBUS,

Senatoribus

NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS,

INTEGERRIMIS

PATRIBUS CONSCRIPTIS,

CONSTANTEM AC PERENNATURAM FELICITATEM PRECATUR

BENEDICTUS PICTETUS.

ACCEDO ad vos, AMPLISSIMI PROCERES, cum exiguo munere, sed tamen sacro. Nec quispiam, ut opinor, mirabitur, sub Vestris auspiciis prodire opusculum, quod vobis impræsentiarum offerre audeo. Non alterius juris sine quodam flagitio fieri poterat, et multa Augustum vestrum Nomen præscribendi, ac illustre patrocinium ambiendi gratissimam imponunt necessitatem. Hoc debebam, ut hujus urbis civis, et ut Academiæ alumnus, vobis PATRIÆ PATRIBUS, qui

ad Reipublicæ nostræ clavum sedetis, et Academiæ Patronis, Statoribus, ac Mœcenatibus. Hoc debebam, ut patricius, Senatui inclyto, in quo tot mihi sanguine, et affinitatis vinculis conjunctos video, et cujus non ita pridem aliqua pars fuit desideratissimus dulcissimæ memoriæ Parens, quem non semel Consulem et Prætorem urbanum vidit hæc Civitas, post suos majores. Ad hoc insuper impellebant sexcenta, quibus me immerentem mactastis, beneficia, dum me ad prima Ecclesiæ et Academiæ vocastis munia, ac me hanc cathedram conscendere voluistis, quam occuparant, (Proh Deum immortalem! Quanti viri!) CALVINUS, BEZA, FAYUS, DANÆUS, DEODATUS, TRONCHINUS, SPANHEMIUS, MORUS, LEGERUS, MESTREZATUS, uterque TURRETINUS, alter AVUS, alter AVUNCULUS, benedictæ mihi et omnibus bonis memoriæ, ne conjunctissimorum, et venerandorum Collegarum nomina referam, qui sui nominis famâ, et eruditione summâ Academiam nostram illustrant. Rursus par erat, ut quam in Athenæo nostro, pro munere demandato, Theologiam docui et doceo, vestris subjicerem oculis. Vestrûm enim est nosse, quid intra Academiæ nostræ cancellos geratur, ne hæreses, atque errores, sub quorum numero quasi totus fatiscit orbis Christianus, in hanc Ecclesiam irrepant. Ad illam enim, proh dolor, servati fuimus ætatem, quâ colluvies emersit Atheorum, aliorumque, qui partim occultis cuniculis Religionis omnis fundamenta convellunt, partim aperto Marte Evangelium impugnant, unde si adhuc viveret Polycarpus, dubio procul exclamaret ingemiscens, ut olim; "O Deus, ad quæ nos reservasti tempora!"

Equidem novi, sapienter instituisse Deum, ne thuribulum Principes capesserent, et hæc duo distincta esse voluisse, Imperium et Sacerdotium, sceptrum et pedum; at non ita hæc munia divisit rerum Arbiter, ut planè Ecclesiam et Religionem Principum ac Magistratuum curis ac solicitudini exemerit; imò jussit utriusque tabulæ esse custodes viros Principes et Rerumpublicarum Proceres, ac sedulò invigilare vult eos Deus, ut constet sua religioni sanctitas, sua doctrinæ ab Apostolis acceptæ integritas, suum pietati præmium, et ut Christi regni fines amplientur; quod probè intellexerunt Constantinus, Gratianus, Theodosius, pluresque felicis recordationis Principes, ac majores vestri, ne ad regni Judaici tempora assurgam.

Hæc sunt, quæ me nutantem, ac dubitantem, num cum levidensi munusculo, quod solum argumenti dignitas commendat, ad vos accederem, impulerunt, et inter spem metumque verecundè cunctantem permoverunt, ut Vobis, SPLENDIDISSIMI ET AMPLISSIMI VIRI, hunc Librum sacrum façerem.

Accipite hoc devotissimæ mentis meæ et grati animi pignus, atque monumentum; ac sereno vultu hunc ingenii mei fœtum, quamvis informem, adspicere ne dedignemini. Hærebit menti hoc beneficium cum aliis compluribus, quæ nunquam etiam animo memori excident; ac si cum iis paria facere non possim, ea Votorum calidissimorum saltem magnitudine, adæquare conabor.

Faxit æternus Deus Optimus Maximus, ut Respublica, cui præesse Vos voluit, floreat in ævum, vincat

Hierosolymas sanctitate, Romam artium cultură ac scientiarum splendore, longâque successione seculorum sit virtutis divinæ theatrum. Ut miraculo surrexit, profuit, crevit, servata est hactenus, continuâ quoque miraculorum serie subsistere pergat, donec adsit tempus,

> Quo mare, quo tellus correptaque regia cœli
> Ardeat, et mundi moles operosa laboret.

Senatui semper constet sua auctoritas, Ecclesiæ sua sanctitas, Academiæ suus splendor, Scholæ suum decus, populo Genevensi sua libertas ac tranquillitas.

Vos omnes, orbis Conditor et Rector, Spiritu suo verè Principe regat, et omni maximarum, divinarumque benedictionum genere, quàm largissimè cumulatos, magis ac magis augeat, rebus nostris diu interesse velit ut seri in cœlum redeatis, ac post longam annorum seriem æternâ donet felicitate. Valete, AMPLISSIMI VIRI, vivite, florete, et in Dei gloriam ac publicam felicitatem diutissimè perennate. Scripsi Genevæ, Kalendis Martiis; Anno Æræ Dionysianæ; M.DC.XCVI.

PRÆFATIO.

PATERE, Lector amice, ut te parumper remorer, rationesque instituti mei exponam. Verum antequam illud præstem, non ingratum fortè erit, si hîc paucis inquiram, quando cœpit ista, quam sequimur, Theologiam docendi methodus, et si hîc, brevissimè historiam Scholasticæ theologiæ referam. Notum omnibus est, primis Ecclesiæ Christianæ seculis, Apostolos, virosque Apostolicos, quam a Christo intemeratam acceperant doctrinam, modo facili, et ad vulgi captum quàm maximè accomodato posteris tradidisse, ac in catechumenis instituendis breves quasdam formulas, præcipua doctrinæ Christianæ capita complectentes adhibuisse. Verùm simplex hæc Theologiam tractandi ratio paulatim in desuetudinem abiit, et alia subtilior, et sublimior credita excogitata est; ut ex scriptis Dionysii Pseudo-Areopagitæ, seculo quarto, vel quinto vel sexto natis, constat, et ut illud longè clariùs pateret, si præter opera hujus auctoris de Cœlesti Hierarchia, de Divinis Nominibus, de Ecclesiastica Hierarchia, de Mystica Theologia, quibusdamque Epistolis, quæ extant, alia deperdita haberemus; Theologiam Symbolicam, et Hypotyposes, sive Informationes Theologicas. Seculo VIII. Johannes, Damascenus à patria, Chrysorrhoas à facundia dictus, primus inter Græcos Theologiam ad quandam revocavit methodum, editis libris IV. De Fide Orthodoxa circa an. 732. agens, in primo, de Deo uno et Trino, ejusque natura et proprietatibus; in secundo, de Creatione, variisque rerum creatarum generibus; in tertio, de Incarnatione Verbi, et naturarum unione hypostatica, de Christi vita, morte, et ad inferos descensu; in quarto, de Christi resurrectione, et ascensione, de fide et de sacramentis, &c. In Ecclesia Latina dicitur Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus, Berengarii adversarius, Transubstantiationis parens, an. 1070. novam Theolo-

giæ formam antiquiori quoque substituisse. Seculo duodecimo, Petrus Abelardus an. 1120. Introductionis ad Theologiam libros tres composuit, sive ut ipse appellat opusculum de Fide S. Trinitatis Horum vestigia premens Petrus Lombardus Parisiensis Episcopus an. 1149. Sententiarum libros IV. edidit, quibus Theologiæ summa ex Patrum scriptis, imprimis ex Augustino collecta, et in methodum Scholasticam digesta traditur (Quidam Lombardum Magistri cujusdam Bandini, obscuri et penè ignoti Theologi, scripta compilasse tuentur.) Ab hoc tempore quotquot Lombardi methodum, doctrinam et auctoritatem suam sunt secuti, dicti antiquo nomine, at novo significatu Scholastici, sed etiam ab eo tempore Scriptura multùm neglecta, et "Theologia cœno quæstionum; rivulisque opinionum cœpit conturbari," ut loquitur Aventinus. Huic ævo debemus Petrum Comestorem et Trecensem Gallum, Historiæ Scholasticæ Magistros, an. 1170. et Gratianum Tuscum, doctissimum juris Ecclesiastici interpretem, qui circa an. 1151. scripsit Decretorum Canonicorum collectanea, &c in quo opere per distinctiones, causas, quæstionesque, redigumtur in compendium; Statuta Conciliorum, Dicta Patrum, Epistolæ et Constitutiones Romanorum Pontificum, nonnullæ Leges civiles, Pseudepigraphia multa.

Seculo XIII multi secuti exemplum Lombardi, ut Guilelmus de Seligniaco, seu Scilligniaco ab an. 1206. Episcopus Autissiodorensis, qui scripsit summam Theologicam; Alexander de Hales Doctor irrefragabilis dictus, qui obiit an. 1245. quique non modo Commentarios in quatuor libros sententiarum composuit, sed et summam edidit universæ Theologiæ. Alanus de Insulis dictus Doctor universalis, qui an. 1213 adversus Amaurici Carnotensis discipulos in Concilio Lateranensi disputavit. Thomas Aquinas Doctor angelicus ex nobilissimo Comitum Aquilinarum, Regnique Siciliæ et Aragoniæ sanguine oriundus; qui creditur obiisse an. 1274. Johannes Bonaventura dictus Doctor seraphicus, qui an. 1272. cùm de Pontifice eligendo non convenirent cardinales, communi omnium calculo exhibitus est, qui Pontificem pro lubito suo nominaret; ac Theobaldum Archidiaconum Leodiensem Gregorium X. postea dictum Pontificem designavit, à quo ipse

an. 1274. Cardinalis creatus est. Albertus Magnus Episcopus Ratisponensis, an. 1260. cujus opera in 21. Tomos distributa edita an. 1651. Petrus de Tarantasia Pontifex Romanus sub nomine Innocentii v. an. 1276. Gulielmus Durantes dictus Speculator, Mimatensis Episcopus, cujus de re sacramentaria celebris hæc fertur sententia, "Verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus, præsentiam credimus," quique obiit an. 1296. Henricus Gandavensis, dictus Doctor solennis, qui mortuus an. 1293. Ecclesiæ Tornacensis Archidiaconus. Johannes de Parisiis Theologus Parisiensis, qui jura Philippi Pulchri Francorum Regis adversus Bonifacium VIII. defendit; quique de modo corporis Christi in Eucharistia interrogatus: respondebat, possibile hoc esse per assumtionem substantiæ panis, fatis concessit, an. 1304. Richardus de Mediavilla, dictus Doctor solidus, fundatissimus, et authoratus, Anglus Theologus, qui sub finem seculi diem suum clausit. Ægidius de Columna vocatus Doctor fundatissimus Archiepiscopus Bituricensium, et Primas Aquitaniæ, qui an. 1316. lucem reliquit.

Seculum XIV. fuit postrema Scholasticorum ætas; eo seculo vixerunt, Johannes Duns, cognomento Scotus, dictus Doctor subtilis; qui circa an. 1307. inauditum antea in Ecclesia dogma de immaculata Beatæ Virginis Conceptione, propalare cœpit, quique Coloniæ apoplexiâ percussus, vel lethargo correptus, ac vivus in sepulchrum illatus fertur. Franciscus Mayronius Gallus, Doctor illuminatus et acutus, qui claruit an. 1315. Antonius Andreas Arragonius, Doctor dulcifluus, qui terras deseruit an. 1320. Bertrandus de Turre Aquitanus, Doctor famosus, Cardinalis, cujus venit hora suprema, circa an. 1334. Durandus à S. Porciano, Doctor resolutissimus, Meldensis Episcopus, qui an. 1333. Meldis sepultus fuit. Nicolaus de Lyra Normannus, Doctor planus et utilis, in Academia Parisiensi Theologus, an. 1325. à Johanna Franciæ Regina designatus, cum aliis, qui suum Testamentum exequeretur, et an. 1340. vivere desiit. Petrus Aureolus Doctor facundus, qui an. 1345. Bibliorum breviarium scripsit. Johannes Bassolis, vocatus Doctor ordinatissimus, qui claruit an. 1322. Johannes Baconus Anglus Doctor resolutus, qui Averroistarum

princeps habebatur, quique claruit an. 1329. Gerardus Odonis Gallus, dictus Doctor moralis Minorita, qui homines reliquit, an. 1349. Gulielmus Ocham sive Occam, Anglus, Doctor singularis, et venerabilis inceptor vocatus, qui Ludovicum Bavarum Imperatorem ita alloquebatur, "Tu me defendas gladio; ego te calamo;" et qui an. 1347. vitam cum morte commutavit; Adamus Goddamus Anglus, Professor Oxoniensis, qui floruit an. 1330. Gualterus Burlæus Anglus, Doctor planus et perspicuus, Edwardi III. Præceptor, an. 1337. Johannes de Janduno, sive de Gandavo Doctor Perusinus; qui Ludovici Imperatoris adversus Joh XXII. strenuè defendit jura, an. 1338. Robertus Holket Anglus, Oxoniensis Professor, qui peste extinctus, an. 1349. Alvarus Pelagius Hispanus, Silvensis in Lusitania Episcopus, an. 1340. Thomas Bradwardinus Anglus, Doctor profundus, Archiepiscopus Cantuariensis an. 1348. Johannes Ruysbrokius Belga, Doctor divinus; Petrus de Alliaco Gallus, Academiæ Parisiensis Cancellarius, dictus aquila Franciæ, et malleus à veritate aberrantium indefessus; quem fata vocarunt an. 1325.

Si à seculo decimo quarto ad decimum quintum descenderem, innumeros recenserem, et inter alios Thomam Netterum Waldensem dictum Wiclevistarum infensum hostem, an. 1409. Johannem Capreolum, an. 1415. Reginaldum Pavonem, seu Peacock, 1444. Et Gabrielem Biel, Collectorem dictum, an. 1490. At ulterius historiam Scholasticam persequi animus non est, nec opus esse credimus. Sufficiat nomina eorum retulisse, à quibus saltem si paucos excipias, obscurata, potiùs quàm illustrata, corrupta, quàm explicata Theologia; unde iis temporibus, quibus floruerunt illi Scholastici, divinæ Scripturæ, et cum Cornelio Musso, Episcopo Bitontino Comm. in 6. Rom. loquar, "quanto damno omnium, negligebantur. Vigebat spinosa et molesta nescio quædam Theologia, de instantibus, relationibus, quidditatibus, formalitatibusque; itemque hæc omnia syllogismis arte contortis, et humanis duntaxat argutiis, quæ proculdubio qua auctoritate recipiuntur ea et refelli possunt, pertractabantur. Is sublimis Theologus habebatur, qui majora portenta pro suis traditiunculis affingere sciret, pretiique pars erat gloriola inanis,

non intelligi grandia illa verba, quæ alto supercilio inter mulierculas de Sacris Literis Philosophantes trutinabant. Juraverant universi divini verbi duces in Magistrorum verba. Hinc sexcentæ sectæ, Thomistæ, Scotistæ, Occamistæ, Baconistæ. Albertistæ, Ægidiani Alexandrini, O scelus! Posthabebantur Evangelia, Epistolæ, Christiana philosophia delitescebat, à paucissimis tractabatur, sed frigidè, non dicam insincerè." Sanè nemo satis Ecclesiæ Christianæ sortem deflere potest, qualis fuit iis temporibus, quibus barbaræ adeò voces adhibebantur, ad explicanda fidei dogmata, et omnia ita obscuris quæstionibus implicabantur, ut novennium integrum non satis esset ei, qui vel solam Scoti in Lombardum Præfationem rectè intelligere cuperet, quod sibi fassum fuisse celebrem Theologum refert Erasmus; quibusque neglecta Scriptura, quæstiones stultæ futiles, impiæ, agitabantur. "Qualis naturæ fuerit Maria, carnosæ an macilentæ? An possibile fuerit habere Mariam plures filios unica generatione, quâ genuit Verbum? An Maria dormiendo habuerit usum rationis? An fuerit Apostolorum Apostola, et omnium Artium mechanicarum perita? An in statu innocentiæ æqualis numerus futurus fuisset virorum et mulierum? An passeres et alia bruta Ecclesiam fœdantia liceat excommunicare? An possit baptizari aliquis in lixivio, mulso, jure carnium, brodio piscium, urina? An (horresco referens) teneat baptismus, si conferatur in nomine Diaboli? Utrum naturam mulieris, asini, serpentis, vel columbæ Christus debuerit aut potuerit assumere? An hæ et similes propositiones, Deus est upupa, est scarabæus, (Quis non horreat) æquè sit possibilis atque illa, Deus est homo. An Pontifex Romanus sit Deus, an homo, an ex utroque unum."

Atque ea causa fuit cur sapientissimi Ecclesiæ Reformatores, Scholasticam theologiam ex Ecclesiæ evangelicæ finibus exterminarunt, et verbi Dei expositioni totos se dederunt, ablegatis curiosis et futilibus, imò blasphemis quæstionibus. Ad certas tamen classes Theologiam, Scholasticorum exemplo, aut potiùs juxta methodum omnium eorum, qui scientias tractant, revocare voluerunt, et quidem rectè; sed Theologiam, quam docuerunt, non ex Lombardi sententiis, non ex Aristotele, et Platone, sed ex Sacrarum Literarum puris fontibus hauserunt. Non eadem fuit

tamen Doctorum nostrorum methodus, sed res eodem redit, quia eandem doctrinam propalarunt, eandem veritatem propugnarunt, eosdemque errores confutarunt et profligarunt.

Ad eorum exemplum Theologiam Christianam edere jam audeo: non sanè, quod hoc opusculum cum immortalibus eorum scriptis comparare velim; didici enim mecum habitare, et meo me metiri modulo, nec unquam animo præsumsi

> Os populi meruisse, et cedro digna locutus
> Linquere, nec scombros metuentia opuscula, nec thus.

Non alium in finem hanc Theologiam in lucem edere suscepi, quàm ut studiosis nostris facerem satis, qui prælegentes avide eximiam Theologiæ Elencticæ Institutionem, à Celeberrimo Turretino, immortalis memoriæ viro, venerando Avunculo, ac desideratissimo in Christo Parente, adornatam, flagitabant, ut Institutio Theologiæ Didacticæ ipsis traderetur, in qua omissis controversiis, veritas tantàm nudè doceretur. Idem et postulabant viri nobiles et pientissimi, qui res divinas amant; et nosse gestiunt. Eorum desiderio satisfaçere, mei officii esse arbitratus sum, aurei Lactantii effati memor; "Si sanè vita optanda est sapienti, profectò nullam aliam ob causam vivere optaverim, quàm ut aliquid efficiam, quod vitâ dignum sit, et si non ad eloquentiam, quia tenuis, (imò nullus) in nobis facundiæ rivus est, ad vivendum tamen afferat, quod est maximè necessarium. Quo profectò satis me vixisse arbitrabor, et officium hominis implesse, si labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos ad iter cœleste direxerit.

Ne quis hîc quærat quid excultum, exasciatum, elaboratum, ac calamistratum, nihil tale spondeo, et hoc longe supra vires nostras agnosco, imò de prælo non cogitabam, quando tradere cœpi auditoribus describendum; stylum simplicem, et familiarem affectamus, et soli perspicuitati litamus; quam si consecutum me Lectoribus appareat, sublimi feriam sidera vertice; sin minùs, valdè dolebo. Voces aliquando parùm Latinas, et Auctoribus classicis ignotas adhibeo; quia ab omnibus intellectæ: et nemo est qui nesciat, aliam esse oratoris, aliam theologi rationem, alium utriusque in scenam prodeuntis apparatum, quod utrumque qui

confundit, et in orationibus, barbaris, aut parùm Latinis vocibus utitur, et theologica tractans ridicula orationis luxurie exsultat, nec ille singularem Oratoriæ, ut Theologiæ inscitiam prodit, et earum magistris ac peritis rerum æstimatoribus meritò ludibrium debet. Abstinui tamen quantum potui à vocibus barbaris Scholasticorum, et si eas adhibere aliquando coactus fui, statim explicui, verùm illud perquàm rarissimè; probè conscius, quantum Scholasticorum termini, et distinctiones in hoc seculo sordeant nec ignorans, sæpe potiùs has voces stylum obscurare quàm illustrare.

Innumeras quæstiones, quæ in aliis locis communibus prolixioribus tractantur, omisimus, utpote exigui momenti, et curiosas plus quàm utiles. Multas etiam, quæ inter nostros Theologos agitantur, præ summo, quo flagro, et semper flagrabo, pacis amore, prætermisi; si quasdam attigi, eo modo tractavi, ut nulli conquerendi ansam me dedisse sperem, imo confidam. Rationes non numeravimus, sed ponderavimus; multasque reliquimus; non semper quidem, quòd aliæ à nobis non allatæ, displicerent; sed vel quia aliæ magis placerent, ac sufficere nobis viderentur, et ne Lectores nimiùm fatigaremus.

Quædam ibco Patrum addidimus aliquando, in eorum gratiam, qui Veterum scripta legere cœperunt. Ethnicorum quoque dicta attulimus; nec abs re; ut non solùm Israëlitarum, sed Tyriorum et Sidoniorum operâ in extruendo templo Domini, usus est Salomo, et tabernaculum Ægyptio auro exornavit Moses. Non sanè, quod existimemus Veritatem cœlestem, castissimam virginem, nativa pulchritudine splendentem exoticis Ethnicorum Philosophiæ myrotheciis, pigmentis et ornatibus egere, ac spirituali huic Soli à caliginosa animalis sapientiæ fœce, lucem esse fœnerandam, sed ut pateat quantùm ratio consentiat cum Scriptura.

Si aliquando à quibusdam Theologis dissentiam, illud malè eos non esse interpretaturos spero. Dissentire semper licuit salva amicitia. Eorum sanctam benevolentiam exopto; eorum nomina veneror, eruditionem suspicio, virtutes miror, et votis fatigo cœlum, ut diu in Ecclesiarum et Academiarum commoda, servet Omnipotens.

Lectores omnes precor, ut ad ista quæ scripsi ἄνευ φιλαυτίας attendant, (verba sunt Isidori Pelusiotæ) et si quædam rectè dicta sunt, Deo gratiam habeant, sin minus, scriptori ignoscant.

Emendanda si qua visa Doctis hîc erunt,
Non ero stulte repugnans aut amans prave mea,
Quin statim culpanda delens præbeam rectis locum.

Theses in Articulos Confessionis Gallicanæ, quales sub meo præsidio in hoc Athenæo propugnantur à studiosis nostris, addidi. Animus quoque erat subjungendi compendium Historiæ Ecclesiasticæ in gratiam eorum, qui in hisce sunt planè rudes, sed videns hoc volumen multum ultra spem crevisse, hanc Epitomen seorsim propediem dabo. Hisce vale, benigne Lector, meque precibus tuis ad Deum juva. Si hæc tibi non displiceant, majora, modò vires, vitamque largiatur rerum omnium arbiter, polliceor, nec enim te celare possum me jam. Opus ad illustrationem locorum Scripturæ, et in Historiam Ecclesiasticam meditari, quod Deo juvante me daturum spero, postquam Dissertationes quasdam Theologicas à me petitas edidero. Omnia fausta tibi precor, Laboranti fave et annue. Vale.

INDEX

CAPITUM THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ.

LIBER I.

De Existentia Dei atque ejus verbo.

Cap.		Page.
1.	DE Existentia Dei	1
2.	De Cognitione Dei naturali	4
3.	De Theologia et cognitione Dei supernaturali	6
4.	De Verbo Dei	8
5.	De libris ex quibus Scriptura constat	9
6.	De Divinitate librorum sacrorum	16
7.	De Inspiratione librorum sacrorum	23
8.	De Auctoritate Scripturæ et à quo pendeat	25
9.	De Ecclesiæ Testimonio circa Scripturam	28
10.	An unusquisque possit notas Divinitatis, quæ sunt in Scriptura, per se intelligere absque ulla ope Dei Spiritus	31
11.	De Perfectione Scripturæ	33
12.	An nullus detur Traditionibus locus	36
13.	De Perspicuitate Scripturæ	38
14.	In quo, Scripturam Sacram unicam esse fidei et morum Regulam, probatur	40
15.	De Judice Controversiarum	43
16.	De Scripturæ lectione	46
17.	De Versionibus Scripturæ	47
18.	De Sensu atque Interpretatione Scripturæ	50
19.	An nullus Librorum sacrorum perierit	51
20.	De libris Apocryphis	52

LIBER II.

De Deo uno et Trino.

1.	De Unitate Dei	55
2.	De variis Dei Nominibus	57
3.	De Perfectionibus Dei in genere, ac primùm de ejus spiritualitate	59
4.	In quo Deum esse Ens cogitans et vivens probatur	62
5.	In quo Deum esse Ens intelligens, et omniscium, ac sapiens probatur	64
6.	De Voluntate Dei	68
7.	De Attributis divinæ voluntatis, quæ Affectus vocantur	70
8.	De Justitia Dei	75
9.	De Misericordia, Longanimitate, Patientiâ, et Severitate Dei	77
10.	De Potentia Dei, ejus Dominio, et Omnipræsentia	78

Cap. Page.
11. In quo probatur, Deum esse Ens necessariò existens et æternum 81
12. De Simplicitate, Immutabilitate, Infinitate, et Gloria Dei 83
13. De Trinitate..... 86
14. De Deo Patre..... 90
15. De Deo Filio..... 91
16. In quo probatur Filium esse summum Deum æqualem Patri 94
17. De Filii generatione..... 96
18. De Spiritu Sancto..... 97
19. In quo probatur Spiritum esse Deum..... 98
20. De processione Spiritus 100

LIBER III.

De Decretis.

1. De Decretis in genere..... 102
2. An omnia quæ eveniunt à Deo decreta sint, et de termino vitæ cujusque hominis..... 105
3. De ordine Decretorum..... 106

LIBER IV.

De Creationis decreto et de Creatione ipsa.

1. De Creatione in genere..... 108
2. De Creationis operibus..... 112
3. De Creatione Angelorum, eorumque natura..... 118
4. De Creatione Hominis in particulari..... 121
5. De Imagine Dei, ad quam homo dicitur conditus..... 124
6. De Libero arbitrio hominis, in statu innocentiæ..... 128
7. De Fœdere naturæ..... 130

Cap. Page.
LIBER V.

De Decreto permittendi lapsum, ac de lapsu Angelorum et hominum.

1. De Decreto permittendia ipsum, et de lapsu Angelorum..... 134
2. De lapsu primorum parentum..... 137
3. Quid sit peccatum..... 141
4. De effectis et consequentibus primi peccati in primis parentibus 144
5. De effectis aut consequentibus primi peccati in posteris Adami.. 146
6. De peccato originali..... 150
7. De propagatione peccati..... 154
8. De peccato actuali et variis ejus speciebus..... 155
9. De peccato in Spiritum Sanctum 159
10. De libero hominis arbitrio in statu peccati..... 165

LIBER VI.

De Providentia.

1. Quid sit in genere Providentia, et an sit..... 169
2. De objecto Providentiæ..... 172
3. De Providentiæ actibus..... 174
4. De modo quo Providentia res omnes gubernat..... 177
5. De Providentia Dei circa peccatum..... 179
6. De variis locis Scripturæ, in quibus peccati efficientia videtur Deo tribui..... 184

LIBER VII.

De Decreto Dei circa hominum salutem.

1. De Decreto Dei circa hominum salutem in genere, et in particulari de Electione..... 190

Cap. Page
4. De Reprobatione 199
5. Dexter usus Electionis et Reprobationis doctrinæ..... 201
6. De Electione et Reprobatione Angelorum..... 203
2. De Electionis Immutabilitate ac Certitudine..... 194
3. An fidelis possit esse de sua Electione certus..... 197

LIBER VIII.

De Mediis exequendæ Electionis, ac de Christo Mediatore, et Fœdere gratiæ.

1. An necesse fuit Deo satisfieri pro peccatis 207
2. An necesse fuit, ut ipsi peccatores satisfacerent justitiæ Dei 209
3. An necesse fuit satisfacere justitiæ divinæ personam divinam, et quomodo id fieri potuit, quum omnes personæ essent ex æquo offensæ..... 211
4. Cur statim post lapsum, Deus non misit Filium, et quibus Oraculis promissus fuit..... 213
5. De Lege..... 214
6. Cur Deus Legem suam dare voluit ante adventum Filii..... 221
7. De vario Ecclesiæ statu ante adventum Christi..... 223
8. An revera venit Messias, an Jesus Christus sit Messias, et quando venit..... 228
9. An Christus assumsit naturam humanam, et cur assumsit.... 230
10. Quomodo Christus assumsit naturam nostram in unitate personæ, et quomodo unitæ sunt duæ naturæ 232
11. De effectis Unionis..... 234
12 De duplici Christi statu..... 239
13. De conceptione ac Nativitate Christi..... 238
14. Quænam præcipue sunt observanda in vita Christi..... 241
15. De passionibus, ac morte Christi 244
16. De Sepultura Christi, ac Descensu in inferos..... 248
17. De Resurrectione Christi..... 250
18. De Ascensione Christi, et sessione ejus ad dextram Dei..... 253
19. Quodnam fuerit officium Christi Mediatorium..... 256
20. De triplici Christi munere in genere; et de ejus Unctione..... 259
21. De Prophetico ejus munere 261
22. De Sacerdotali Christi munere.. 263
23. De Regio Christi munere..... 267
24. Quale Fœdus cum hominibus iniit Deus per Filium, et cur vocatum Fœdus gratiæ..... 269
25. An Fœdus gratiæ jam obtinuerit sub veteri Testamento..... 271
26. An Lex Moralis, Lex Politica, et Lex Cæremonialis, locum habere debeant apud Christianos, et annon abrogatæ sint post adventum Christi 275

LIBER IX.

De Vocatione et Fide.

1. Quid sit Vocatio, et quotuplex 782
3. De evangelio ac Vocatione externa per evangelium..... 279
3. De Vocatione interna..... 281
4. De Fide..... 286
5. De Perseverantia fidei..... 293
6. An aliquis possit esse certus de fide sua, ac de sua salute.... 295

Cap. Page.

LIBER X.

De Justificatione.

1. Quid significet vox justificandi 299
2. De justicatione hominis innocentis 300
3. De justificatione hominis peccatoris..... 301
4. An justificatio sit facta ab æterno, an in tempore..... 307
5. De Adoptione..... 308
6. De Libertate Christiana..... 310
7. De Justificatione hominis justi.. 312

LIBER XI.

De Sanctificatione.

1. Quid sit Sanctificatio, et de connexione Justificationis cum Sanctificatione..... 314
2. De bonis operibus 316
3. De Decalogo..... 319
4. De imperfectione Sanctificationis nostræ..... 326
5. De Pœnitentia..... 327
6. De Oratione et Juramento..... 330

LIBER XII.

De Glorificatione.

1. De statu Animæ post mortem.. 334
2. De Resurrectione mortuorum... 336
3. De Consummatione seculi, de signis quæ eam precedent, et de interitu mundi..... 339
4. De ultimo Judicio..... 341
5. De Inferno ac Pœnis infernalibus 344
6. De Vita æterna..... 345

Cap. Page.

LIBER XIII.

De Ecclesia.

1. De Ecclesiæ voce et definitione 347
2. In quo explicatur definitio prima Ecclesiæ, simulque demonstratur vera membra Ecclesiæ esse fideles..... 349
3. Quo sensu Ecclesia Una dicatur Sancta, Catholica..... 351
4. Quo sensu Ecclesia dicatur visibilis et invisibilis..... 352
5. An Ecclesia sit infallibilis, et an deficere possit..... 354
6. De Notis veræ Ecclesiæ..... 356
7. De Capite Ecclesiæ..... 358
8. De Antichristo..... 360
9. De Ministris Ecclesiæ..... 362
10. De Ministrorum Vocatione et Ordinatione..... 364
11. De Potestate Ecclesiastica..... 370
12. De Ecclesiarum unione earumque Conciliis atque Synodis.... 373
13. De Magistratibus..... 374
14. De Matrimonio..... 377

LIBER XIV.

De Sacramentis.

1. De Sacramentis in genere..... 378
2. De Ministris Sacramentorum et efficacia Sacramentorum..... 384
3. De Sacramentis veteris Testamenti et discrimine eorum à Sacramentis novi Testamenti.... 387
4. De Sacramentis novi Testamenti ac de Baptismo..... 390
5. De Sacramento Eucharistiæ.... 399
6. De sensu horum verborum, Hoc

Cap. Page.
est corpus meum..... 405
7. De Præsentia Christi in Eucharistia..... 407
8. De Manducatione Christi..... 409
9. De Communione sub utraque specie..... 410
Cap. Page.
10. An Sacramentum Sacræ Cœnæ sit sacrificium propitiatorium 413
11. De Adoratione Eucharistiæ.... 413
Theses Theologicæ in Articulos Confessionis Gallicanæ ex tota Theologia depromtæ..... 416

CHRISTIANÆ THEOLOGIÆ

LIBER PRIMUS.

De Existentia Dei et ejus Verbo.

CAPUT PRIMUM.

De Existentia Dei.

I. QUANDOQUIDEM Theologia est doctrina de Deo et rebus divinis, ante omnia investigandum, *An reverâ Deus existat;* hoc est, an detur *Ens* infinitum et perfectissimum, supremum et omnium aliorum entium causa.

II. Equidem fateor hoc principium adeò evidens esse, ut supponendum potiùs foret, quam probandum. Verùm hanc Tractationem necessariam reddit multorum vesania, qui sibimet et aliis nullum numen esse persuadere annituntur.

III. Multis *Argumentis* hujus generis homines, aut potiùs hominum portenta impugnari possunt: præcipua afferam, quæ mihi omni exceptione majora videntur.

IV. Ac *primum* quidem deducitur à totius Mundi amplissima machina, ornatu et ordine, ac pulchro creaturarum omnium, quarum aliæ aliarum usui sunt destinatæ, concentu; quæ omnia non nisi ab Ente perfectissimo et sapientissimo fieri potuisse, illi omnes capiunt, qui ratione uti volunt. Hæc enim fortuito minutissimorum corpusculorum concursu coaluisse, tueri, non modo mente, sed et ipso propemodum sensu carere est.

Hoc qui existimat fieri potuisse, inquit Cicero de natura Deorum lib. II. *Non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formæ literarum, vel aureæ, vel quales, libet aliquò conjiciantur, posse ex his in terram excussis, annales, ut deinceps legi possent, effici; quod nescio an ne in uno quidem versu possit tantùm valere for-*

tuna. Quòd si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur domum, cur Templum non potest, quæ sunt minus operosa, et multo quidem faciliora. Hactenus Tullius.

V. *Secundum Argumentum* petitur ex eo quod omnia, quæ in Mundo sunt, ad fines aliquos ferantur, quos consequuntur; quamvis illi non semper nobis noti sint. Quis enim ita omnia ad certos direxit fines, imò dirigere potuit, nisi Ens infinitum et perfectissimum?

Dici nequit, res singulas illos sibi proponere fines; nam plerasque rationis expertes esse notum est, et si quaedam consilii capaces sint, multa tamen absque consilio præstant; nec enim apud se statuit homo, quomodo cibum concoquet, et cibi partes in varia corporis membra distribuet. Datur igitur causa quædam, quæ hæc omnia dirigit. Dicere naturam rerum omnium id efficere, absurdum, nisi per naturam intelligas substantiam à rebus naturalibus distinctam, quæ sit sapientissima et potentissima. At talis substantia *Deus* est.

VI. *Tertium Argumentum* ducitur ex consideratione *materiæ*, ex qua Mundus conditus, et *motûs*, qui materiæ inditus est. Nam *materia* vel est *æterna*, et per se existit, vel ab alio summo Ente *ex nihilo educta* est; *æternam* non esse patet evidenter, ex eo quòd absurdissimum esset tribuere Enti imperfectissimo, qualis est materia, summam omnium perfectionem, extitisse scilicet semper, et à se ipso extitisse: si ab alio summo Ente *ex nihilo educta* sit, illud Ens non potest non esse Deus; siquidem potentiâ infinitâ opus est ad substantiam aliquam ex nihilo educendam: potentia autem illa infinita soli illi Enti, quod *Deum* nuncupamus, competit. Rursus vel *motus* est de essentiâ materiæ, vel aliquis ei talem motum impressit: motum esse de essentiâ materiæ, nemo sanus, ut opinor, dicet; saltem nemo tuebitur talem motum ordinatum, cui suam debet originem mundus, esse materiæ essentialem. Necesse est igitur fateri aliquod Ens materiæ motum impressisse, vel saltem motum determinasse ad formandum mundum, potiùs quàm ad indigestam aliquam condendam molem; illud autem Ens non aliud esse quàm Ens perfectissimum, quod *Deum* vocamus, quilibet, nisi sponte cæcutire velit, cernere et intelligere potest.

VII. *Quartum Argumentum* elicitur, non modo ex humani corporis fabricatione, quam nullus non, et nemo satis miratus est, sed et ex anima nostra; nam vel est æterna,

vel educta ex materiâ, vel ab Ente alio externo creata: æternam nemo nunc dicere auderet; eductam esse ex materiâ absurdissimum, nam effectus non est nobilior causâ, et quis crederet ex materiâ extensâ, crassâ et inanimatâ, spiritualem et cogitantem substantiam educi potuisse, imò substantiam adeo eximiam, ut de omnibus cogitet, et totum universum cogitationibus suis complectatur, præsentia cernat, præteritorum recordetur, futura prospiciat, quæ tot artes invenit, tot excolit, tot admiranda præstat, nec hoc seculo contenta, aut hisce sublunaribus, Deum æternitatemque appetit, cœlumque et terram ac maria percurrit, etsi in angulo mundi delitescat. Auctorem igitur habet: verùm quis ille est, si Deus non est, indicare nemo poterit.

Adde miraculum conjunctionis animæ cum corpore, tantæque conjunctionis, ut ad quasdam animæ cogitationes, quidam oriantur in corpore motus, et ad quosdam corporis motus, quædam oriantur in mente cogitationes; etsi anima nesciat, quomodo membra ad suum nutum moveantur, et quomodo ad motum membrorum in se excitentur variæ cogitationes.

VIII. *Quintum Argumentum* ex omnium fere gentium etiam efferatissimarum consensu in hoc argumento desumitur. Unde fit enim ut homines ex omnibus ferme terræ plagis, educatione, indole, patriâ, ingenioque diversi, quidvis potiùs sibi persuadeant Deum esse, quàm nullum Deum esse, et ad lapides ac ligna se potius demittant superbissimi mortales, quàm ut omni careant numine.

Quæ est gens, ait Velleius apud Cicer. *aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam deorum, &c. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est. Si terram percurras*, ait Plutarchus, *fortè observabis urbes sine mœnibus, sine literis, maximæ insciliæ immersas; Verùm nulla nobis videbitur, quæ Deum non adoret.* Quod si, ut à quibusdam asseritur, nonnulli reperiantur populi, apud quos nulla religionis cernuntur vestigia; non mirum videri debet homines barbaros, qui humanam quodammodo naturam exuerunt, et belluinam quandam induerunt feritatem, id perdidisse, quod hominis proprium est. Sine intellectu nulla de numine opinio, nullus religionis sensus est. Itaque in belluas ea res non cadit, ac porrò illis non convenit, qui in belluas fere abierunt.

IX. *Ultimum* tandem peti potest, ex conscientiæ vi atque stimulo, sceleris, vel patrati, vel patrandi indivulso

comite, cujus neque sensus obtundi, nec forum declinari, neque accusatio eludi, neque testimonium corrumpi, neque vadimonium deseri potest, cujusque morsu nihil mordacius, tormento nihil acerbius. Qui fit enim ut conscientia commisso scelere crucietur, etiam remotis arbitris nulloque ab hominibus imminente periculo? Unde fit *ut tacita sudent* peccatoris *præcordia culpâ*, et totus corde ac genibus tremat, ad folii strepitum, aut si *virides rubum dimovere lacertæ;* Ne iis exceptis, qui neminem in terris superiorem agnoscebant, quibusque sæpe populi thura adolere non erubescebant, quasi essent dii, ut ille Caligula qui licet nemo in audaciorem numinis contemtum prorupisse legatur, misere tamen, trepidabat, quum audiebat tonantem Jovem. Unde hæc omnia, quæso, nisi ex sensu alicujus Judicis, quem etsi non videt, ubique tamen pertimescit peccator?

X. Alia non addimus, quæ addi tamen possent; unicum subjungam, sententiam atheorum omnibus favere criminibus, sententiam verò nostram, homines ad virtutum Christianarum et moralium praxim impellere.

CAPUT II.

De Cognitione Dei naturali.

I. Ex dictis patet nos naturaliter Deum cognoscere posse, ac hujus cognitionis Deum ipsum Auctorem esse, tum per ideam sui, quam in omnium mentibus insculpsit, tum per præclara illa, quæ fecit, opera, ex quorum contemplatione, necessariò colligitur Deum existere.

II. Unde duplex distinguitur *Cognitio Dei naturalis*, alia *insita et innata*, alia *acquisita*. *Innatam* voco notionem illam divinitatis, quæ adeò hominibus inest, ut homo postquam ad rationis usum pervenit, non possit non sæpissimè de Deo cogitare, neque eas cogitationes, etsi aliquando conetur, repellere prorsus queat. *Acquisita* ea est, quæ ex diligenti rerum creatarum contemplatione hauritur.

III. Utriusque cognitionis meminit Scriptura. *Innatam* docet Paulus *Rom.* ii. 15. quum ait, Gentes ostendere *Opus Dei inscriptum cordibus suis, unà testante ipsorum conscientiâ, et cogitationibus sese mutuo accusantibus, aut etiam defendentibus:* Hoc enim *opus Legis inscriptum*

in cordibus, est illa *notio innata*, de quâ loquimur. *Inscripta* dicitur hæc Lex *cordibus*, non tabulis lapideis, ut Lex Mosaica. *Quod scriptum habetur, semper vacat ad legendum, cùm vacat legenti*, ait Augustinus.

De *Acquisita* loquitur idem Apostolus Rom. i. 20. *Invisibilia Dei jam inde à condito Mundo, ex iis quæ fecit, mente perpensa pervidentur, æterna videlicet ejus tum potentia, tum divinitas*, et Psaltes, Psal. xix. 1, 2. *Cœli enarrant gloriam Dei, et opus manuum ejus indicat expansum.* Huc referendum quod dicit Job xii. 7, 8, 9. *Enimvero roga. age, pecudes, et docebunt te, et alites cœli, et indicabunt tibi, &c.* Hoc agnoverunt ipsi Ethnici. Aristoteles, si scilicet auctor sit libri de mundo, ait, *ut anima, per quam vivimus, à sensibus remota per sua opera cernitur, ita Deum omni mortali naturæ ἀθεωρήτον per sua opera conspectum fuisse; Quis est tam vecors*, ait Cicero, orat. de Harusp. Reip. *qui quum in cœlum suspexerit, Deos esse non sentiat, et ea quæ tanta mente fiunt, ut vix quisquam arte ulla ordinem rerum ac vicissitudinem persequi possit, casu fieri putet?* et si Diodoro Siculo fides lib. xii. Locrensium legislator Zaleucus lege lata cives ex cœli animadversione ad numen agnoscendum obstrinxit.

IV. Utraque Cognitio summum est bonitatis Dei testimonium erga homines, quos noluit suâ prorsus cognitione carere, ut cognitum amore, laudibus, gratiarum actionibus, cultu et obsequio prosequerentur: simulque est societatis vinculum, ne mundus in latrocinium abeat: rursus incitamentum est ad quærendam illustriorem revelationem, et sufficit ad omnem ei excusationem præscindendam, qui hac cognitione naturali abutitur. Ex illo fonte derivatæ sunt omnes civiles Leges, æqui et justi vindices, quamvis sæpè multùm sordium contraxerint, ex canalium, per quos transierunt, luto.

V. Hæc Cognitio Dei, cum illis communibus notionibus, Theologiæ naturalis systema conficit.

VI. Si quis hîc hujus systematis compendium à nobis postulet, et quid Gentes, tum ex rationis dictamine, tum ex operibus Creationis ac Providentiæ colligere potuerint, hoc responsum habeat, Ethnicos hæc potuisse percipere:

I. Deum esse, imò, unum Deum.

II. Deum nihil esse eorum quæ videntur, et corrumpuntur, sed aliquid istis sublimius.

III. Esse justum, bonum, potentem, et sapientissimum.

IV. Deum esse Creatorem hujus Universi.

V. Ejus Providentiâ mundum administrari, ut agnovit Tullius, et alii plures.

VI. Esse æternum et beatum. *Quæ nobis natura*, aiebat idem Cicero, *informationem deorum ipsorum dedit, eadem insculpsit in mentibus, ut eos æternos ac beatos haberemus.*

VII. Esse colendum, et ei gratias agendas.

VIII. Recta et honesta esse facienda.

IX. Parentes esse honorandos, et nemini faciendum, quod nobis factum nollemus.

X. Omnes Deum placare debere anniti.

XI. Animas esse immortales, ac fore aliquod judicium. De Druidibus refert Caesar docuisse, non interire animas. Platonis sententiæ Phædon testis est.

XII. Eos qui mala facinora perpetrant esse morte dignos. *Rom.* i. 32.

CAPUT III.

De Theologia et Cognitione Dei supernaturali.

I. PRÆTER hanc cognitionem Dei naturalem, aliam revelationem supernaturalem necessariam fuisse, ne ipsis Gentibus ignotum fuit, apud quas receptum erat, præter rationem, requiri, cœlestem quandam sapientiam. Non enim opus habuissent, qui nova sacra apud eos excogitabant, fingere colloquia cum numinibus, ut Lycurgus cum Apolline, Minos cum Jove, Numa cum Ægeria, Zamolxis cum Vesta, Charondas cum Saturno, Solon et Draco cum Minerva, nisi omnibus esset persuasum, rectam colendi numinis rationem ab illius revelatione pendere.

II. Duo sunt imprimis, quæ necessitatem revelationis supernaturalis adstruunt:

Primò, imperfectio cognitionis naturalis, quæ nec ad Deum rectè cognoscendum, nec ad eum ritè colendum sufficiebat, et quæ adversus mortis terrores et peccati conscientiam animum humanum neutiquam solari poterat, siquidem illa neutiquam modum docebat, quo justitiæ divinæ satisfieri, ac numen propitium reddi potuit; inde Ethnici qui eam habebant, dicti sunt a Paulo *sine Deo et sine spe.* Eph. ii. 12.

Secundò, summa hominum, post primi parentis peccatum,

corruptio, eorum lubricus lapsus in Dei oblivionem, in omne genus erroris proclivitas, in rebus divinis cæcitas, et ad confingendas itidem novas et fictitias religiones libido. Hinc si fuerunt, qui unum Deum colerent inter Ethnicos, longè plures, qui innumeros adorabant deos, extiterunt; omnes quippe creaturas, à gramine campi ad suprema cœli sidera venerabantur, ne canibus, lupis, et crocodilis exceptis. Imo sæpissimè, nescii erant, cui numini litarent, unde solenne illud in invocationibus usurpabant. *Quisquis es*; et in Capitolio clypeus consecratus fuit cum hac inscriptione, *Genio urbis Romæ, sive mas, sive fœmina.* Eximiè Vossius de Idolol. c. iv. lib. 1. idem contigisse observat Gentilibus, ac cæco illi apud Johan. c. ix. *Hic enim quum videret Filium Dei. à quo visum acceperat, rogavit nihilominus quis esset Filius Dei. Nempe quia, quem videret, nesciret eum esse quem videret: ut si regem cernas, et regem esse nescias: similiter Gentiles propè omnes eum, qui videri nequit, in opere elucentem viderunt, et clamoso silentio audiere dicentem esse se Opificem et Rect rem universi, colique à nobis velle ac debere; sed ad conspectum oculos clausere, ad vocem obturarunt aures, ac quasi alto pressi sopore, tales imaginati sunt esse qualia forent, quæ oculis se quotidie subjicerent; somnioque suo nimium credili, opificium amplexati sunt pro opifice, divinitatem non tribuendo Deo, sed non Deo, quod verè erat veritatem in mendacio detinere.* Necessaria itaque fuit alia revelatio præter naturalem, in qua Deus non modo eas perfectiones, quas jam in prima patefecerat, illustriori modo cognoscendas præberet, sed et novas panderet, et *Mysterium pietatis* revelaret.

III. Revelatio illa supernaturalis facta est per verbum; postquam enim mutis magistris ad erudiendos homines usus est Deus, os suum sacrosanctum reseravit; et postquàm πολυτρόπως et πολυμερῶς *per prophetas allocutus est patres, ultimis hisce temporibus per unigenitum filium docere* haud dedignatus est, *Heb* i. 1. Proinde David ubi commemoravit gloriam Dei à cœlis enarrari, opera manuum enunciari à firmamento, ab ordinata dierum noctiumque serie Majestatem ejus prædicari, deinde ad verbi mentionem descendit; *lex* inquit, *Domini immaculata convertens animas.* Psal. xix.

IV. Doctrinæ ita in verbo revelatæ compagem continet Theologia ista, cujus systema condimus, et quæ *supernaturalis* dici potest, ut à *naturali*, de qua jam diximus, distinguatur.

V. Verùm quamvis Theologia ista supernaturalis et Theologia naturalis differant, tum modo revelationis, tum rerum revelatarum multitudine, tum perspicuitate, tum effectis, amicè tamen conspirant, sibique mutuam præstant operam. *Præmisit Deus naturam magistram, submissurus et prophetiam, quo facilius credas prophetiæ discipulus naturæ.* Tertul.

CAPUT IV.

De Verbo Dei.

I. APTISSIMUM erat *Verbum* ad Deum revelandum, atque homines, quibus aures et rationem dederat Deus, docendos, et admodum honorificus est generi humano iste docendi modus; Quid enim magis honorificum quàm Dei alloquio dignari?

II. Verbum istud, à principio, scripto non est consignatum 1. propter *longævitatem Patriarcharum*, 2. *hominum, paucitatem*, 3. *Revelationum frequentiam.* Nugæ enim, quæ de libris Adami, Sethi, Enochi, Abrahami, à Judæis, et Muhammedanis excogitata sunt. Sed postquam crescere cœpit gens humana, et in varias orbis partes diffundi; cùm mille fraudibus et præstigiis grassaretur Satanas, et veritatem hominibus nullo negotio eriperet, iis temporibus, quibus illa nullis dum consignata erat literarum monumentis, ex quibus arcessi, ac repeti, mendaciumque revinci posset; Deus generis humani misertus, verbum suum literis mandari voluit, 1. tum ut commodiùs servaretur, et ad posteros propagaretur; *Divinum quippe est*, teste Quintiliano, *hoc literarum mirabile beneficium, ut custodiant voces, et veluti depositum reddant absentibus*, 2. tum ut minùs facile corrumpi, vel saltem à corruptelis faciliùs et rectiùs vindicari posset veritas, neque ampliùs opus esset eam per novas subinde revelationes restitui atque instaurari, atque ita certus extaret fidei Canon: sic humanæ imbecillitati succurrere, et diabolicis insidiis occurrere Deo placuit, *suam mansuram rudibus vocem signando figuris.* Atque eundem in finem edicta regum ac plebiscita, vel in ære inciduntur, vel tabulis publicis inscribuntur.

III. Deus ipse hunc novum se revelandi hominibus modum suo exemplo sancire et consecrare dignatus est, quum *Decalogum* lapideis tabulis digito suo inscripsit;

postea per Mosem aliosque Prophetas in ecclesiâ Judaïcâ eam conservandæ et propagandæ veritatis rationem continuavit; ita jussit Mosem scribere, Exod. xvii. 14. *Inscribe hoc monumentum libro.* Exod. xxxiv. 27. *scribe tibi verba hæc, quia ex præstituto horum verborum pango tecum fœdus et cum Israële.* Idem injunxit Isaïæ viii. 1. *sume tibi volumen magnum et scribe in eo.* Jeremiæ xxx. 2. *scribe tibi omnia verba, quibus alloquor te in libro.* Habacuc ii. 2, *scribe visionem &c.*

IV. Idem sub Novo, ac sub Veteri Testamento contigit; postquam enim Christus Dei Filius unigenitus mysteria regni cœlorum è sinu Patris protulit, et hominibus revelavit, eadem Apostolorum operâ scribi voluit; non modo eos omnes gentes docere jubendo; quod non potuisset viva voce semper fieri, siquidem absentes, et posteros non minùs quàm præsentes docere debebant, sed et expressè scribere injungendo ita, Johanni, Apoc. i. 11. et 19. *Quod cernis scribe in libro &c. Quod vidisti, scribe;* et ipsos ad scribendum impellendo, ac illis scribenda inspirando.

Hîc autem mirari juvat Dei sapientiam. Dum balbutiens erat ecclesia, eam viva voce Deus instituit, qui simplicissimus est revelationis modus, ut infantes solent vivâ nutricum voce formari. Posteà in pueritia et prima juventute sub lege constitutam, et viva voce docuit et scripto, ut adolescentes et pueri, tum voce magistri, tum lectione librorum docentur. Tandem sub Evangelio adultam et ad justam ac perfectam ætatem provectam, scripturâ contentam esse voluit, ut juvenes viri per se doctrinas ex libris hauriunt.

V. Non omnes Apostoli scripserunt, nec necesse erat; nam sufficit ea ab aliquibus scribi, quæ ab aliis probarentur; nec mirum si epistolari methodo ut plurimum usi sint viri illi sancti, mos enim erat tunc temporis receptus apud plerosque docendi per epistolas. Imò rescripta Imperatorum et legum latarum per epistolas fiebant, et simplex ille docendi modus decebat evangelium, ne *crux Christi persuasoriis humanæ sapientiæ verbis evacuaretur;* imò non erat commodius scribendi genus ad properè evangelium disseminandum.

CAPUT V.

De Libris, ex quibus Scriptura constat.

I. POSTQUAM expendimus rationes, propter quas Verbum

Dei scripto consignatum est, videndum est, ubinam reperiatur. An apud Ethnicos quæremus? sed nullus apud eos liber occurrit pro Divino habitus. Incerta, fabulis referta, superstitionis et idololatriæ plena omnia. An apud Muhammedanos? Habent Alcoranum, fateor, sed is liber vix homine mentis compote dignus, et si quid in eo boni est, id omne à Judæis et Christianis manavit. Non alibi sanè quæri debet *Dei Verbum*, quàm in libris, qui dicuntur *Veteris et Novi Testamenti*, ut in sequentibus probabitur. De libris Veteris Testamenti priùs dicendum.

II. Libri Veteris Testamenti sunt, quos Deus populo Judaico tradidit, qui à Josepho, et antiquioribus Judæis numerantur XXII. ab aliis XXIV. ab aliis XXVII. ab aliis XXXIX. sed eodem res redit prout vel conjunguntur, vel separantur libri.

III. Distribuunt hos Judæi in תורה Legem, נביאם id est, Prophetas, כתובים quos ἁγιογράφους dicunt alii, quam distributionem insinuat Christus, sub nomine *Mosis*, *Prophetarum et Psalmorum* Luc. XXIV. 44.

IV. Lex complectitur *Pentateuchum*, id est, *Genesim*, *Exodum*, *Leviticum*, *Numeros*, *Deuteronomium*; quorum librorum auctor ab omnibus, si quosdam tantùm excipias, creditus Moses, filius Amram, pronepos Levi Patriarchæ; quamvis in iis libris nomina quorumdam locorum tempore Mosis ignotorum, atque alia quædam, ab Ezra, aut alio scriptore sacro deinceps addita videantur. Vixit autem Moses circa annum mundi 2430.

V. *Primus* liber vocatur *Genesis*, quia omnium rerum origines et generationem docet, continetque historiam annorum 2369. *Secundus* dicitur *Exodus*, quia ab afflicti populi Israëlitici liberatione et exitu ex Ægypto in promissam Canaanis terram incipit, et complectitur historiam 149. vel. 145. annorum. *Tertius* dicitur *Leviticus*, quia leges describit, quæ Levi posteris sacerdotio admotis injunctæ sunt. *Quartus* vocatur *Numeri*, quia in eo numerus, et census initus populi Israëlitici per Mosem et Aaronem legitur, complectiturque historiam 39, annorum. *Quintus* appellatur *Deuteronomium*, quia est veluti repetitio legis, et complectitur historiam duorum mensium, vel mensis unius ac dierum aliquot.

VI. Prophetæ distinguuntur in priores et posteriores. Priores sunt *Josua*, *Judices*, *Ruth*, *duo Samuelis*, et *duo Regum*: posteriores sunt *Isaias*, *Jeremias*, *Ezechiel*, *Daniel*, (quem

malè ex prophetarum numero eximunt Judæi, et reliquis inferiorem censent;) Testimonium illi ut prophetæ, καὶ ἐνὶ μεγίστων perhibente, non Josepho tantum, sed et Ezechiele c. xxviii. 3. et Christo, Matth. xxiv. 15, nonnullisque Judæis, quod confirmant ejus admiranda vaticinia, de mutationibus, cùm in republica, tum in ecclesia, orituris, tum ante, tum post Messiæ exhibitionem sub Chaldæis, Persis, Græcis, Romanis, maxime sub Antiocho. *Hoseas, Joel, Amos, Obadias, Jonas, Micha, Nahum, Habacuc, Sophonias, Haggæus, Zacharias, et Malachias.*

VII. *Primus* priorum prophetarum dicitur *Josua*, quia continet historiam magni illius ducis gestorum post Mosis obitum, cui successisse creditur circa annum mundi 2550. aut 2554. Hic liber non totus est à Josua conscriptus, multa enim ibi narrantur, quæ post Josuæ mortem contigerunt; imò non adeò certum est Josuam ipsum libri scriptorem esse, quamquam concinnatum esse ex ejus monumentis Jos. xxiv. 26. constet. Continet historiam circiter 25. aut 27. annorum. *Secundus* dicitur *Judices*, quia docet historiam populi Israëlitici, tum ecclesiasticam, tum civilem à temporibus Josuæ, usque ad tempora Eli sub Judicibus XIII. per annos 288. aliis 299. Incertus hujus libri auctor. Hebræis placet fuisse *Samuelem*, aliis Esdram. Judicum illorum imperium distinctum erat à regio: I. Quod extraordinarius hîc Magistratus esset, ut Romanorum Dictator. II. Quod in his afflatus immediatus Spiritûs, et motus heroici. III. Quod successio in his non immediàta. IV. Quod iidem divino suffragio dati. *Tertius* liber *Ruth*, qui est appendix libri *Judicum*, cum quo conjungitur à quibusdam Hebræis, ab aliis verò reponitur inter Hagiographa; ita vocatur, quia historiam Ruth continet, quam malè Josephus et vulgò Hebræi, atque ex iis Zonaras referunt ad ætatem Heli vel Addonis, sed quæ in tempora Eliud vel Samgaris, vel Gedeonis juxta plerosque incidit. De auctore etiam disceptatur, dum alii Samuëlem, alii Ezram, alii alium nominant. Liber hic editus fuit ad continuandum genealogiam Christi. *Quartus* est liber *primus et secundus Samuelis*, dicti Græcis et Latinis interpretibus I. et II. Regum. Docet historiam rerum, quæ sub Heli, Samuele, Saule, et Davide contigerunt per annos 120 et quod excurrit. De auctore contenditur; verisimile est Samuelem rerum sub Heli et sub suo regimine gestarum historiam scripsisse; Nathanem et Gadem rerum, quæ sub Saule et Davide evenerunt, Annales composuisse, et postea virum

διόρθωσιν, sive Esdram sive alium in ordinem redegisse, utrumque librum nomine *Samuelis* vocando. *Quintus* liber est *primus et secundus Regum* (qui tertius et quartus a Græcis et Latinis interpretibus dicitur) non ab uno prophetâ conscriptus; complectiturque historias regum Judæ et Israëlis per annos circiter 440.

VIII. *Prophetæ posteriores*, Alii *majores*, alii *minores*. *Majores* sunt *quatuor*, numerando Danielem, invitis Judæis. Primus *Isaïas*, qui vixit sub Oziâ, Jothamo, Achazo, Ezechia, et deinde juxta quosdam sub Manasse, à quo dissectum serrâ dicunt Talmudici. Incepisse prophetare creditur circa annum 3220. vel 3224. Secundus *Jeremias*, qui incepit prophetare sub Josia circa annum 3350. vel 3380. quique primum in Judæa prophetavit, posteà in Ægypto, postquàm Zedecias in captivitatem Babylonicam deportatus est, sic ad minimum per 43. annos prophetavit. Tertius *Ezechiel*, qui in Chaldæa, quò abductus fuerat captivus, vaticinatus est, circa annum mundi 3410; aliis placet 3400; aliis 3414. Circiter 20. annos prophetasse dicitur. Quartus est *Daniel*, qui eodem tempore, aut juxta quosdam paulò ante Ezechielem in captivitate vaticinatus est. Absurdè Eunuchum fuisse narrant, nec hoc significat semper vox סרים, unde Targum vertit sæpe רבא *Magnatem*.

IX. *Prophetæ minores* numerantur *duodecim*. Primus, *Hoseas*, qui prophetavit in diebus Oziæ, Jothami, Achazi, et Ezechiæ per 60. annos, ut vulgò dicitur anno mundi circiter 3196. ab aliis 3215. Secundus *Joël*, qui creditur à quibusdam vixisse sub *Josia* A. mundi circiter 3350. sed ab aliis coævus creditur Hoseæ, ab aliis contemporaneus Jonæ. Tertius *Amos*, qui claruit Oziâ et Jeroboamo II. regnantibus, circiter annum 3218. aut 3220. Quartus *Obadias*, cujus prophetiæ tempus ignoratur. Hebræi eundem esse autumant, ac eum, de quo I Reg. xviii. 3. 4, in diebus Achazi; quidam volunt vixisse A. M. 3215. Quintus *Jonas*, qui vixit sub Jeroboamo secundo rege Israëlis circa A. M. 3163 vel juxta alios 3197. vel 3215. Sextus *Michæas* sub Jothamo, Achazo et Achasia; coævus Isaïæ et Hoseæ. Septimus *Nahum*, quem συγχρονον Isaïæ quidam volunt; alii ad tempora Jehoiachimi; alii ad Manassis ætatem referunt; aliis anterior est captivitate X. tribuum; aliis posterior. Lightfoot existimat an. 3294. vixisse, incerta res est. Octavus *Habacuc*, incerti etiam temporis, forte sub *Manasse*, fortè etiam sub Josia. Hebræis filius Schunamitidis, ex voce Hebræa, quæ legitur II. Reg. iv. 16.

Nonus *Sophoniæ* in diebus Josiæ coævus Jeremiæ. Decimus *Haggæus* post reditum è captivitate, anno secundo Darii regis, circa annum 3485. aut 3490. Angelum fuisse humana specie indutum nonnullos credidisse auctor est Hieronymus. Undecimus *Zacharias* eodem tempore, cœptis vaticiniis ab eodem anno II. Darii, sed diutiùs continuatis, et hic Zacharias filius Barachiæ, Zach. i. 1. plerisque idem esse putatur, de cujus nece Christus verba facit. Matt. xxiii. 35. Tandem *Malachias*, de quo multùm disceptatur, quis ille scilicet fuerit, aliis Esdras creditus, aliis Angelus; vaticinatus est dudùm perfecta templi II. fabrica.

X. *Hagiographa* sunt, I. *Chronica* vel *Verba dierum*, aut *Liber paralipomenon*, qui historias ab aliis historicis omissas narrat, vel ab aliis allatas pleniùs repetit et locupletat; à quo auctore scripta sint, dici non potest, non ab uno forsan prophetâ; sed à multis II. *Estheræ* liber scriptore non Esdrâ, sed potiùs Mardochæo, quod tamen dubium; alii enim Joachimo sacerdoti tribuunt; post captivitatem Babylonicam sub Dario Hystaspis, si penes quosdam fides. III. *Esdras*, qui pandit res in ecclesiâ gestas, à primo anno Cyri ad Artaxerxis annum septimum seu hic sit Xerxes, seu Longimanus, seu Mnemon, res enim incerta: scripsisse autem ille creditur à quibusdam circa annum 3536. ab aliis citiùs. IV. *Nehemias*, qui describit instaurationem urbis Hierusalem, nec non reducis populi reformationem; Hebræis dicitur II. Esdræ, contractus nempe cum libro Esdræ in volumen unum. Continet historiam ab a. xx. Artaxerxis ad finem Monarchiæ Persicæ sub Dario Codomanno, et Jaddua summo Pontifice. V. *Psalmi* dicti Davidis, quod plerique à Davide conscripti sint. Alii Mosi, Salomoni, Asapho, Hemani, Ethani adscripti; quidam creduntur compositi post captivitatem. Nomen Davidis præferunt lxxxii. sine inscriptione sunt xxv. Lightfoot credit Ps. lxxxviii. et lxxxix. scriptos A. M. 2409. quo tempore premebantur Jacobi posteri servitute Ægyptiaca. VI. *Proverbiorum* liber concinnatus ex Salomonis sententiis, præter quædam capita, seu Salomone ipso concinnante, seu pòst, aliquo Prophetarum, Prov. xxv. 1. VII. *Ecclesiastes* eodem Salomone auctore est quasi concio Pœnitentiæ, et tantùm abest, ut negetur in ea animarum immortalitas, quod à profanis dicitur, ut ad eam confirmandam totus liber comparatus sit. VIII. *Canticorum Canticum*, quod dicitur Salomonis, et de Salomone tum typico, tum vero. IX. *Job* incerto auctore, juxta quosdam Mose; juxta alios

aliquo amicorum Jobi, vel Jobo ipso; juxta alios scriptore quodam circa Davidis et Salomonis tempora, de quo consulendus Magnus Spanhemius. X. *Threni Jeremiæ*, qui addi solent prophetiæ hujus vatis. De *Daniele* quem hic addunt Judæi, nihil dicimus; siquidem de eo locuti sumus. Atque hæc de libris Veteris Testamenti satis; non enim plures numerant Judæi capsarii nostri.

XI. Libri N. Testamenti, qui ab Evangelistis et Apostolis scripti sunt ad erudiendum populum Christianum, sunt XXVII. historici V. Epistolæ Paulinæ XIV. aliorum Apostolorum VII; unus propheticus Apocalypsis.

XII. Quoad historicos libros sunt, I. Evangelium *Matthæi* apostoli, qui creditur à quibusdam scripsisse anno Æræ vulgaris 39. ab aliis 41. ab aliis 48. An scripserit Hebraïcè vel Græcè disputatur inter doctos. Refertur de eo in Æthiopiam Asiaticam se contulisse, ibique in civitate Naddaver, vel ut alii, Hierapoli in Parthia, martyrium passum esse. II. Evangelium *Marci*, qui scripsit circa annum Christi 43. fortè longè post, non Latinè, ut opinantur nonnulli, sed Græcè, nullius enim est ponderis subscriptio Evangelii Syriaci, quæ sic sonat; *Finitum est evangelium sanctum prædicationis Marci, qui locutus est, ac prædicavit Latinè Romæ.* Quo genere mortis cesserit fatis incertum; fabulosum enim, quod à quodam dictum, 24. Aprilis die nonnullos impios Marcum sacris intentum fune in collum injecto comprehendisse, et traxisse dicentes, *Traximus bubalum hunc ad bubulci stabulum;* atque ita tractum animam Deo tradidisse. III. Evangelium *Lucæ*, Pauli συγγε, professione Medici, non pictoris; quamvis de ejus pingendi peritia miras narrent fabulas S. Metaphrastes, Gretserus, Nicephorus, et alii: scripsit ut volunt aliqui circa annum Christi 53. aut 56. alii 58. Creditur vixisse 84. annos, et sepultum Constantinopoli; alii dicunt in Bithynia fuisse martyrio affectum. Dorotheus tuetur Ephesi obiisse, Arabicus ejus vitæ apud Kirstenium scriptor ipsum Romæ, non diu post primam Pauli è carcere solutionem, passum. Nicephorus, ex fructifera oleæ arbore suspensum fuisse retulit. IV. Evangelium *Johannis Apostoli*, scriptum sub finem primi seculi; an in insulâ Patmos, an post reditum, disputatur, ultima opinio verisimilior. De eo varia narrantur, quorum multa incerta, nonnulla falsa. V. Acta *Apostolorum* à Lucâ conscripta circa annum Christi 58. historiamque continent 28. annorum.

XIII. Epistolarum quatuordecim Pauli ordo talis esse

videtur. I. et II. ad *Thessalonicenses* A. C. juxta quosdam 49. alios 52. alios 54. scripta est vel Athenis, ut habet communis subscriptio; vel Corinthi, ut credunt nonnulli. Epistola ad *Galatas* A. C. 53. vel 56. aliis 59. scripta, aut Romæ, ut habet subscriptio, aut Antiochiæ, aut Ephesi, quod probabiliùs nonnulli existimant: epistola I. ad *Corinthios* eodem anno sive Philippis sive Ephesi, quod verisimilius nonnullis videtur. Epistola II. ad *Corinthios* prodiit paulò pòst, forte ineunte anno 60; incertum, an ex Macedoniâ, an Philippis, an Epheso. Epistola ad *Romanos* creditur scripta an. 60. post utramque ad Corinthios, Græcè non Latinè; quibusdam placet scriptam an. 54 vel 58. Epistolæ ad *Philippenses*, ad *Philemonem*, ad *Ephesios* et ad *Hebræos*, scriptæ creduntur in primis vinculis, Romæ. Epistolam ad Hebræos inter epistolas Paulinas numeramus, et hoc invictè probat Celeb. Spanhemius; tum ex loco Petri, II. Pet. iii. 15. tum ex testimonio Græcorum Patrum, qui communi suffragio, Paulo hanc adscripsere epistolam, *Justini*, *Irenæi*, *Clementis Alexandrini*, *Origenis*, *Patrum Concilii Laodiceni*, *Eusebii*, *Alexandri* Alexand. Episcopi, *Athanasii*, *Ephræmi*, *Didymi* Alexand. *Cyrilli*, *Greg.* Nysseni, *Basilii*, *Greg.* Nazianzeni, *Amphilochii*, *Epiphanii*, *Theophili* Alexand. *Chrysostomi*, &c. tum ex testimonio plurium patrum Latinorum, tum ex phrasi, tum ex Pauli genio in oraculorum propheticorum applicatione; tum ex methodo Apostolo consuetâ, tum ex salutatione, ac signaculo apposito, Paulo solito 2 Thess. iii. 17. tum ex vinculis, quorum mentionem facit Heb. x. 34. et quorum frequenter recordatur Paulus in aliis epistolis; tum ex eo quod auctor epistolæ scribit ex Italiâ, et meminit Timothæi; quæ omnia in Paulum quadrant; tum ex eo quod nulli tribuitur verisimilius, non Lucæ, non Clementi Romano, non Barnabæ, non Apollo, non Marco Evangelistæ, multò minus Tertulliano, ut quidam, referente Sixto Senensi Bibl. lib. vii. c. 8. delirarunt. Epistola ad *Colossenses*, 1. ad *Timotheum* et epistola ad *Titum* inter priora et posteriora vincula scriptæ creduntur; in posteribus verò vinculis paulò antè mortem, Romæ scripta est II. ad *Timotheum* A. C. 64.

XIV. De aliarum *Petri*, *Jacobi*, *Johannis*, et *Judæ* epistolarum tempore, nihil certi dici potest. *Apocalypsis* scripta putatur, A.C. 95.

XV. Atque hi sunt libri, ex quibus verbum Dei scriptò consignatum constare crediderunt *Judæi*, si de libris Veteris

Testamenti agatur, et *Christiani*, si de Novi Testamenti libris quæratur: quamvis enim de quibusdam horum aliquando dubitatum sit, ut de Petri Epistolâ posteriori, Jacobi, Judæ, et duabus posterioribus Johannis, et Epistolâ ad Hebræos, atque Apocalypsi, non ab omnibus dubitatum esse, nec semper, certum est. Unum addam, primos libros Veteris Testamenti Hebraïcè scriptos, præter capita quædam quæ Chaldaico idiomate tradita sunt, in Daniele, et Ezra; addendus versicul. 11. c. x. Jeremiæ, alios verò N. fœderis Græcè; quia hæc lingua notissima inter Gentes, quas ad sui communionem vocare volebat Deus; imò Romanâ ipsa notior, *dum enim Latina suis finibus* exiguis sanè *continebatur*, (ita Cicero) *Græca in omnibus fere gentibus intelligebatur.*

CAPUT VI.

De Divinitate Librorum Scripturæ.

I. HACTENUS vidimus, in quibus libris reperiri credatur Verbum Dei; verùm quia dubitari posset, an revera illi sint divini, prout habentur, jam illud nobis probandum.

II. Ut id fiat, inquirendum est in eos characteres, qui concipiuntur esse debere in libris θεοπνευστοις, et ex quibus dignosci potest opus divinum ab humano; posteà videndum, an ii characteres, in libris citatis capite superiori, occurrant; utrumque jam præstabimus, postquam de duobus hisce monuerimus. I. Non unum characterem ab alio sejungendum; posset enim fieri, ut aliquis horum characterum in libro humano reperiretur. II. Non necesse esse hos omnes characteres in singulis libris inveniri; non enim opus est, ut eodem splendore fulgeant omnes, ut non eodem modo emicant in cœlo sidera.

III. Sane attentè inquirenti in characteres divinitatis alicujus libri occurrunt præcipuè isti sequentes;

Primus character est, nihil nisi verum dicere.

Secundus, ea pandere mysteria, quæ ab humano ingenio emanare non possint, sed quæ tamen cum iis notionibus, quas Deus naturæ mentibus impressit belle, consentiant.

Tertius, cultum nostrum et animos unicè ad verum Numen dirigere.

Quartus, ita mentem informare, ut inexpleta aviditas dis-

cendi conquiescat, modo facessat ingenii humani pervicacia.

Quintus, sanctissimis præceptis homines adducere ad Deum supra omnia amandum, omnibusque vitiis abrenuntiandum.

Sextus, sibimet semper constare, nihilque habere repugnans.

Septimus, ea docere, quæ sedent planè omnes animi motus, et pace ac gaudio inenarrabili mentes perfundant; animumque humanum ita subigant, ut Dei legibus, suavi, sed potentissima vi, obtemperare cogant.

Octavus, ea prædicere, quæ à nullo homine cognosci poterant, et quæ tempore designato impleta sint. Non plures addo, sufficiunt enim isti notati characteres, et si ille Liber, in quo extant, non sit divinus, nescio quid sit divinum; jam videndum, an tales extent in libris V. et N. Testamenti.

IV. Quoad *primum* characterem facile est demonstrare, *nihil esse in illis Libris, quod non sit verissimum.* Nam si quid esset, de cujus veritate dubitari posset, ferent procul dubio historiæ, quæ narrantur vel à Mose vel ab Apostolis. At illas historias certas esse ita demonstramus. Et ut à Mose incipiamus, si falsa essent, quæ Moses narrat, insignis impostor fuisset, omniumque odio dignus; nec enim verisimile istum ab alio fuisse seductum. At non fuisse impostorem probatur. 1. Capi vix potest, quomodo adeò insignis et profligatus impostor legem eximiam et sanctissimam, à quâ quicquid boni cæteræ habent, mutuatæ sint, excogitare potuerit, ut suæ imposturæ faveret. 2. Concipere etiam non possumus, ea voluisse fingere, quorum falsitatis ab omnibus convinci potuisset; ea enim narrat, quæ coram sexcentis hominum millibus peracta fuerant, quibus mendacia ipsius arguere facillimum erat. 3. Concipi iterum non potest, qui factum, ut nullus ex tanto hominum numero, quorum plurimi adversus eum sæpè insurgebant, suam illi unquam fraudem objecerit, vel saltem post ejus mortem in ejus memoriam grassatus sit. 4. Quo consilio, quâ mente, quo fine illa finxisset intelligi nequaquam potest; cùm alienus à lucri vel gloriæ cupiditate Moses fuerit; imò ita ingenuus, ut suos nævos, suamque incredulitatem non dissimularit. 5. Si falsa dixit, cur tamdiu manserunt apud populum Judaïcum monumenta eorum, quæ scripserat Moses, ut *manna*, quæ in urnâ aureâ asservabatur, *virga Aaronis*, quæ floruerat, *serpens æneus*, *tabulæ lapideæ*, quibus inscriptus erat decalogus, *arca fœderis et taberna-*

culum, paschatis ceremonia in memoriam eorum quæ in Ægypto peracta fuerant, *festum tabernaculorum* in memoriam diuturnæ in deserto commorationis, et alia multa. 6. Quibus omnibus addenda sunt testimonia ipsorum ethnicorum, qui veracissimi auctoris laudem Mosi denegare non ausi sunt.

V. Verùm, ne quis credat in fraudem Mosis consensisse Israëlitas ad majorem genti gloriam conciliandam; observandum nullo fundamento hanc exceptionem afferri. Nam 1. si consensissent in fraudem Mosis, cur ex illis libris non sustulerunt ea, quibus suæ genti infamiæ notas viderunt inuri, scilicet crebras rebelliones, ac peccata gravissima, quæ in æternum populi probrum cedunt? 2. An se subjecissent jugo ἀβαράκτου legis durissimæ, si persuasi verè fuissent talem Legem fuisse merum Mosis commentum? Cur populus tam duræ cervicis Legis molestissimæ, quæ minimas transgressiones severe ulciscebatur, jugum adeò facilè subit, si de divinitate vocationis Mosis et veritate dictorum ejus non convictus sit?

VI. De Apostolorum testimonio dubitari etiam non potest, et verissimum esse ita evincimus. *Primò*, suspicari nemo potest eos seductos fuisse ac deceptos; nam non testantur id quod multò ante sua tempora gestum, aut in alio Orbe præstitum, quodque ex aliorum relatione, et incerto rumore audiverant, sed quod omnibus suis sensibus palparant; nec uno tantùm, alterove temporis momento; sed per plures dies; nec leviter et perfunctoriè, sed diu admodum et cum scrupulo, aliquando hæsitantes, donec plena iis fides fieret. Rursus non agebatur de rebus arduis, in quibus rudes et illiterati potuissent facilè decipi, sed de factis in sensus et oculos incurrentibus, ut de resurrectione Christi, cum quo toties versati fuerant. Tandem dici nequit, eorum facultates fuisse maiè dispositas, nulla enim præ se ferunt indicia emotæ mentis, imò compositum animum et verbis et vitâ probant.

Secundò, fallere homines voluisse Apostolos concipi nequaquam potest. Nam 1. ab omni fraude alienos fuisse, et viros probos, probat istorum omnium vita, et testati sunt ipsi Christianorum hostes. 2. Cui bono illud præstitissent, nec divinare licet; qui mentiuntur, aliquod mendaciorum emolumentum sperant; fallere enim, ut fallas, vix in hominem cadit; at viventes Apostoli nihil sperare poterant præter ea omnia, quæ pertimescere solent mortales, inopiam, exilia, cruciatus, extrema supplicia, et post mor-

tem infamiam. 3. Non verisimile est tot mala tolerare voluisse pro mendacio. Aliquem pati pro errore, quem veritatem esse credit, non mirum; sed aliquem pro errore, quem novit esse errorem, innumeros cruciatus ferre velle, vix credibile. 4. Incredibile etiam nullum ex illis, aut ex eorum discipulis, coram tribunalibus judicum ad conspectum mortis fraudem fassum fuisse. 5. Incredibile tot sancta præcepta data fuisse à viris adeò sceleratis, si revera tales impostores fuissent. 6. Adhuc incredibilius, eos voluisse mori pro Christo; qui si non resurrexisset miserè eos delusisset. 7. His addenda sunt miracula, quæ illi iidem Apostoli patrabant, ut suam confirmarent doctrinam. 8. Si fallere voluissent Apostoli, se accommodassent genio populorum, quos alloquebantur; ipsorum libidinibus consensissent, ut Muhammed; sermonum lenocinia adhibuissent, ac solicitè vitassent quicquid eos, cum quibus res erat, lædere poterat. Nihil tamen simile Apostoli præstiterunt. Contraria carni dixerunt, adversus depravatos hominum mores clamarunt; Judæorum traditiones, Ethnicorum religionem fortiter impugnarunt; nec evangelium cum ceremoniis Judaicis commisceri passi sunt; phalerata et calamistrata verba non quæsiverunt; simplici stylo utentes. Quis talia præstantes fallere voluisse suspicaretur? Tandem observandum Apostolos fallere non potuisse, etsi voluissent, siquidem ea referunt, quorum innumeri fuerant testes. Atque hæc sufficiant ad veritatem librorum sacrorum scriptorum adstruendam, et ad probandum primum characterem illis revera competere.

VII. *Secundum* Divinitatis *characterem* diximus esse, *ea pandere mysteria, quæ ab humano, imò angelico ingenio emanare non possint, sed quæ cum iis notionibus, quas naturæ Deus mentibus impressit, bene consentiant.* Jam iste character apprimè competit libris Veteris et Novi Testamenti; ea enim docent mysteria, quæ ab humanâ et angelicâ ratione nunquam investigari potuissent, ut mysterium *trinitatis, incarnationis, satisfactionis Christi, resurrectionis mortuorum;* quæ mysteria, etsi humanæ rationis captum superent, notiones tamen illas, quas natura mentibus impressit, neutiquam evertunt; imò optimè cum illis cohærent, v. g. mysterium *pluralitatis* personarum in unâ essentiâ, necessariò connectitur cum opere redemptionis nostræ per incarnationem personæ infinitæ; opus illud redemptionis cohæret cum necessitate satisfactionis justitiæ divinæ, quam ipsa ratio agnovit, unde omnes gentes sacrificia obtulerunt; necessitas satisfactionis cum corruptione

universali hominum; at corruptionem hanc sentiunt, omnes et fatetur ratio. Quibus addendum, libros hosce esse primum fontem, ex quo hæc mysteria hausta sunt, nequis alibi in libris humanis hæc legi asserat.

VIII. *Tertius* character, *cultum nostrum, et animos unicè ad veri numinis gloriam dirigere*, libris illis Veteris et Novi Testamenti denegari nequit; nam quorsum eorum doctrina tendit, nisi ut deposita omni idololatria, superstitione, omnique in operibus nostris fiducia, admiremur unum Deum, in eum credamus, eum totis viribus amemus, ei obsequamur, eum cum summâ animi demissione colamus, nos nostraque omnia ad ejus gloriam referamus, in eo acquiescamus, ab eo toti pendeamus, in eoque omnem nostram spem atque fiduciam collocemus?

IX. *Quartus* character est, *ita mentem informare, ut inexpleta aviditas discendi conquiescat, modo facessat ingenii humani pervicacia.* Quantùm iste character libris hisce conveniat, patet evidenter, si attendamus ad ea, quæ docent. Docent originem mundi et rerum creatarum, Dei naturam et opera, ejus providentiam et attributa, ejus consilia et decreta, quæ scilicet nosse juvat, originem miseriæ humanæ, ejus magnitudinem, remedium illi adæquatum, veram viam ad felicitatem, statum animæ post mortem, aliaque id genus. Quid necesse est, quæso, cognoscere, quod in illis non nanciscaris.

X. *Quintus* character petitur à *Sanctitate præceptorum*; hic character in illis libris non minùs cernitur; illa enim præcipiunt erga Deum et homines officia, quibus nulla dantur sanctiora, et quibus nihil simile est in Lycurgi aut Draconis legibus, in Stoicorum præceptis, in omnibus philosophorum effatis. Quid enim sanctius, quæso, quàm jubere homines, ut se ipsis abnegatis Deo toti se mancipent, ipsâ vitiorum radice resectâ, pravâ omni cupiditate et omni mali specie procul esse jussis? Nunquam sanè de vetanda concupiscentia homines cogitassent, et ipse Paulus fatetur, quod nunquam credidisset illam esse peccatum, nisi lex prohibuisset. Ex hoc *quinto charactere* evincimus, Diabolum non posse esse auctorem horum librorum. Vafrities, et calliditas ejus non sinunt ut fingat libros ingenio suo adversos, et regno suo per se noxios; subditos similes sibi amat, non hostes.

XI. *Sextus* character est, *sibimet semper constare, nihilque habere repugnans*; nec minus congruit libris hisce: nam etsi tot sint à variis auctoribus conscripti diversis seculis

mirus est tamen inter se consensus, quod invictam argumentum est, eundem Spiritum eorum librorum esse auctorem.

XII. *Septimus* character est, *ea docere, quæ sedent planè omnes animi motus, et pace et gaudio inenarrabili mentes perfundant, &c.* Nemo sanè ipsum characterem libris hisce competere dubitabit, qui attendet, in iis libris doceri modum quo Deus iratus placatus est, et rationem ipsi placendi, atque ab eo vitam ac immortalitatem impetrandi; quique observabit eos nos solari adversus omnia, quæ solicitum habent animum humanum,et quibus angitur,ac quibus æstuat; cujus *angoris* tres vulgò recensentur causæ; hujus *vitæ miseriæ, mortis terrores, peccati conscientia.*

XIII. Huic septimo characteri alius adjungendus est, petitus ab efficaciâ horum librorum in convertendo homine; ita enim penetrant in hominum animos, ut quamvis iis insint ab ortu tenacissima impietatis semina, tantam mutationem inducant, ut peccatum odio habere, veramque virtutem sequi incipiant. Ideo Paulus aiebat I. Thess. ii. 13. Dei sermonem agere in iis qui credunt; et hanc ob causam, à scriptoribus sacris igni, malleo, gladio ancipiti, seminique comparatur. Jer. xxiii. Heb. iv. I Pet. i. Hinc rectè Lactantius, Inst. lib. iii. c. 25. *Quod illi*, Philosophi scilicet, *poscente naturâ faciendum esse senserunt, sed tamen neque ipsi facere potuerunt, neque à philosophis fieri posse viderunt, sola hæc efficit doctrina cœlestis, quæ sola sapientia est &c. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrænatus, paucissimis Dei verbis tam placidum quàm ovem reddam, &c.*

XIV. Tandem *octavus* et ultimus character, est, *ea prædicere, quæ à nullo homine cognosci poterant; et quæ tempore suo impleta sunt;* et hic character multùm emicat in iis libris: cui enim ignota sunt vaticinia de terrâ Canaan danda Israëli, de captivitate Babylonicâ, de Cyro, de quatuor monarchiis, de victoriis Alexandri Magni, de Christi nativitate, morte, resurrectione, ascensione, de ejus familiâ, matre, urbe, et de vocatione Gentium, de effusione Spiritûs Sancti, de urbis Jerusalem excidio, et aliis innumeris, quæ sanè non nisi à Deo ipso prædici potuerunt. Et hoc argumento utuntur Origines, Tertullianus, Lactantius, et Augustinus.

XV. Ex his patet igitur hos libros esse divinos,. Verùm hoc confirmatur, 1. Ex mirâ illorum in hunc usque diem conservatione, ringentibus hostibus potentissimis, qui illos perdere voluerunt, cùm tot alii libri perierunt. Libri de

mysteriis Ægyptiorum, et religione Druidarum ac Sibyllina carmina interciderunt. Innumera alia volumina perierunt, sola Scriptura mansit, nec ad eam abolendam valuerunt, aut Antiochi Epiphanis immanis sævitia, aut Decii et Diocletiani furor, aut Juliani versipellis impietas, aut Porphyrii, Luciani, Celsi scripta virulenta. 2. Ex styli majestate ac simplicitate ipsis Ethnicis veneranda. Majestas styli ubique elucet, tum in narrationibus, tum in hortationibus, tum in promissionibus et minis, tum in controversiis tractandis. Majestas hæc cum summa comitate conjuncta est. Rectè observatum barbarorum esse, dum volunt retinere majestatem, nullum locum relinquere comitati; eorum itidem, qui nesciunt regnare, dum student comitati, negligere majestatem, sed regum, qui verè reges sunt, hoc esse proprium, ut quicquid dicant, faciantve, utraque virtus emicet, majestas et comitas. Utraque in sacris libris deprehenditur. Insulsè autem ageret, qui stylum incomptum sacrorum librorum carperet, quia multa minùs videntur græca, et multa pro solœcis grammaticorum filii habent; Spiritus enim Dei ὑπερορᾷ μικρολογίαν συγγραφικήν, ut ait eleganter Synesius, *calcat grammaticorum scita, et nullis famelicæ artis legibus obligari se patitur.* 3. Ex numero martyrum, qui sanguine confirmarunt; martyrumque, quorum patientia non atræ bili tribuenda; non barbaræ cuidam consuetudini, qualis est istorum populorum, qui se ad tibiarum modulamina præcipites agunt; non animi ferociæ aut gloriæ cupidini, sed divino auxilio adscribenda, unde eorum patientia conjuncta fuit cum summa pietate, modestia, mansuetudine animi demissione, aliisque virtutibus. 4. Ex conversione gentium, et ex propagatione admirabili religionis Christianæ in toto orbe per homines viles, infirmos, rudes, à fingendi, fraude et suspicione alienos, nulla Romanæ et Græcæ eloquentiæ suada instructos, sola persuasione, sine ullo auctoritatis subsidio, sine armorum auxilio, per mille mortes ac discrimina, frementibus inferorum portis.

XVI. His omnibus adjungendum est, hos omnes characteres simul junctos in nullis aliis libris reperiri, et hæc sufficiunt ad convincendos profanos.

In hac de divinitate Scripturarum sententia confirmamur testimonio ipsius Scripturæ, quæ se ipsam θεόπνευστον vocat, II. Tim. iii. 16.

CAPUT VII.

De Inspiratione Librorum Sacrorum.

I. Ex dictis de *divinitate Scripturæ*, satis superque patet, quid de *inspiratione librorum sacrorum* dicendum.

II. Sanè nemo eam negabit, qui attenderit; 1. In iis libris innumeras prophetias contineri; quæ nec à Prophetis, nec ab Apostolis excogitari potuissent, nisi divino afflati fuissent Spiritu. 2. In iis libris multa legi, quæ etsi præterita, à nemine sciri potuissent, nisi qui omnia novit, revelare dignatus esset. 3. In iis libris plura doceri adeò sublimia, et captum humanum superantia, ut ab hominibus subtilissimis fingi, nedum à rudibus Apostolis potuerint. 4. In eum finem libros illos conscriptos, ut essent semper regula fidei, morumque, quod non dici posset, si aliquid scripsissent Apostoli, absque afflatu Spiritus Sancti vel impulsu, vel saltem directione, et si aliqua in re inter scribendum cæspitassent. 5. Ab omni verisimilitudine abhorrere, Galilæos quosdam piscatores aut publicanos tot eximia scripsisse absque dictamine Spiritus Sancti. 6. Christum Apostolis pollicitum fuisse, Spiritum Sanctum eos deducturum in omnem veritatem John xvi. 13. Nec absque impietate dici posse, orbis Servatorem promissis suis non stetisse. 7. Ipsos Apostolos, quos impostores nemo sanus dicet, testatos fuisse se à Spiritu Sancto afflatos prædieasse et scripsisse; hæc loca consuli possunt. 1 Thess. ii. 14. *Nos gratias agimus Deo indesinenter, quod acceptum de Deo sermonem, quem audistis ex nobis, exceperitis*, non ut sermonem hominum, sed sicut est vere, ut Dei sermonem. 1. Cor. ii. 12. 13. *Nos verò non spiritum mundi accepimus, sed et Spiritum, qui est ex Deo, ut sciamus, quæ Deus est nobis gratificatus;* quæ *etiam loquimur*, non sermonibus, quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus Sanctus. 1. Cor. ii. 16. *Quis novit mentem Domini, qui instructurus sit eum?* Nos autem mentem Christi habemus. 1 Cor. xiv. 32. *si quis videtur Propheta esse, aut spiritualis, agnoscat, quæ scribo vobis esse Domini mandata;* Ubi observandum fuisse tunc temporis viros, quibus datum erat donum discernendorum spirituum; Eorum autem se examini subjicit Paulus. Adde, 1. Cor. vii. 40. *Puto autem me Spiritum Christi habere;* ubi notandum hæc dici in eodem capite, ubi dixerat Apostolus, *se aliquid docere, non Dominum*, v. 10, quia scilicet super hoc argumento,

nihil ex professo docuerat Christus, antequam conscenderet cœlos.

III. Verum ut rectè hæc materia intelligatur, varia annotanda sunt. 1. Non necesse esse supponere Spiritum Sanctum semper dictasse Prophetis et Apostolis singula verba, quibus usi sunt. 2. Innumera tamen scripsisse viros illos sanctos ex peculiari Spiritus Sancti suggestione, ut *prophetias*, quæ tum in V. tum in N. Testamento leguntur, ideo Paulus dicit I. Tim iv. 1. τὸ δὲ πνεῦμα ῥητῶς λέγει, et alia multa; ut *explanationem oraculorum*, &c. 3. Quædam scripsisse, quæ non opus erat, ut Spiritus Sanctus suggereret, ut ea quæ ipsi probè jam norant, quæ viderant, quæ audiverant, aut quæ ipsorum privata spectabant negotia. 4. Nihil tamen scripsisse, nisi vel inspirante Spiritu, vel impellente ad scribendum, vel dirigente; ita ut non passus sit Spiritus eos scribentes in re qualibet etsi minima errare.

IV. Eximiè consummatus Theologus Celeb. Witsius. *Fuerunt*, inquit ille, *Apostoli instrumenta Spiritus Sancti, sed rationalia; suo enim intellectu, judicio et sermone utebantur, ita tamen ut in eorum omnium usu dirigerentur à Spiritu Sancto, qui non adimebat ratiocinandi facultatem, quam natura concesserat, sed eam cœlesti lumine collustratam, et meditationibus suis occupatam, arcana sua virtute ita in judicando gubernabat, ut quod ipsis videbatur, revera dictamen Spiritus Sancti esset.*

V. Hinc mirum videri non debet: 1. Si audiamus Apostolos elicientes consequentias ex iis quæ vel viderant, vel à revelatione perceperant, ut cùm Petrus Act. x. 34. dicebat, post ea, quæ tum à Cornelio audiverat, tum ex visione lintei collegerat; *Verè comperio, Deum non esse* προσωπολήπτην; quas tamen consequentias non eliciebant, nisi ducente et dirigente Spiritu Sancto, ne aberrarent. 2. Non mirum etiam, si videamus in libris sacris formulas loquendi merè humanas: nam quamvis dici possit ita loqui Spiritum Sanctum per meram συγκατάβασιν; ut sæpe id præstat; forte etiam id contigit, quia Spiritus Sanctus sivit Apostolos uti suo sermone consueto.

VI. Sed hîc notandum 1. Spiritum Sanctum frequenter Apostolis quasdam dictavisse voces. 2. Nihil passum fuisse Spiritum Sanctum ab Apostolis scribi, quod non direxerit, adeo ut tutò ipsorum scriptis, absque ullius erroris periculo fidem adhibere possimus.

VII. Præterea hic observandum ex nostra sententia non posse inferri; 1. Aut Apostolos omnia scivisse statim ac

Spiritu Sancto *die Pentecostes baptizati sunt;* non enim ita censemus; hinc non mirum, si Petrus videtur ignorasse vocationem Gentium ante Cornelii baptismum; Spiritus quippe eorum cognitionem augebat, prout ratio temporum et Ecclesiæ profectus exigebat. 2. Aut Apostolos fuisse omnis peccati expertes; nec enim hoc necesse erat, sed necessarium omninò, ut in doctrina, quæ debebat esse fidei et morum regula, ne tantillum quidem hallucinarentur. Non mirum itaque, si aliquid Petrus præstet, in quo censuram Pauli mereat, Gal. II. intempestiva fuit *συγκατάβασις* Petri respectu Judæorum. 3. Aut Spiritum Sanctum iis revelasse, quicquid scire forte voluissent, quamvis scitu non necessarium; hinc non mirum, si dum quædam historica narrant, non accuratè indicent tempus, quo ea contigerunt, dicentes sæpissimè illud circa tempus aliquod accidisse; ita observat Lucas Jesum fuisse *ὡσὶ ἐτῶν τριάκοντα*, quum baptizatus est. Luc. iii. 23.

CAPUT VIII.

De Auctoritate Scripturæ, et a quo pendeat.

I. PROBATA Scripturæ divinitate et inspiratione, sequitur ejus *auctoritas*. *Auctoritas* enim *Scripturæ* nihil aliud est quàm jus et dignitas librorum sacrorum; propter quam in iis quæ credenda proponunt, dignissimi sunt fide, et in iis quæ omittenda vel præstanda præcipiunt, obsequio; jam autem ex quo evicimus, Scripturam esse à Deo, non ab hominibus, non a Diabolo; inde statim colligitur summam apud nos habere auctoritatem. Quis enim authenticum esse negaret quod divinum est?

II. Non aliunde ducit suam auctoritatem, quàm à Deo, qui ejus auctor est. Unde si à me quæratur, propter quod credam, Scripturam esse divinam, non aliter respondebo, quàm propter notas et characteres, quibus se esse à Deo probat, et quos intueor, non verò propter aliud testimonium; eodem modo ac siquis à me postularet, cur solem lucidum, saccharum dulce, suave olentem rosam existimem? Responderem me illud credere, quia solis radios video, sacchari dulcedinem gustu percipio, et suavem rosæ fragrantiam odoror. Eodem modo ratiocinari debemus de Scriptura, quæ est primum fidei principium, ac de principiis aliarum

scientiarum, quæ auctoritatem suam aliunde non mutuantur, sed per se innotescunt, et semet ipsa probant; idemque dicendum de verbo Dei, quod est summi nostri principis lex atque edictum, ac de legibus, quæ à subditis, quibus feruntur, à præconibus, quibus promulganda dantur, non mutuantur auctoritatem, sed illam unicè habent à principe, qui eas sancivit.

III. Non igitur suam ab ecclesiâ petit auctoritatem, quod pluribus evincemus argumentis, postquam uno verbo monuerimus, *Auctoritatem* esse ex genere rerum, quæ ad alias referuntur, et habere ad nos respectum, quia nihil aliud est, ut observavimus, quàm jus nos obligandi ad assensum, obsequium et fidem eorum quæ dicuntur, mandantur et promittuntur. Idque observamus, nequis dicat in se authenticam esse Scripturam, utpote à Deo profectam, sed istam auctoritatem quoad nos non obtinere, nisi propter Ecclesiæ testimonium.

IV. Probamus autem Scripturam non habere suam auctoritatem ab Ecclesiâ, sequentibus argumentis.

Primò, si Scripturæ autoritas ab Ecclesiæ testimonio suspendatur, auctoritas divina humanæ subjicietur, et Deo tantùm credemus propter hominum testimonium: sic *de humano arbitratu Divinitas pensitaretur, et homo jam Deo esse propitius auderet*, ut scitè non in eodem, in simili tamen argumento loquitur Tertullianus. At absurdum posterius: ergo et prius; *minor* est evidentissima, *major* est clara, nam Ecclesiæ testimonium hominum testimonium est, siquidem Ecclesia ex meris hominibus constat, qui homines non sunt θεόπνευστοι.

Secundò, si Scripturæ auctoritas quoad nos ab Ecclesiæ testimonio suspendatur, credemus tantùm fide humanâ Scripturam esse divinam. At absurdum est dicere, nos credere tantùm fide humanâ Scripturam esse divinam. Ergo &c. *Major* probatur ex eo, quòd fides divina illa est tantùm, quæ nititur auctoritate divinâ, jam autem Ecclesiæ auctoritas, ut observavimus, humana tantùm est auctoritas, nisi probetur eam regi infallibiliter à Spiritu Sancto; at illud non potest probari de ullâ ecclesiâ, post Apostolorum tempora; si enim illud probaretur, evinceretur vel ex Scripturâ, vel ex miraculis, vel ex signis afflatûs prophetici, vel ex lumine naturæ; neutrum autem dici potest; soli enim Prophetæ et Apostoli fuerunt erroris expertes. *Minor* evidens est; nam si credamus tantùm fide humanâ Scripturam esse divinam, nihil certi in religione habebimus, et nihil quod animum fluctuantem sistat.

Tertiò, si Ecclesiæ judicium, Scripturæ divinam auctoritatem jam supponat, tunc auctoritas Scripturæ non pendebit ab Ecclesia: at verum prius; *major* probatione opus non habet; *minor* ita probatur. Vel *absque ulla ratione* Ecclesia sibimet persuasit Scripturam esse divinam, vel *ob aliquam rationem;* absque ullâ ratione sibimet hoc persuasisse Ecclesiam, dicere, imò vel cogitare absurdum est; si *ob aliquam rationem*, non alia esse potest, quàm quæ petitur à characteribus divinitatis, qui Scripturæ insunt, et qui illi apud Ecclesiam authoritatem conciliant. Ecclesiæ igitur judicium Scripturæ divinam auctoritatem supponit; et auctoritas Scripturæ prior et superior agnoscitur judicio Ecclesiæ. Hoc argumentum confirmatur duplici ista observatione; 1. Scripturæ suam auctoritatem semper constitisse apud fideles, antequam ullum intercesserit Ecclesiæ testimonium per plura secula. 2. Rursus ita ratiocinari possumus; vel argumenta, quibus innititur fides Ecclesiæ, sufficiunt ad fundandam fidem nostram, vel non; si non sufficiunt, incerto tibicine fundata est fides Ecclesiæ, quod dici non potest, quin atheis aliisque Christiani nominis hostibus ansam de vera religione triumphos agendi præbeamus; si sufficiens, cur alia arcessimus argumenta ab Ecclesiæ testimonio.

Quartum argumentum tale est. Si Ecclesiæ auctoritas pendeat ab ipsa Scriptura, tunc sequitur, absurdum esse suspendere auctoritatem Scripturæ ab Ecclesiâ; at verum prius, ergo et posterius. *Major* est evidens, quis enim capere potest Scripturam mutuari suam auctoritatem ab Ecclesiâ, si ipsa Ecclesia nulla auctoritate polleat, nisi accipiat à Scriptura? *Minor* non minùs liquet; nam nulla alia Ecclesia pro vera agnosci debet; nisi *quæ fundatur super testimonio Prophetarum et Apostolorum*, Ephes. ii. 20. id est super *Scripturam;* et statui nequit aliquam esse veram Ecclesiam, nisi ante omnia intelligatur verum et divinum esse id quod Ecclesia pro vero et divino habet; quia per fidem illam, quâ veritati adhæret, Ecclesia habet quod Ecclesia sit. Jam autem non possumus nosse, an id quod pro vero habet Ecclesia sit verum, nisi ad scripturæ trutinam priùs expendamus.

Quintò, si Ecclesiæ auctoritas subjiciatur Scripturæ auctoritati, tunc Scripturæ auctoritas non pendebit ab Ecclesia. At verùm prius: ergo: *consequentia* evidens, *minor* ita demonstratur. Si Apostolorum auctoritas ab ipsis Apostolis subjiciatur scripturarum auctoritati, tunc auctoritas

Ecclesiæ subjici debet scripturarum auctoritati; nam auctoritas Ecclesiæ cujusvis seculi, quantacunque sit, non potest esse major Apostolorum auctoritate. At Apostolorum auctoritas ab ipsis Apostolis subjicitur scripturarum auctoritati: hoc probamus 1. ex verbis *Petri* Epist. II. cap. i. 19. dicentis *sermonem propheticum*, qui nihil aliud est quàm scriptura V. T. *esse firmiorem testimonio Apostolorum*, qui gloriam Jesu Christi oculis perceperant, quique vocem cœlitùs datam audiverant. 2. ex verbis Pauli, Galat. i. 8. *Licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præter id, quod vobis evangelizavimus, anathema sit.* Inde enim patet Apostolum auctoritatem suam quantumvis miraculis et cœlestibus visionibus confirmatam submittere evangelii ipsius auctoritati, adeò ut si quando contingere posset, ut inter se opponerentur, non tantùm illam suam auctoritatem flocci pendi consentiret; sed anathemate etiam percuti vellet.

V. His omnibus addendum est, nullam esse Ecclesiam, quæ tam illustres habeat suæ auctoritatis, quàm Scriptura sacra suæ divinitatis notas; et sensus communis dictat nullorum conciliorum, nullorumque hominum tantam esse auctoritatem quàm Dei loquentis in Scripturâ, nec enim ullum concilium vel Nicenum vel Chalcedonense &c. vel aliud quodvis æquiparari potest auctoritate, scriptis Mosis, Prophetarum, et Apostolorum. Unde evidenter patet neutiquam ab Ecclesiæ testimonio suspendendam esse auctoritatem horum librorum.

CAPUT IX.

De Ecclesiæ Testimonio circa Scripturam.

I. QUAMVIS probaverimus neutiquam suspendendam esse auctoritatem Scripturæ ab Ecclesiæ testimonio, non existimamus tamen, nullius usus esse hoc testimonium, imò non parùm habere ponderis ad animos hominum commovendos credimus. Eâ viâ primùm ad fidem provocamur, dum versamur extra Ecclesiæ pomœria; unde Augustinus de se Manichæo dicebat, Con. Ep. Fund. c. v. *Ego verò evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas;* hic enim *crederem et commoveret* sumitur pro *credidissem* et *commovisset*, juxta Africanum stylum.

II. Multiplex circa Scripturam Ecclesiæ officium est. Ad eam enim pertinere credimus, 1. Testamentum hoc divinum summa fide custodire, instar notarii, apud quem contractuum instrumenta deponuntur, 2. Indicare libros sacros et ad illos manuducere, ut *Johannes* Judæis Christum indicabat, Joh. i. 29. *Ecce agnus Dei, et Samaritana* Messiam concivibus suis, Joh. iv. 3. Verum et genuinum ejus sensum aperire, eamque interpretari. 4. Commentitia et notha scripta, à sacris et germanis, canonica ab apocryphis, distinguere, ut urbium præfecti regis sui diplomata ab adulterinis distinguunt. 5. Eam vindicare ab adversariorum cavillis et corruptelis. 6. Doctrinam in ea comprehensam instar præconis promulgare.

III. Atque ob eas causas Ecclesia vocatur *columna et firmamentum veritatis* à Paulo I. Tim. iii. 15. Non sanè quòd ab Ecclesia veritas auctoritatem suam mutuetur, quasi absque Ecclesiæ testimonio nulla esset apud nos veritatis auctoritas; sed quia Ecclesia veritatem prædicat, mundo exhibet, puram et sinceram retinet, eamque tuetur adversus Satanæ et mundi calumnias. Unde si nulla esset Ecclesia, nullique pii pastores, qui suâ prædicatione veritatem à tenebris et oblivione vindicarent, statim mendacia, errores, imposturæ, superstitiones, omneque genus corruptelæ regnum vindicarent. Alludit autem Paulus, 1. vel ad *columnas*, in quibus sedere solebant reges, quum aliquid solemne præstabant, ut II. Chron. vi. 13. quæ columnæ reges quidem sustinebant, et populis exhibebant, sed nullam auctoritatem ipsis conciliabant. Juxta eam allusionem dicere possumus, veritatem et reginam repræsentare Paulum, Ecclesiæ, veluti solio et columnæ insistentem, ut ab omnibus conspiciatur. 2. Vel ad *columnas* illas, quibus, ante curias et prætoria, leges et decreta magistratus publicâ auctoritate appendebantur, et programmata sive edicta affigebantur, ut omnibus innotescerent, de quo videndus Demosthenes et Athenæus. Testis enim est Demosthenes in antiquissimo Bacchi delubro, prope aram lapideam, columnam fuisse, in qua lex perscripta erat de uxore, cive, virgineque à rege ducenda; et referente Athenæo, in templo Herculis, quod *Cynosargis* dicebatur, ad columnam quandam appensum erat τηφισμα quoddam Alcibiadis. Juxta hanc allusionem Ecclesiam columnam veritatis dicit Paulus, quia veritas illi veluti appensa hominibus innotescit. 3. Vel tandem ad *columnas*, in quibus apud Gentiles falsorum deorum imagines cernebantur, eorum oracula inscribebantur, et eorum simulachra imponebantur. Sic Apostolus

vellet istis columnis mendacii et erroris, ubi nihil aliud quàm meræ fabulæ proponebantur, Ecclesiam veram opponere, in qua non exhibentur falsorum deorum simulachra, sed vera et expressissima veri Dei in carne manifestati imago, non proponuntur fabulæ, sed magnum pietatis mysterium, nec leguntur Apollinis λοξίου oracula flexiloqua, sed certissima veri Dei eloquia. Hic observare non pigebit, eos, qui vitæ sanctimoniâ vel doctrinæ splendore aliis præstabant, à veteribus στύλους καὶ ἑδραιώματα τῆς ἀληθείας vocatos; ita Chrysostomus Apostolos vocat *turres et columnas*, et Ignatius *mundi columnas* appellat. Eodem elogio insignitur Attalus Martyr, Athanasius, Eusebius Samosatensis, et alii complures.

IV. Ex dictis itaque constat multiplex quidem officium esse Ecclesiæ circa Scripturam, non tamen ab ea suspendi debere Scripturæ auctoritatem; quicquid enim agit Ecclesia circa verbum, non ulterius extenditur, quàm ut per eam credere dicamur, non verò propter eam, ut per Samaritanam crediderunt concives ejus. Idem enim Ecclesia, quod mulier illa concivibus suis, præstat nobis officium; ut enim Samaritana deduxit Samaritanos ad Christum, quo cognito illum amplexi sunt propter se ipsum, non propter Samaritanæ testimonium, ut ipsi asserunt, Joh. iv. 42; ita Ecclesia nos ad Scripturam ducit, eamque in manus tradit; sed quamdiu hîc hæremus, fides tantùm humana est, sive gradus ad fidem potiùs quàm fides, donec ad Scripturam deveniamus, eamque propter se amplectamur. *Eos sequamur*, ait Augustinus Con. Ep. Fundam, c. xiv. *qui nos invitant priùs credere, quod nondum valemus intueri, ut ipsa fide valentiores facti, quod credimus intelligere mereamur, non jam hominibus, sed ipso Deo mentem nostram intrinsecus firmante et illuminante.*

Hæc ita certa sunt, ut si quid Ecclesia addat, detrahat, aut, quoquomodo mutet in mandatis, quæ à Domino accepit, æquè atrox sit ejus scelus, ac notarii tabulas testamenti corrumpentis, aut præconis commentitium edictum promulgantis; aut præfecti regium chirographum ementientis.

Varia quæ hic possent observari ad tractatum de Ecclesia amandamus. Hoc unum addam, dictum scilicet Innocentii III. Pontificis Romani, *Judicium Dei*, inquit, *veritati, quæ nec fallit, nec fallitur, semper innititur; judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam et fallere sæpe contingit et falli.*

CAPUT X.

An unusquisque possit notas divinitatis, quæ sunt in Scriptura per se intelligere absque ulla ope Dei Spiritus.

I. HACTENUS evicimus Scripturam esse divinam, et notas habere divinitatis complures, ac proinde esse authenticam, nec ab alio auctoritatem suam mutuari opus habere. Verùm non existimandum est illas notas ab omnibus posse intelligi absque ope illius, qui has notas impressit, et qui scripturarum Auctor est, Spiritus Sancti nimirum, de cujus naturâ et operationibus in sequentibus erit dicendum.

II. Reverà, si homo haberet oculos mentis æquè puros, ac quum à Deo conditus est, sola notarum istarum inspectio sufficeret ad persuadendum, scripturas esse divinas, aut si homo in rebus divinis æquè perspicax esset, ac in humanis, sola Scripturæ lectio de ejus divinitate convinceret; sed adeò cæcus est homo in rebus spiritualibus, et tot præjudicatis opinionibus laborat, ut necesse sit *primum ejus oculum sanari, quo possit intueri solem suum*, ut loquitur Augustinus; quemadmodum cæco non satis est, ut sol omnibus suis radiis orbem illustret, si ejus facultas priùs non sanetur. Unde tot sunt, quibus isti characteres, etsi multoties propositi, nondum divinitatem Scripturæ persuaserunt.

III. Quomodo autem Spiritus nobis hanc divinitatem persuadeat, docebitur in Tractatu de Conversione, et postquam de Spiritûs Sancti natura et actibus disseruerimus. Verùm ne quid hic desideretur, observamus hæc pauca. 1. Non id facere Spiritum per voces quasdam in mentibus resonantes; ut si diceret, *Hic liber divinus est.* Nam nullus est inter Christianos, qui tales se audivisse voces jactare possit, et si hoc contingeret, dubitare quis posset, an vox illa à *Deo* proficisceretur, an ab *angelo tenebrarum*, qui sese nonnunquam in angelum lucis transformat, vel ab *aliâ causâ*. 2. Non id præstare, novas rationes proponendo, nam hoc redolet Enthusiasmum. Sed 1. Attentos nos reddendo, et alia omnia objecta, quæ animum distrahunt, avertendo, ut scilicet animus attentè criteria hæc divinitatis intuens, ex iis divinitatem Scripturæ sibi persuadeat. 2. Sedando affectus, et agendo in corpus nostrum. 3. Maximâ voluptate perfundendo mentes, dum lectioni Scripturæ vacant. 4. Objiciendo alios homines, qui de divinitate Scripturæ persuasi, idem nobis persuadeant. Aliaque *præstando*,

quæ nobis quidem ignota esse non mirum est, si quidem viæ Dei sunt ut plurimùm inscrutabiles. ¿Hoc modo aliisque similibus Spiritum illuminare, convincere, et convertere homines credimus; simulque intelligere possumus, quomodo tot hominum millia in Christianismi primordiis ad Christum converti potuerunt.

IV. Ille Spiritus non datur omnibus, ut notum est; rursus iis, quibus datur, non conceditur æquali mensurâ; unde non omnes libri sacri ab omnibus ex æquo pro canonicis semper sunt habiti: quidam enim rejecti ab his, qui ab illis fuerunt recepti, sed nullus est fidelis, cui non datus sit eâ mensurâ quâ opus est ad cognoscenda necessaria ad salutem.

V. Spiritus iste tamen *privatus* dici nequit, etsi sit in unoquoque fideli; quia est communis toti Ecclesiæ, ut sol *privatus* non dicitur, etsi unumquemque illustret, quia totum mundum illuminat. Ille Spiritus, qui unumquemque fidelem sua luce illustrat, ille idem in Ecclesia semper fuit, et verbum Prophetis et Apostolis inspiravit.

VI. Hic notare necesse est, multos, qui Spiritus Sancti ope scripturas esse divinas sentiunt, notas tamen divinitatis Scripturæ exprimere non posse. Veritas cœlestis sensus plurium hominum spirituales propria luce et suavitate sic afficit, ut se ignorari non patiatur, et magnam ingeneret certitudinem, quæ ad conscientiam tranquillandam sufficit; quum scilicet homo observat se in Scriptura reperire, quicquid ad legitimis animæ desideriis satisfaciendum necesse est, et quicquid ad felicitatem confert, divinam esse statim sentit, et agnoscit, quamvis rationes, propter quas divinam esse existimat, eloqui non possit. Sic idem iis Christianis contigit, ac rustico, qui graphicè, et affabrè pictam tabellam intuens in admirationem rapitur, etsi causas admirationis reddere nequeat; aut qui vocum suavissimum concentum audiens, summa perfunditur voluptate, etsi unde id fiat ritè enarrare non valet.

VII. Ex dictis patet, quidnam sit respondendum tribus illis quæstionibus, quæ formari possent, 1. *Propter quod credis Scripturam esse divinam?* Cui respondendum, *propter characteres* Divinitatis qui in ea elucent. 2. *Quis tibi hanc scripturam indicavit? quis illam esse divinam primùm dixit, quis ad eam manuduxit?* *Cui reponendum, Ecclesiam* Scripturam indicasse, et ad eam manuduxisse. 3. *Quis tuam mentem adeo illustravit, ut potueris notas divinitatis intelligere et nosse?* Cui dicendum, *Spiritum Sanctum* hoc præstitisse; quod confirmat tota Scriptura,

dum, absque Spiritu Sancto res divinas non intelligere homines posse, ubique testatur, quod pluribus demonstrabimus in Tractatu de Conversione hominis.

VIII. Hoc unicum addam, Spiritus Sancti testimonium facere quidem ad propriam singulorum fidelium confirmationem, sed non posse adhiberi ad aliorum convictionem, vel conversionem, quia soli fideli, in quo habitat Spiritus, notus est, unde ludibrium meritò deberet, qui vellet aliis persuadere Scripturam esse divinam, quia Spiritus Sanctus hoc ipsum docuit.

CAPUT XI.

De Perfectione Scripturæ.

I. DIVINAS esse Scripturas probavimus, ac suam auctoritatem ab Ecclesiâ minimè mutuari evicimus; easdem omnia continere ad salutem necessaria demonstrandum, ac proinde esse *perfectas*.

II. Illud autem probamus sequentibus argumentis. *Primò*, si Scriptura ea omnia revelet, quæ possunt ad salutem sapientes nos reddere, et quæ ipsos pastores perfectos reddunt, tunc sequitur esse perfectam, et omnia ad fidem et salutem necessaria continere. At verum priùs: ergo et posteriùs. *Major* est evidentissima, nam si Scriptura non contineret res omnes necessarias ad salutem, neutiquam posset virum Dei perfectum reddere &c. *Minor* constat ex II. Tim. iii. 15, 16. ubi Paulus ait Timotheum à puero sacras literas novisse, *quæ*, addit, *te possunt sapientem reddere ad salutem*, ac subjungit; *tota scriptura divinitus est inspirata, et utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus.* Patet igitur nos vim argumenti deducere, ex eo quòd observamus, 1. non dici tantùm Scripturam utilem esse ad aliquid; sed ad omnia, διδασκαλίαν veri, ἔλεγχον falsi, ἐπανόρθωσιν mali, et παιδείαν boni. 2. Dici, posse reddere hominem Dei ἄρτιον, et πρὸς παν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένον. 3. Dici, posse hominem σοφίσαι εἰς σωτηρίαν, *sapientem reddere in salutem.*

Secundum argumentum tale est. Cui nihil addendum aut detrahendum, sanè illud est perfectissimum, at nihil addere et nihil detrahere verbo suo jubet Deus; locus est expressus, Deu-

teron. iv. 2. *Non addetis ad verbum hoc quod vobis loquor, nec detrahetis ex eo*, et xii. 32. Ex eo loco argumentum eò validius exurgit, quod agatur ibi tantùm de lege Dei, ac de libris Mosis; nam si tunc temporis Deus voluit populum esse contentum unica illa regula, quam ipsi dederat, nihil ei plane adjungendo, nec detrahendo, quia scilicet perfecta erat revelatio pro ætate Ecclesiæ, annon perfectam dicemus nunc Scripturam, quum Deo placuit fusiùs et clariùs suam mentem revelare per Prophetas et Apostolos? Et annon summæ esset audaciæ aliquid ei addere, vel demere. Sanè, qui talia præstant, jure pertimescere debent, ne anathema incurrant, quo Johannes percutit addentes aliquid verbis suæ Prophetiæ, aut auferentes. Apoc. xxii. 18, 19. Saltem vitare non possunt, ne à Deo arguantur. *Ne adjicito ad verba ejus; ut non corripiat te, et efficiaris mendax.* Prov. xxx. 6. Nec mirum videri debet, si Deus qui vetat addere legi, ipse multa addiderit, non enim sibi sed hominibus legem fixit. Confirmatur istud *argumentum*, ex eo quod anathema dici velit Paulus, *iis qui aliud evangelium prædicant, præter id quod evangelizatum est, etsi foret Angelus.* Galat. i. 8. Ut vis hujus argumenti pateat, observandum. 1. Prophetas et Apostolos omnia ad salutem necssaria prædicasse, et omne Dei consilium nuntiasse, ut ipse de se docet Paulus, Act. xx. 20, 27. 2. Omnia illa ad salutem necessaria, quæ prædicaverant, scripto mandasse; illud evincitur, (1.) Ex eo, quòd si non Scripto mandassent, quæ prædicaverant, quomodo juberent anathemate percuti illos, qui præter id, quod evangelizabant, prædicare aliquid auderent, si quidem certò cognosci non posset, an reverà illud, quod proponeretur, esset præter Apostoli prædicationem, si ipsa prædicatio scriptis consignata non esset. (2.) Colligitur ex eo, quòd ipse Paulus dicit se nihil nuntiasse, præter id quod Prophetæ et Moses prædixerant, quod tunc scriptum erat, Act. xxvi. 22. (3.) Ex eo, quod ipsi Apostoli docent se ideò scripsisse, ut homines credant, et per fidem adducantur ad vitam æternam, Joh. xx. 31. I Joh. v. 13. At si non omnia necessaria ad salutem scripsissent, non potuissent homines ad vitam æternam adducere. Tandem, quia non verisimile Apostolos res necessarias omisisse, quum tot scriptis mandarunt, quæ non necessaria videbantur, et quidem, ut pleniùs nos instituerent.

Tertium argumentum ita procedit. Si Scriptura esset imperfecta, hoc factum esset, vel quia Deus noluisset omnia ad salutem necessaria scribi, vel quia Apostoli nolu-

issent ea scribere, etsi Deus jussisset. *Posterius* nemo dicet; *prius* defendi nequit; nulla enim ratio afferri potest, cur Deus voluisset partem tantùm rerum necessariarum ad salutem scribi, aliam verò partem incertæ hominum traditioni committere.

III. Alia argumenta non afferimus, hæc enim sufficiunt, et attentè legenti Scripturam abundè patebit, eam complecti ea omnia, quæ fidem, spem et sanctimoniam ingenerare possunt, ac proinde quæ ad salutem sunt necessaria. Verum hîc notandum:

1. Quædam esse necessaria ad salutem omnibus naturaliter nota, ut existentiam Dei animæ immortalitatem, quæ, non necesse est, ut ex professo in Scripturis tradantur. Supponi debent, non probari, licèt ea reperiantur et confirmentur in Scripturis, quia etsi naturâ nobis certò cognita esse debeant, fatendum tamen eorum nonnulla obscura, atque ambigua videri quibusdam. 2. Non expressis verbis omnia ad salutem necessaria in Scriptura doceri, nec necesse fuisse, sed quædam ἀντολιξᾷ legi, alia per legitimas consequentias educi tantùm. 3. Non necesse esse, ut Scriptura contineat expressè rejectionem omnium hæresium, vel exortarum, vel oriturarum; ut enim rectum est index sui et obliqui, facilè refelluntur errores ex veritatis positione. 4 Perfectionem Scripturæ non eandem semper fuisse quoad gradus; pro variis enim ætatibus Ecclesiæ crevit revelatio, non quoad substantiam rerum credendarum, sed quoad clariorem earum manifestationem. 5. Perfectionem Scripturæ nequaquam ministerium ecclesiasticum excludere, aut actionem Spiritus Sancti necessariam ad conversionem: quicquid enim viva voce docent pastores, ex Scriptura quoad substantiam depromtum est, et actio Spiritus Sancti nihil aliud est quàm impressio in cordibus nostris doctrinæ in Scripturis traditæ. Regula minùs perfecta non est, etsi requiratur manus ad eam applicandam. 6. Perfectionem illam restringendam ad ea, quæ ad salutem sunt necessaria, nec enim scopus Dei, quando scripturas dedit, fuit nos reddere, vel philosophos, vel mathematicos, vel medicos, &c. 7. Inter ea, quæ ad salutem sunt necessaria, non ea omnia reponenda, quæ ad religionem aliquo modo pertinere possunt, vel quæ à Christo, et sanctis viris dicta et facta sunt. Nec enim negari potest, multa à Domino in terris versante præstita, et dicta, quæ nec in Scripturis, nec in ullo alio libro leguntur, et plura esse religionis adminicula, quæ versantur circa ritus ecclesiasticos, quæque ecclesiarum rectorum pruden-

tiæ relinquuntur. Hanc perfectionem Scripturæ agnoverunt Patres. Verba sunt luculenta Tertulliani de præscript. adv. hæreticos. *Nobis*, inquit, *curiositate opus non est post Christum, nec inquisitione post evangelium: cùm credimus, nihil desideramus ultrà credere: hoc enim priùs credimus, non esse quod ultra credere debeamus* quo quid dici potest manifestius, nisi illud adversus Hermogenem. *Scriptum esse doceat Hermogenis officina; si non est scriptum, timeat, Væ illud, adjicientibus, aut detrahentibus destinatum.* Nec aliter Cyprianus, Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, et alii. Quibus addam tantùm hoc Thomæ Aquinatis. *Apostolorum successoribus non credendum, nisi, in quantum nobis annuntiant ea, quæ illi in scriptis reliquerunt.*

CAPUT XII.

An nullus detur Traditioni locus?

I. Ut rectè hæc intelligatur quæstio; explicanda est vox *Traditionis*. Observandum est igitur, 1. Vocem istam aliquando generaliter sumi pro *doctrina, quæ communicatur*, sive id fiat vivâ voce, sive scripto, ut quum Paulus dixit Thessalonicensibus II. Thess. ii. 15. *Tenete traditiones, quas edocti estis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* 2. Vocem istam quandoque designare doctrinam, quæ viva voce docetur, etsi postea scripto consignetur, ut quum Paulus ait Corinthiis, *Accepi à Domino quod et tradidi vobis.* Doctrina enim de cœnâ, de quâ hic agitur, quam Paulus viva voce docuerat, literis postea ab eo mandata est. 3. Vocem istam sumi etiam pro doctrinâ non scriptâ; ita Christus Matth. xv. 3. prohibebat traditiones Judæorum. *Quare vos transgredimini mandatum Dei per traditionem vestram.* Hîc autem non inutile erit observasse, Judæos traditiones suas mirum in modum jactasse, et non minoris fecisse legem oralem תורה שבעל פה quàm legem scriptam תורה שבכתב, utramque à Deo Mosi datam tuentes, ac propter legem oralem initum esse fœdus cum Israëlitis, dicentes; ut loquitur auctor libri עמודי גולה. Quinimò eò usque nonnulli studium traditionum extollunt, ut non modò solis Scripturis inhærentes, tanquam hæreticos *Karraim* nomenclatura insectentur, sed et scribere non erubescant,

Bibliis sacris studere, esse tempus perdere. 4. *Traditiones* alias esse *dogmaticas*, de rebus ad fidem vel ad mores pertinentibus; alias esse *historicas* vel *rituales*, hoc est de ritibus et cæremoniis.

II. Hisce positis, respondemus, 1. Non id omne, quod sub traditionis nomine comprehenditur, rejiciendum esse; alioquin rejiciendæ forent Scripturæ, quæ traditiones aliquando vocantur. 2. Non quodcumque vivâ voce docetur damnandum esse; nam ea ipsa, quæ Scriptura docet, viva voce primùm promulgata sunt, et etiamnum hodiè prædicantur. 3. Omnes traditiones rituales et historicas, de rebus gestis, aut de ritibus et cæremoniis liberæ observationis, non esse rejiciendas. 4. Alicujus esse posse usus traditiones, in rebus, quæ ad fidem et mores spectant, tum ad illustrationem Scripturæ locorum, tum ad veritatis defensionem, modo semper auctoritati Scripturarum subjiciantur, et in ordine rerum humanarum habeantur. 5. *Tandem*, non opus esse recurrere ad *traditiones* illas *dogmaticas*, ut ex iis hauriamus necessaria dogmata ad salutem; quasi illa non continerentur in Scriptura, nedum ut credamus pari pietatis affectu et reverentia cum Scripturâ esse recipiendas.

III. Probamus autem veritatem ultimæ illius propositionis, (aliæ enim probatione aut explicatione non indigent) pluribus argumentis. 1. Si quicquid est in religione essentiale et necessarium, quod ad fidem vel ad mores spectat in Scripturâ contineatur, tunc non opus est ad traditiones recurrere; at verum prius, ut evicimus capite sup. ergo et posterius. Petro Clemens Alexandrinus hoc tribuit ἀπόφθεγμα, *nihil sine scriptura. Scripturis non loquentibus quis loquitur?* aiebat Ambrosius. 2. Quia Deus ipse damnat traditiones omnes dogmaticas, extra Scripturam. Jes. xxix. 13. Matth. xv. 3. et 9, non eas tantùm, quæ fidei adversantur, sed eas omnes, quibus conscientia gravatur, qualis erat v. g. *lotio manuum* ante cibum à Pharisæis usurpata. 3. Quia fides Christianorum debet niti auctoritate errori minimè obnoxia, aliàs non esset fides divina. At si niteretur traditionibus, non niteretur auctoritate erroris experte, nam nemo certè persuasus esse potest, an illa traditio, quæ proponitur, et quæ in Scripturâ non legitur, originem habeat à Christo vel Apostolis, idque eò magis, quod sæpe traditionum nomine multa commendentur, quæ inter se pugnant: ita traditionem suam jactabant Ecclesiæ Asiaticæ de celebrando paschate die decimâ quartâ lunæ, ob id dicti quartodecimani, et hanc traditio-

hem habere à Johanne aiebant Polycrates et Polycarpus; at aliæ Ecclesiæ contrarium censebant, et traditionem hanc se habere dicebant ab aliis Apostolis; Cui credas, obsecro? Sanè traditio vivæ vocis infida est, et parùm tuta veritatis custos, et idem de ea ac de famâ dici potest; *Tam ficti pravique tenax quàm nunquid veri.* Hanc ob causam haud illepidè nonnulli Scripturam horologii sciatherici, sive solaris gnomoni similem esse dixerunt, quia ut ipse immotus umbrâ suâ horas indicat, ita Scriptura immota est regula, minimè Lesbia; at traditionem contulerunt cum automati gnomone, qui irrequietus semperque versatilis, horas non nisi motu et mucronis sui conversione demonstrat.

CAPUT XIII.

De Perspicuitate Scripturarum.

I. Non tantùm omnia necessaria ad salutem perfectè complectitur Scriptura, sed et dilucidè et perspicuo modo ita ea continet, ut cuivis homini, cujus oculos non planè occæcavit hujusce seculi Deus, pateant et innotescant.

II. Illud probamus variis rationibus: 1. Quia Scriptura ipsa multis locis sibi testimonium præbet suæ perspicuitatis et evidentiæ, tum respectu legis veteri populo datæ, tum respectu evangelii, quo novum fœdus comprehenditur; Deuter. xxx. 11. *hoc mandatum, quod ego tibi præcipio hodie, non est occultum à te, neque remotum est, non in cœlo, ut dicas, quis ascendet pro nobis in cœlum &c. Sed propinquum est tibi verbum valdè in ore tuo, et in corde tuo.* Ps. cxix. 105. *Lucerna pedi meo verbum tuum, et lumen semitæ meæ,* II. Petr. i. 19. *Habemus firmissimum illum sermonem Propheticum, cui rectè facitis quod attendatis veluti lucernæ splendenti in obscuro loco.* II. Cor. iv. 2, 3. *Quod si opertum est Evangelium nostrum, iis qui pereunt opertum est.* 2. Quia frustra data fuisset Scriptura, si obscura esset: Scriptura enim data est ut nos doceat, et ut sit fidei norma, observante Paulo, Rom. xv. 4. *Quæcumque scripta sunt ad doctrinam scripta sunt.* At quomodo doceret, si delphici Apollinis oracula obscuritate suâ superaret, vel æquaret, ac quomodo ejus decisiones, si obscuræ essent, fidei et morum norma esse possent. 3. Vel Deus non potuit se clariùs hominibus patefacere, vel noluit:

non potuisse nemo dicet, noluisse absurdissimum est. Quis enim crederet Deum Patrem optimum suam voluntatem filiis suis patefacere noluisse, cùm hoc necessarium esset, ut facilius obsequi possent homines.

Quartum argumentum deducitur ex inspectione rerum omnium necessariarum ad salutem, quæ perspicuè nobis traduntur. Quid enim clarius iis, quæ in decalogo continentur, et quæ ad duo præcepta reducit Christus Matth. xxii. Et quis illa dogmata, quæ in symbolo Apostolorum leguntur, perspicuè per totam Scripturam inculcari, explicari, et doceri neget?

III. Verùm hic varia observanda. 1. Concedimus, quædam obscura et difficilia intellectu esse non modo, in *epistolis Pauli*, ut docet Petrus, sed et *in aliis libris:* quod Deus ita voluit, ut excitaret fidelium studium, eorum diligentiam augeret, aliorum superbiam domaret, fastidiumque abstergeret, quod ex nimia facilitate suboriri poterat: ea enim, quæ sunt in medio posita, humana indoles transvolare et despicari solet; at negamus illa esse necessaria ad salutem. Aut si quædam ex illis sunt necessaria, alibi explicari pertendimus, ut dicemus infrà: *Scriptura*, ut ait Greg. in Epist. ad Leandrum, *habet in publico, unde parvulos nutriat, sicut servat in secreto, unde mentes sublimium in admirationem suspendat: quasi quidam est fluvius planus et altus, in quò et agnus ambulet, et elephas natet.* In Scriptura, ut in natura, tria sunt rerum genera; quædam omnibus patentia, quædam doctis tantùm nota, alia ne doctis ipsis pervia. 2. Mysteria reperiri in Scripturâ fatemur lubenter, quæ captum nostrum superant, ac quæ ne in cœlis quidem perfectè cognoscemus; sed simul tuemur ea de iis mysteriis doceri, quæ à nobis cognosci utile est ac necessarium; v. g. Mysterium incarnationis Christi et trinitatis non comprehendimus, quomodo scilicet fieri possit, ut in unâ essentiâ tres sint personæ, et quomodo Deus humanam sibi assumpserit naturam, verùm etsi modus ignoretur, rem ipsam perspicuè doceri contendimus, quod tantùm ad salutem cognitu necessarium est. 3. Ita esse perspicuas Scripturas in rebus necessariis ad salutem credimus, ut tamen non ubique clarè doceri confiteamur, sed nihil ex obscurioribus locis erui, quod non alibi planissimè dictum reperiatur, addimus. 4. Observamus perspicuam esse scripturam, non omnibus quomodocumque, et qualicunque animo eam legentibus et audientibus, sed iis tantùm, qui dociles se præbent, dummodo ratione polleant, et divinæ

gratiæ lumen implorent, quique nec negligentiâ torpentes, nec præconceptis opinionibus occæcati, nec affectibus abrepti, nec malitiâ perversi sunt: hæc enim summa sunt scripturarum intelligentiæ obstacula. 5. Minùs claram fuisse Scripturam veteris testamenti quàm novi; variis enim typis, figuris et umbris obvelata erat, sed tamen satis superque claram in rebus, quas ignorare non debebant patres. 6. Longè clariùs in cœlo res divinas nos cognituros non diffitemur; ibi enim non *per speculum* ampliùs, aut *in ænigmate* videbimus, sed *facie ad faciem*, Deum nos esse visuros docet Scriptura; at satis superque nobis panduntur res istæ divinæ in terris, unde *retecta facie*, quamvis *in speculo*, *gloriam Domini contemplari* nos docet Paulus 2 Cor. iii. 7. Perspicuitatem scripturæ talem defendimus, quæ tamen non excludat, aut animi attentionem, aut Dei necessarium auxilium. hinc David sibi oculos retegi petit, quibus miranda legis intueri valeat; aut vocem et ministerium Ecclesiæ, aut commentariorum lectionem, sed eam solùm obscuritatem explodimus, quæ arceat populos à Scripturæ fonte illimi, et quæ ad traditionum rivos lutulentos confugere cogat.

CAPUT XIV.

In quo, Scripturam sacram unicam esse fidei et morum Regulam, probatur.

I. HACTENUS evicimus, scripturam veteris et novi testamenti esse divinitùs inspiratum, perfectèque ac clarè omnia ad salutem necessaria complecti, jam inde facile colligitur, *eam esse veram fidei ac morum Regulam.*

II Ac revera 1. *Regula* debet esse omnibus partibus perfecta, ut nihil addendum sit nec detrahendum. At Scripturam talem esse probavimus. 2. *Regula* debet esse certa et immutabilis. At Scriptura talis est, veritas enim est Dei immutabilis, ac mentiri nescii. Humanarum opinionum ea est conditio, ut subinde crebris mutationibus sint obnoxiæ, unde haud illepidè de illis dictum, quod de vocabulis Venusinus vates:

Ut sylvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita verborum vetus interit ætas.

At non ita res se habet de salutis doctrina, quæ semper perennis fuit. 3. Scriptura ut *regula* dirigit fidem et mores nostros, et ita dirigit, ut si vel minimum ab eâ recedamus, peccemus et erremus.

III. Regulam esse dubitare non poterimus, imprimis, si attendamus, ad eam Prophetas, Christum et Apostolos provocare semper. *Ad legem et testimonium*, inquit Isaïas viii. 20. *Scriptum est*, aiebat Christus adversus Satanam disputans, Matth. iv. 4, 7, 10, et cum Saducæis agens, idem præstat Matth. xxii. Apostoli eadem methodo utuntur, ut convertant Judæos; imo ita perfectam fidei et morum regulam Scripturam esse crediderunt, ut à silentio Scripturæ argumententur aliquando; *Cui dictum est angelorum, Tu es filius meus* Heb. i. 5, laudanturque Beroenses doctrinam Apostolorum ad hanc normam expendentes Act. xvii. 11. Quibus addendum, Scripturam se ipsam vocare Regulam Gal. vi. 16. *Quicumque incedunt secundum regulam hanc, pax erit super eos.*

IV. Non Scriptura tantùm N. T. sed et V. fidei nostræ ac morum norma est, quamvis non ampliùs sub œconomia veteri versemur, et abrogatam esse hanc œconomiam constet. *Quæcunque enim*, ait Paulus Rom. xv. 4, *ante scripta sunt, ad nostram institutionem scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus.* Eandem doctrinæ substantiam utrumque testamentum continet, eadem credenda proponit, eadem peragenda præcipit, utrumque testamentum Ecclesiæ fundamentum est, unde *fundamento Prophetarum et Apostolorum superstrui dicimur*. Eph. ii. 10, et rectè eos facere docet Petrus 2 Pet. i. 19, qui *sermoni prophetico attendunt.*

V. Unica est illa regula, nec ulla alia dari potest, etenim *ratio* talis regula non est. 1. Quia cæca est, nihilque intelligens eorum, quæ sunt Spiritus Dei, I. ad Corinth. ii. 14, 15, et quia errori obnoxia est et fallitur sæpè. 2. Quia mysteria fidei sunt supra sphæram rationis, ad quæ homo animalis assurgere nequit.

VI. Ratio se habet ut oculus mentis, Scriptura verò ut mensura, ad quam res metiendas metitur oculus. Instrumentum est ratio, quo fidelis exigit, quæ proponuntur credenda, ad Scripturam, ceu normam veritatis indeclinabilem, ut quum manu et oculo ad ulnam publicam exigimus, quæ metiri volumus; sed ipsa norma credendorum non est.

VII. Quod tamen de ratione diximus, fidei regulam non esse, non impedit quominus multos rationis usus agnoscamus.

1. Ad vindicandam veritatem adversus eos, qui revelationem omnem agnoscere detrectant, aut adversus eos, qui revelationem quidem admittunt, sed perversis interpretationibus corrumpere tentant. 2. Ad illustranda mysteria theologica, comportatis eum in finem omnibus iis, quæ ex libro naturæ, humanioribus literis, historiarum monumentis, disciplinis philosophicis et philologicis haberi possunt. 3. Ad consequentias nectendas, earumque veritatem dignoscendam. 4. Ad conferenda consequentia cum antecedentibus, versiones cum fontibus, placita doctorum Ecclesiæ cum Scriptura, et ad distinguenda falsa à veris, legitima à nothis.

VIII. Imò observamus, *Rationem* et *Fidem*, quamvis sint diversi ordinis, non esse oppositas. Unde credimus nihil esse, ne in religione quidem, admittendum quod rectæ rationi repugnet. Quamvis enim multum cæcutiat intellectus humanus, nemo est tamen, qui inficiari possit, residuas esse quasdam luminis naturalis scintillas, et in eo esse principia indubiæ veritatis, quæ non minùs in gratia, quàm in natura, certa sunt; unde iis sæpissimè fides utitur ad suorum dogmatum confirmationem; sed tuemur: 1. Rationem non posse, nec debere ex penu suo mysteria proponere, soli enim Scripturæ hoc jus competit. 2. Non audiendam esse rationem, quoties queritur se non posse mysteria fidei capere; cùm enim sit finita, non mirum est, si multa, quæ de infinito dicuntur, ab ipsâ non capiantur, et velle rejicere mysterium, quia à ratione capi non potest, est adversus ipsam rationem peccare, eo sensu dicitur *captivanda ratio* 2 Cor. x. 5. 3. Nec etiam audiendam, quoties sub prætextu mysteriorum fidei, proprios errores vult stabilire.

IX. Rationem itaque non esse principium fidei et regulam certum est; quamvis maximi sit usus. Inde autem colligitur regulam etiam dici non posse philosophiam propter easdam rationes; quamvis iterum concedamus non parùm utilem esse, modo circa articulos fidei magisterium sibi assumere non tentet: vera quidem philosophia plurimum confert, tum ad convincendos homines, tum ad eorum animos præparandos; et mirus est sanæ philosophiæ cum theologia consensus; quippe verum vero non repugnat, nec lumen lumini adversatur; neque parum mens nostra confirmatur, quum videt circa res, quæ credendæ proponuntur, consentire philosophiam cum theologia. Verùm haud existimandum eam esse normam, ad quam Scripturæ sensus sit expendendus.

X. Idem dicendum de Ecclesiæ testimonio, de patribus,

de decretis Conciliorum, ac de ratione, non esse scilicet regulam fidei. 1. Quia Ecclesiæ Patrum Conciliorum, testimonia sunt errori obnoxia utpote humana; rectè Aug. ad Hieronym. Ep. xix. *Ego fateor caritati tuæ; solis iis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorum scribendi aliquid errasse firmissimè credam, &c. alios autem ita lego, ut quantalibet doctrinæ sanctitate præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita censuerunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt; nec te, mi frater, sentire aliquid aliter existimo; prorsus, inquam, non te arbitror sic legi libros tuos velle, tanquam Prophetarum vel Apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est.* 2. Quia hæc testimonia non tantùm errori obnoxia sunt, sed in multis falluntur, imò sibi sæpè et alia aliis contradicunt. 3. Quia scripta Patrum multis modis adulterata, et difficillimùm est nosse, quid super variis argumentis senserint veteres. Manet itaque ratum, *solam fidei morumque regulam esse Scripturam sacram.*

CAPUT XV.

De Judice Controversiarum.

I. Ex supradictis facilè colligi potest, quisnam sit verus ac supremus judex Controversiarum; non alium enim esse patet, quàm Deum in Scripturis loquentem.

II. Probatur illud: 1. Ex eo quòd ille tantùm supremus in religione judex esse potest, qui in judicio nunquam errat, neque errare potest, qui nec partium studio ducitur, nec affectibus distrahitur, et à quo non datur provocatio. At hæc omnia nulli homini competunt, et solus Deus hæc sibi ut propria vindicat, siquidem est ipsa veritas ἐκπροσωπολήπτης, et nullum superiorem agnoscit. 2. Illud idem evincitur ex eo, quod ad istum Judicem semper provocant Prophetæ et Apostoli, ut ostendimus sup. Cap. quibus addi potest, Deut. xvii. 11. *Facies accuratè secundum legem, quam te docebunt, nec ab ea recedes, nec ad dextram, nec ad sinistram.* 3. Quia si daretur alius judex, alicubi meminisset Scriptura;

siquidem de nullâ re magis moneri par erat fideles. At super hac re altum Scripturæ silentium est, ut vel legentibus patet. Verùm hic observandum est, eo sensu Deum in Scripturis loquentem *Judicem* à nobis dici, quia ea in sacris libris docuit, per quæ rectè intellecta, et ritè applicata, verè dirimantur omnes fidei controversiæ.

III. *Scriptura* igitur est fons juris divini et norma, quâ possunt et debent omnes de fide controversiæ certò et clarè definiri, ut in republica à lege fundamenta decisionum et judiciorum petuntur; et apud Turcas Alkorano ultimum omnium controversiarum judicium defertur. Hoc ipsi patres Ecclesiæ probè intellexerunt. Ita Optatus de schismate Donatistarum lib. v. *Vos dicitis, licet; nos dicimus, non licet; inter licet vestrum, et non licet nostrum, nutant et remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis, de cœlo est quærendus Judex: in terris de hac re nullum poterit judicium reperiri; sed ut quid pulsamus ad cœlum, cùm habeamus hic in evangelio testamentum:* et Augustinus, *Fratres sumus, quare litigamus; non intestatus mortuus est Pater, fecit testamentum; et sic mortuus est et resurrexit. Tamdiu contenditur de hæreditate mortuorum, quamdiu testamentum proferatur in publicum. Et quum testamentum prolatum fuerit in publicum, tacent omnes, ut aperiantur tabulæ, judex intentus audit, advocati silent, præcones silentium faciunt, universus populus suspensus est, ut legantur verba mortui non sentientis in monumento. Ille jacet sine sensu in monumento; et valent verba ipsius; sedet Christus in cœlo, et contradicitur testamento ejus, Aperi, legamus, fratres sumus, quare contendimus?*

IV. Supremum judicem visibilem in terris, ad componendas controversias, vel jam natas, vel orituras, esse necessarium non credimus. Quia ut in republicâ benè constitutâ bonas leges dari satis est, ex quibus singula, quæ proponuntur, judicari possint à judicibus subalternis; ita in Ecclesiâ dari regulam infallibilem sufficit, ad quam pastores omnes controversias vel natas vel orituras expendant.

V. Equidem de vera alicujus loci Scripturæ interpretatione contenditur aliquando, sed Scriptura semet ipsam interpretatur, et attentione tantùm summa opus est, ablegatis præjudicatis opinionibus.

VI. Interim, etsi sola Scriptura nobis norma est fidei et morum, et solus Deus in ea loquens Judex in Ecclesia sit summus; lubenter agnoscimus *Judicem alium subalternum*, Ecclesiæ scilicet doctorum et pastorum testimonium, qui controversias ex Dei verbo dirimunt, ac contradicentes ex

eodem solidè refellunt, qui generalia juris divini præcepta exponunt, et ad quoscunque, qui, oriuntur casus, et lites, fideliter applicant. Talis erat judex subalternus Moses et Aaron sub veteri testamento: uterque enim erat *judex ministerialis*, neuterque controversias auctoritate suâ, sed ex lege Dei ac præscriptis decidebat; Moses ut internuntius referens ad Deum, Exod. xviii. 19. *Aaron* verò ex lege, et secundum eam responsa dando, Deut. xvii. 11. Uterque non erat ab omnis erroris periculo immunis, nam Lev. iv. 2, 3, &c. *præscribitur* sacrificium pro delicto sacerdotis per ignorantiam commisso, (et per quam ignorantiam populi lapsus causa fuit, ita enim quibusdam doctis interpretari locum hunc placet) tales fuerunt sacerdotes summi, qui Aaroni successerunt, quos sæpissimè errasse notum est, unde Malach. ii. 8, reprehenduntur, *quia recesserunt à via.* Tales sunt omnes pastores sub novo testamento, tum *singuli*, quisque in suo grege; ad hoc enim à Deo sunt vocati, ut de rebus dubiis judicent, tum *plures* simul in synodo collecti.

VII. Judex ille subalternus neminem obligat, nisi quando plenè cum Scripturâ consentire reperitur, et ab ejus sententiâ licet recedere, si aliud prædicet, præter id quod *evangelizatum est.* Ecclesia enim non legislatoris auctoritatem habet in rebus, quæ fidem et mores spectant, *unus quippe est legislator Deus* Jac. iv. 12. Sed rationem tantùm habet *judicis ordinarii*, qui legibus adstrictus est; cujusque sententia, si legibus contradicit, irrita est de jure, daturque ab ea provocatio. Hic enim valet Apostolorum responsum, *Satiùs est Deo quàm hominibus obsequi.*

VIII. Unde quandoquidem judex iste subalternus errori est obnoxius, imò in multis errat, unicuique credimus judicium privatæ discretionis competere; illud autem probamus: 1. Ex illis locis, ubi probare omnia jubentur fideles, 1 Thess. v. 21, *omnia explorate, quod bonum fuerit, retinete,* 1 Cor. x. 15, *ut peritis loquor, judicate vos quod aio.* 1 John iv. 1, *dilecti, ne cuivis spiritui credite; sed probate spiritus, an ex Deo sint, nam multi pseudoprophetæ venerunt in mundum.* 2. Ex Gal. i. 8, *Etiamsi nos aut Angelus è cœlo evangelizet vobis, præter id quod vobis evangelizavimus, anathema esto.* Si enim non liceret privatis judicare de Ecclesiæ decisionibus, malè ipsis injungeretur, et frustra, anathema dicere, non tantum Ecclesiæ, sed et ipsi Paulo, et angelis, si aliud evangelium nuntiarent.

IX. Atque hæc sententia minimè contradicit Petro, 2

Pet. i. 20, docenti *nullam prophetiam esse propriæ* ἐπιλύσεως vel ἐπιλύσεως, ut alii malunt: sensus enim Petri clarus est, nullam prophetiam ducere suam originem ex proprio impulsu vel instinctu privato. Sed ex dictamine Spiritus Sancti, quo acti fuerunt prophetæ, aut nullam prophetiam ab ullo propheta ita esse profectam, ut ille proprio instinctu solverit os suum ad prophetandum, sed omnem prophetiam à Deo solo esse, ita ut qui prophetavit, antea à Deo inspiratus fuerit. Quod si ἰδίας ἐπιλύσεως malis intelligere de *propria interpretatione*, sensus erit, non debere Prophetiarum explicationem fieri pro libitu ex proprio cerebro, sensum iis affingendo, à mente Dei planè alienum. Sed juxta revelationem per Spiritum Sanctum, in evangelio factam, qui earum verum sensum Apostolis revelavit; aut enim prophetiæ non pro arbitrio Prophetarum, ex proprio cerebro effictæ, sed à Spiritu Sancto ipsis inspiratæ; ita earum revelatio per eundem Spiritum fieri debet.

X. Illud judicium privatæ discretionis non tanti est ponderis, ac judicium Ecclesiæ, quamvis fieri possit, et sæpè contigerit, privatos meliùs intellexisse sensum alicujus loci Scripturæ, quàm ipsa concilia, ut probare facile esset. Unde præstantissimus Picus Mirandulanus aiebat, *simplici rustico potiùs quàm Pontifici Maximo credendum, si contra evangelium iste, ille pro evangelio verba faceret.* De Fide et Ord. cred. Theor. xvi.

CAPUT XVI.

De Scripturæ Lectione.

I. Quæ haetenus diximus de Scripturis, satis superque probant esse legendas. Ad hoc nos obligat; 1. Dei præceptum, quod omnes et singulos spectat; loca autem sunt notissima, Deut. vi. 6, 7, 8. *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis sedens in domo tua; et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, &c.* et Cap. xxxi. 11, 12, 13. Psal. i. 2. *Beatus qui in lege Domini meditatur, die et nocte.* Coloss. iii. 19. *Verbum Domini habitet in vobis* πλουσίως. II Pet. i. 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem,*

cui bene facitis attendentes. Joh. v. 39. *scrutamini scripturas*, sive hoc indicativè exponas, sive imperativè. Hinc inscriptio epistolarum Apostolicarum dirigitur ad omnes sanctos et fideles. 2. Finis, propter quem data est Scriptura, ad ejus lectionem nos impellit: nam ad omnium salutem promovendam tradita est, sed id neutiquam præstari posset, nisi legeretur. 3. Quot sunt scripturæ elogia, totidem sunt argumenta, quæ ejus lectionem necessariam probant, est *testamentum* Patris, ergo à filiis legendum, *epistola* Creatoris ad creaturam, ergo à creaturis ad quas missa est legenda, *animarum nostrarum pabulum*, legenda igitur ut possit animas nutrire. 4. Quibus addenda est praxis constans Ecclesiæ, tum Judaïcæ, tum Christianæ.

II. Ad eam lectionem hortantur omnes patres Ecclesiæ, sed inter alios Chrysostomus, qui hoc argumentum imprimis tractat Concione III. de Lazaro, in qua 1. monet plebem, ut textum, quem esset interpretaturus, præveniens legat apud se; tum sumta inde occasione ita pergit: *Idque semper hortor et hortari non desinam, ut non hic tantùm attendatis iis, quæ dicuntur, verùm etiam cùm domi fueritis, assiduè divinarum Scripturarum lectioni vacetis*, increpatque eos, qui varias suæ in hoc studio negligentiæ causas prætexebant, forenses occupationes, uxorem, liberos, familiam, vitæ genus mundanum, audebantque asserere, non pertinere ad se eam lectionem. sed ad Monachos, et Eremitas.

III. Non equidem ignoramus multos lectione Scripturarum abuti, verùm si quis ideo legere Scripturam nollet, quia multi abutuntur, idem faceret, ac qui ob cibi et potus abusum admodum frequentem, fame ac inedia perire mallet.

CAPUT XVII.

De Versionibus Scripturæ.

I. QUANDOQUIDEM legendas esse Scripturas constat, hinc liquet in linguas vernaculas vertendas esse; nam frustrà id legeretur, quod non intelligeretur. Cùm itaque homines in multiplices linguas sint divisi, nec omnibus sint familiares Hebraïca et Græca lingua, quibus libri sacri sunt conscripti, necesse est ut vertantur in linguas notas, atque ita ab omnibus eorum sensus percipiatur.

II. Hinc innumeræ versiones et paraphrases tum à Judæis, tum à Christianis conscriptæ; a Judæis præcipuæ sunt. 1. *Paraphrasis* in Pentateuchum, quæ tribuitur *Onkeloso*, qui creditur, Gamalieli συγχρονος, et quem Titi Vespasiani sororium fuisse existimant Judæi. 2. *Targum* in Prophetas, vulgò dictum *Jonathanis* Uzielidis; discipuli, ut creditur, Hillelis doctissimi; et juxta quosdam condiscipuli Simeonis illius, qui Christum recens natum complexus est. De eo Paraphraste dixere Magistri, quâ horâ studeret in lege, omnem avem, quæ super eum volaret, combustam fuisse. 3. *Paraphrasis* quinque libellorum Cantic. Ruth. Thren. Eccles. et Esth. 4. *Paraphrasis Hagiographorum*, incerto auctore. 5. *Targum Hierosolymitanum*, in solum Pentateuchum. Extant etiam versiones Syriacæ, non tantùm novi testamenti, quæ antiquissima est, unde Marco evangelistæ à quibusdam tribuitur; sed et veteris testamenti, nec Syriacæ tantùm, sed et Arabicæ X. seculo, Persicæ, Ethiopicæ, Samaritanæ.

III. Quoad versiones Græcas, notissimæ sunt; inter alias eminet LXX. viralis dicta, annis circa trecentis ante Christi natales sub Ptolemæo Philadelpho. An autem illa versio à LXXII. viris conscripta, an à paucis, vel ab uno? an omnes lib. sacri conversi? Quis consilii fuerit auctor Philadelpho de ornanda libris sacris bibliotheca, et hoc thesauro locupletanda, disquirunt, ut et de aliis huc pertinentibus, docti, sed hîc hærere minimè patiuntur breves istæ chartæ.

IV. Aliæ fuerunt etiam versiones celebres, scilicet; *Aquilæ*, Pontici vel Synopitæ, ex Christiano excommunicato Judæi, sub Hadriano Imperatore circa annum Christi 137. *Theodotionis*, Ephesii, sub initia Commodi Imperator. an. 184. ex hæretico Marcionita Judæi proselyti vel Judaïzantis Ebionitæ. *Symmachi*, genere Samaritani; dubium an ante Thodotionem, an sub Severo, circa annum Christi 193. *Hierichuntina*, inventa in dolio in urbe Jericho sub Caracalla an. 220. incerti auctoris. *Nicopolitana*, similiter inventa Nicopoli sub Alexandro Severo an. 230. Ex quibus Versionibus *Tetrapla*, *Hexapla*, et *Octapla* ita concinnaverat Origenes.

TETRAPLA.

Aquilæ	Symmachi	LXX.	Theodotionis
ἐν κεφαλίδι	ἐν ἀρχῇ	ἐν ἀρχῇ	ἐν ἀρχῇ

HEXAPLA.

Exemplar Hebraicum literis Hebraicis	Exemplar Hebraicum literis Græcis	Aquilæ	Symmachi	LXX.	Theodotionis
בראשית	βιρεσὶθ	ἐν κεφαλίδι	ἐν ἀρχῇ	ἐν ἀρχῇ	ἐν ἀρχῇ

OCTAPLA.

Exemplar Hebraic. lit. Heb.	Exemplar Hebraic. lit. Græcis	Aquilæ	Symmachi	LXX.	Theodotionis	Versio Hieri-chuntina.	Versio Nicopolitana.
בראשית	βιρεσὶθ	ἐν κεφαλίδι	ἐν ἀγχῇ	ἐν ἀρχῇ	ἐν ἀρχῇ		

Non dissimulandum tamen est, doctos complures non credere Octapla confecisse Origenem, sed tantùm Hexapla. At de his consulendi Vossius et Valesius.

V. Aliæ fuerunt Versiones celebres, ut *Luciani* martyris, qui martyrium subiisse dicitur an. Ch. 311. Constantinopolitanis valdè probata; *Hesychii*, quam Ægyptii et Alexandrini amplexi sunt, aliæque, quas non memoro, ut transeam ad Latinas, quarum antiquissima fuit *Itala*, quam excepit *versio Hieronymi*, quæ duplex fuit, una ex versione LXX. altera ex Hebræo. Jam ex *Italica* et *Hieronymiana* tractu temporis conflata creditur à multis, ea quæ jam dicitur versio *Vulgata*, quæ multa etiam habet ex *Theodotione*, et *Luciano;* alii aliter sentiunt, nec licet hîc indagare, quis vero propiora dicat. Cæteras versiones ultimis his seculis adornatas non attingo.

VI. Hæc tria tantùm addam: 1. Nullas *Versiones* posse æquiparari *originali*, imò ad fontes esse expendendas, (1.) quia harum versionum auctores non fuerunt viri θεόπνευστοι, sed homines errori obnoxii. At *originale* scriptum fuit à viris à Deo inspiratis. (2.) Quia *originale* est semper regula, ad quam omnes expendendæ sunt versiones, et quia puriùs ex ipsis fontibus bibitur quàm ex rivulis. 2. Versionum tamen magnam esse auctoritatem respectu doctrinæ, quam continent, quæ divina est, quando scilicet veritatem divinam fontibus expressam fideliter reddunt, imo rectè observatum, nullam esse tam malam versionem, modo aliqua cum fide et diligentiâ facta sit, quæ cœlestis doctrinæ salutarem veritatem non contineat; unde satis habent in versionibus quilibet idiotæ, in quo fidem suam firmissimè fundent et ædificent. 3. Versionem LXX. quamvis magni

sit ponderis, utpote antiquissima, à Judæis publicè et privatim perlecta, ab ipsis Apostolis citata; non tamen fontibus æquiparandam. (1.) Quia hujus versionis auctores, interpretes tantùm fuerunt, non Prophetæ. (2.) Quia in multis turpiter errarunt, unde iidem Apostoli, qui non raro ea utuntur, quia recepta erat inter omnes, frequenter etiam illi prætulerunt fontes. (3.) Quia multis modis interpolata est, unde ejus rudera nos tantùm habere rectè dictum est.

CAPUT XVIII.

De Sensu atque Interpretatione Scripturæ.

I. DUPLEX est Scripturæ *interpretatio*, una quæ *verba* spectat, altera quæ *res* explicat, de prima diximus, quando de versionibus egimus; de secundâ agendum; sed primò aliquid dicendum est de Scripturæ sensu.

II. Unicum in Scripturâ sensum agnoscimus, veritas enim unica est, et plures non admittit sensus, aliàs incerta foret et ambigua; sed credimus Spiritum Sanctum, sub unâ eâdemque voce multa simul aliquando connotare voluisse; at sibi subordinata, ita ut alterum alterius sit signum et typus, vel aliquam inter se connexionem habeant: sic oraculum de non confringendis ossibus agni, Exod. xii. *Agnum Paschalem*, primò, respiciebat, deinde *Christum*, Joh. xix. 36. Sic promissio data *Abrahamo de semine*, Isaacum in *typo*, Christum spectabat in *antitypo*. Hæc non constituunt duos sensus, sed duas partes unius ejusdemque sensus intenti à Spiritu Sancto. Prima pars à quibusdam theologis vocatur *sensus literalis*, quia is est, quem verba proximè et immediatè præ se ferunt; secunda, *sensus mysticus*, qui aliò refertur, quàm ad id, quod verba immediatè significant; juxta alios verò, sensus literalis complectitur id omne, quod intenditur à Spiritu Sancto.

III. Ad Scripturarum verum sensum inveniendum, earundemque interpretationem, hæc necessaria sunt, 1. Frequens oratio; per eundem enim Spiritum intelliguntur, per quem dictatæ sunt. 2. Animus præjudicatis opinionibus vacuus ac veritatis amans, et in quo sit veræ pietatis studium. 3. Fontium inspectio, nec enim in rivalis hærendum, quæ tamen fontium inspectio non omnibus necessaria est,

sed iis tantùm, qui non modo sibi sapere, at etiam fideles erudire; et contradicentes refellere volunt; ut in re nautica major requiritur peritia in eo, qui per oceanum ad extremos Indos navigat, quàm qui mediocre fluentum exili limbo trajicit. 4. Antiquarum versionum collatio. 5. Verborum propriorum et figuratorum distinctio. 6. Argumenti et scopi consideratio. 7. Consequentium et antecedentium notatio. Valet enim in Scripturæ explicatione jurisconsultorum monitum; *incivile esse de legis verbis aliquibus velle judicare, nisi totâ priùs lege inspecta.* 8. Locorum obscuriorum cum clarioribus, similium cum similibus, atque etiam dissimilium cum dissimilibus comparatio. 9. Fidei analogia, ad quam, tanquam ad amussim exigenda est cujuslibet loci interpretatio. 10. Judæorum et aliarum gentium rituum peritia. 11. In interpretatione Scripturæ allegoriæ ubique non sunt sectandæ, sed ut asseramus aliquid typi rationem habere, necesse esse rectè observatum; (1.) Ut Deus disertè moneat, se aliquid in alterius rei typum ordinasse, v. g. ut de *serpente æneo*, *Melchisedeco*. (2.) Ut Deus de eo rerum genere id testetur, sub quo res, de qua agitur, ut species contineatur; ita de ritibus Mosaicis in genere, eos fuisse rerum futurarum typos atque figuras, constat. (3.) Ut perfectè complementum non possit reperiri in ea re, quæ primùm notari videbatur, tunc enim aliò oculos conjicere cogimur. 12. A sensu literali non temerè recedendum, nisi id analogiæ fidei repugnet, et sensum absurdum pariat. Qui plura voluerit, consulat Glassium et alios.

CAPUT XIX.

An nullus Librorum Sacrorum perierit.

I. ANTEQUAM finem imponamus loco communi de Scripturâ, duæ quæstiones adhuc expendendæ sunt.

Prima, an nullus librorum sacrorum perierit; ad quam, ut respondeamus, dicimus: 1. Etsi concederetur, quosdam libros sacros periisse, non tamen fidem vel salutem nostram periclitari, cùm vel ex solo pentateucho olim Ecclesia salutem suam conficere potuerit; imò certum, quod si nonnulli ex illis, quos habemus, adhuc periissent, nihil inde detrimenti cepisset fides nostra, siquidem abundè necessaria ad

salutem suppeditavit Deus in variis Scripturæ libris. 2. Nihil nos cogere ad credendum aliquos libros periisse, imò non verisimile Providentiam Dei, quæ pro Ecclesiæ salute perpetuò excubat, pati voluisse hanc jacturam, aut Ecclesiam adeò parùm curasse libros à viris θεοπνεύστοις exaratos.

II. Equidem non inficiamur, multa scripta fuisse à viris Dei, quæ non amplius extant, ut Salomon libros parabolarum et carminum scripsisse dicitur; sed illos fuisse divinitus inspiratos nemo probaturus est; nec negamus etiam multos fastos et annales politicos excidisse, quorum meminerunt sacri auctores, ut *librum bellorum Jehovæ, librum Jacar*, &c. sed quis θεοπνεύστους fuisse hos fastos evincet?

III. Verùm etiam observamus: 1. Multos libros periisse credi, qui tamen non perierunt, ut *libri Nathanis* et *Gadis*, et *Semaïæ* et *Hiddonis*, quos partem librorum Samuelis et Regum facere Judæi docent, et patres nonnulli existimant, ita *Liber Jehovæ*, de quo Is. xxxiv. 16. non alius esse creditur, à multis doctis, ab ipsâ prophetiâ, quam nomine Domini scribebat Isaias. 2. Aliquos libros credi scriptos à viris θεοπνεύστοις, qui ab iis non scripti, sed ad eos, ut Epistolam ἐκ Λαοδικείας Coloss. iv. 16. quæ non ad Laodicenses à Paulo, sed à Laodicensibus ad Paulum scripta est, licèt aliis doctis placeat ita designari epistolam ad Ephesios, cujus exemplar Paulo monente Epheso Laodiceam transmissum erat, vel primam ad Timotheum.

CAPUT XX.

De Libris Apocryphis.

I. *Secunda* Quæstio est, an nulli alii libri pro divinis habendi, quam illi, quos capite v. numeravimus, et quid censendum de aliis libris, qui solent conjungi cum iis, quales sunt *Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus*, III. *Macchabæorum libri, Baruch, Additamenta ad Estheram et Danielem*, &c.

II. Paucis ut respondeamus; observamus, non alios à nobis agnosci præter cap. v. citatos, pro sacris et divinis, alios verò pro libris merè humanis haberi.

III. Rationes nostræ sunt: 1. Quia à viris θεοπνεύστοις non sunt scripti, imò contrarium patet, tum ex 1 Macc. iv. 46. ix. 27. ubi dicitur expressè nullos tum prophetas extitisse,

tum ex 2 Macc. ii. 23. ubi auctor de laboris, in consarcinando centone suo, et in redigendis ad compendium quinque libris Jasonis Cyrenæi, exhausti molestiâ queritur, et infantiam suam atque infirmitatem excusat. Reverà auctor sapientiæ pro Salomone haberi vult, sed nemo sanus credet qui observaverit populum Israëliticum Salomonis tempore fuisse liberrimum, et tamen dici ab auctore hujus libri hostium imperio subjectum cap. xv. 14. simulque attenderit hunc auctorem ad certamina post Salomonis tempora agi cœpta alludere cap. iv. 2. Unde veteres plerique, à Philone Judæo conscriptum fuisse, memoriæ tradiderunt postquam ad Caïum Cæsarem legatione functus ab ipso repulsam tulit. 2. Quia ab Ecclesiâ Judaïcâ, cui commissa erant Dei oracula, nunquam sunt habiti pro canonicis, nec à Christo, nec ab Apostolis agniti, nec a veteribus Judæis, aut recentioribus admissi. 3. Quia in iis multa suspecta, multa falsa, multa absurda; pauca ut è multis delibemus; in libro *Tobiæ* personatus angelus Raphaël c. v. 4. &c. sistitur velut histrio ἀπὸ μηχανῆς schemate mendaci indutus, nam se Azariam Ananiæ filium mentitur. Consilium magicum suggerit de profligando dæmone, suffitu, ex corde et hepate piscis facto, et officium preces piorum Deo offerendi, quod soli Christo Scriptura vindicat, sibi tribuit. In libro *Judithæ*, amplissimis laudibus celebratur facinus Simeonis et Levi, quod damnatur à Spiritu Sancto, Gen. xlix. 5. petitque Juditha, ut Deus ejus mendaciis benedicat, ac simulat se morem gesturam nefariæ temulenti principis libidini. *Ecclesiastici* scriptor non modo imbecillitatem suam agnoscit, sed et Samuëli tribuit, quæ à Samuële minimè præstita; et ad Eliam refert c. xlviii. 10. quod de Johanne Baptistâ intelligendum monet Christus Matth. xi. Auctor *Sapientiæ* falsò se regem Israëlis jactat. *Baruchi* librum Barucho Hieremiæ scribæ falsò tribui evincit lingua Græca. Non enim verisimile peregrino sermone alloqui voluisse populares suos, et malè dicit se anno quinto post excidium Hierosolymitanum librum legisse Jechoniæ, et toti populo Babylone, cùm Jechonias esset in carcere; et Baruch abductus fuisset in Ægyptum post cædem Godoliæ, Jerem. xliii. 6. Præterea capite i. 10. aram Domini commemorat, cum templo diruto nulla esset. *Macchabæorum* libri multa etiam habent non modo à fidei analogiâ aliena, non modo historiæ veræ repugnantia, ut quæ de Alexandro 1 Macch. i. 7. de Romanis c. viii. 16. de Arca lib. II. c. ii. 4. 5. 6. 7. sed et inter se contraria, nam Antiochum, quem 2 Mac. capite i.

16. in fano Nanææ lapidibus obrutum, capite truncatum, et discerptum scribit, c. ix. 5. et 9. ait ex Perside in Judæam properantem, non aspectabili plagâ divinitùs percussum, interaneorum cruciatu, erumpentibus ex putrescente corpore vermibus, sceleratam animam exhalasse. Capita addita libro *Estheræ* et *Danielis* non esse canonica probatur evidenter, ex eo quòd cum canonica Scriptura pugnantia continent. *Susannæ* drama *Belisque et Draconis* fabulas ne historicam quidem fidem, nedum canonicam auctoritatem mereri clarum est attendenti. De cæteris idem judicium, et inspicienti patebit, minimè esse divinos. 4. Confirmat nostram sententiam Ecclesiæ Christianæ suffragium, Melitonis, concilii Laodiceni, cui neutiquam concilium Carthaginense III. provinciale opponendum; Athanasii, Hieronymi, Epiphanii, aliorumque.

IV. Quamvis constaret ex quibusdam libris, quos apocryphos dicimus, citasse aliquot loca N. T. scriptores, ut quibusdam placet, non minùs nobis apocryphi viderentur. Cui enim ignotum Menandri, Arati, et Epimenidis meminisse sacros auctores, 1 Cor. xv. 33. Actor. xvii. 28. Tit. i. 12. At quis horum ethnicorum vatum scripta inter canonica referret.

V. Vocantur isti libri ἀπόκρυφοι; sive quòd fuerint remoti ἀπὸ τῆς κρύπτης, à sacra illa capsula, in quâ libri sacri recondebantur, sive quod publicè non legerentur, sed privatim, quod tamen non semper observatum est, nam ex concilio Carthaginensi tertio patet quædam non canonica scripta, publicè lecta fuisse, sive quod occultæ fuerint originis, sive ob alias causas. Vox Græca ἀπόκρυφος respondet Hebraicæ נגנ *absconditus*, Hebræis autem libri נגנים sunt illi, qui vitiosè scripti, occultabantur; *liber legis in quo erant tria errata, seponebatur et occultabatur à Judæis.*

Alii è contra libri citati capite v. dicti sunt canonici, non modo quia in canone librorum sacrorum ab Ecclesiâ Judaïcâ et Christianâ repositi sunt, sed et quia pro fidei ac morum unicâ regulâ aut canone haberi debent.

Atque hæc de Scripturâ satis Alios enim libros apocryphos non commemoro, ut acta Petri, evangelium Thomæ, &c. referam tantùm judicium Hieronymi ad Lætam de institutione filiæ: *Caveat omnia apocrypha; et si quando ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reverentiam legere voluerit, sciat non eorum esse, quorum titulis prænotantur, multaque his admixta vitiosa, et grandis esse prudentiæ aurum in luto quærere.*

CHRISTIANÆ THEOLOGIÆ

LIBER SECUNDUS.

De Deo Uno et Trino.

CAPUT PRIMUM.

De Unitate Dei.

I. QUANDOQUIDEM in Scripturis Deo hominibus se cognoscendum præbere placuit, postquàm adstruimus eam, quæ debetur sacris scriptoribus, auctoritatem, et scriptis eorum libris fidem ac reverentiam, ordo jam postulat, ut expendamus, quid de Deo sacræ doceant Scripturæ.

II. Nihil autem clariùs, primò, docent, quàm unum et unicum esse Deum, loca sunt innumera et notissima, Deut. vi. 4. *Audi Israël Jehova Deus noster, Jehova unus est.* Deut. xxxii. 39. *Videte nunc memet ipsum esse, et nullum esse Deum mecum.* Deut. iv. 35. Is. xliv. 6. quod confirmat Paulus tum 1 Cor. viii. 4. 5. *nobis unus est Deus Pater &c.* tum 1 Tim. ii. 5. *unus est Deus et unus mediator.* Eph. iv. 6.

III. Hoc ipsum ratio nos docet, nam quicumque Divinitatis alicujus sensum et cogitationem habent, ii Deum esse illud agnoscunt, quo nihil melius atque sublimius perfectiusque concipi potest, at quodcumque ejusmodi est, unum ac singulare est; nam si haberet par, cogitari posset Ens aliquod perfectius, quod æquale sibi non haberet, quodque omnes perfectiones alterius istius Dei in se ipso solùm possideret, atque à quo ille penderet.

IV. Rursus si plures essent dii, plures essent summi. At hoc dici nequit; ergo &c. *Minor* probatur. Si plures essent summi, vel unus alteri antecelleret, vel essent planè æquales; si prius, horum alter solus esset Deus, ille scilicet qui emineret, excelleretque super alterum; si posterius, neuter esset summus, quia summum est id quod omnibus

aliis entibus majus est. Rectè Phœbadius sive Phœgadius Agennensis Episcopus lib. contra Arianos. *Deus si non unus et verus est, Deus non est.* Quibus verbis addenda ista Tertulliani in Apologetico, qui affert testimonium *animæ, quæ licèt corporis carcere pressa, licèt institutionibus pravis circumscripta, licèt libidinibus et concupiscentiis evigorata, licèt falsis diis exancillata, cùm tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, et sanitatem suam patitur, et Deum nominat, hoc solo, quia propriè verus hic unus Deus, bonus et magnus, et quod Deus dederit omnium vox est* &c.

V. Deploramus itaque Ethnicorum cæcitatem, apud quos polytheismus fuit receptus, et qui pro uno vero Deo innumeros coluerunt.

> *Nam tot templa Deûm Romæ quot in urbe sepulchra,*
> *Heroum numerare licet, quot fabula manes*
> *Nobilitat; noster populus veneratus adorat &c.*
> *Quicquid humus, pelagus, cœlum mirabile signant,*
> *Id dixere Deos, colles, freta, flumina, flammas,*
> ut canebat Prudentius.

Equidem fatendum, plures inter Ethnicos melius sensisse, ut id probat Plesseus ad Rel. Chr. c. iii. *Discendum*, aiebat Epictetus, apud Arianum, *ante omnia, unum esse Deum, omnia regere, omnibus providere.* Plato. Ep. xiii. ad Dionysium, si saltem Platonis illa sit, hæc monet. *Hinc disces tu, scribam ego seriò, nec ne; cùm seriò ordior epistolam, ab uno Deo, cùm secus à pluribus*, et Varro apud Aug. de Civit. Dei lib. vii. c. 9. adducit Valerii Sorani versus hosce:

> *Jupiter omnipotens, regum Rex, ipse Deusque,*
> *Progenitor, genitrixque Deûm, Deus unus et omnis.*

Verùm etsi saniores Ethnicorum ita senserint, non eam fuisse maximæ eorum partis sententiam fatendum. Tantæ autem idololatriæ causæ plures fuerunt. 1. Quòd ad ideam Entis perfectissimi non satis attenderunt. 2. Multiplex hominum necessitas. *Fragilis*, ut eleganter Plinius, *et laboriosa mortalitas in partes ista digessit, infirmitatis suæ memor, ut portionibus quisque coleret, quò maximè indigeret.* 3. Nominum divinorum multitudo. 4. Attributorum et operum Dei varietas. 5. Reverentia quâ prosequebantur filii patres et subditi reges, aut populi heroas eorum liberta-

tis assertores. *Hic est vetustissimus,* ait idem Plinius, *referendi gratiam benè merentibus mos, ut tales numinibus adscribantur, quippe et omnium aliorum deorum nomina, et quæ supra sidera relata ex hominum nata sunt meritis:* et Lactant. de Ira Dei, *Unde igitur ad homines opinio multorum deorum persuasione pervenit? Nimirum ii omnes, qui coluntur ut dii, homines fuerunt, et iidem primi et maximi reges: sed eos aut ob virtutem, quâ profuerunt hominum generi, divinis honoribus affectos esse post mortem; aut ob beneficia et inventa, quibus vitam humanam excoluerunt, immortalem memoriam consecutos, quis ignorat?* 6. Utilitas, quam ex astris, aliisque creaturis percipiebant.

CAPUT II.

De variis Dei Nominibus.

I. Unum esse Deum, non tantùm docet Scriptura, sed et variis nominibus Ens illud summum describit.

II. Equidem nomine Deus non eget, cùm unicus et solus sit. At quia omnis nostra cognitio, à nomine incipit, varia solet Scriptura Deo tribuere, illudque est Ecclesiæ præcipuum decus, quòd in eâ Deus verus sese suo nomine revelaverit.

III. Inter alia nomina eminet nomen tetragrammaton יהוה. Hujus pronuntiatio vera ignoratur, unde alii *Jahve* vel *Jahave*, alii *Jao*, ut Græci veteres,

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν ἰάω.

Alii *Jova*, alii *Jehova*, alii *Jehovi*, alii *Jehove*, vel *Jehve*, vel *Jihve* pronuntiant, et superstitiosi Judæi legunt semper *Adonai*. Hoc Nomen frequenter legitur in sacro codice: *Ego sum Jehova, hoc est nomen meum,* Is. xlii. 8. notat *eum qui est, qui fuit, et qui futurus est,* ut explicare videtur Joh. Apoc. i. 4. et propriè hæc tria significat. 1. *Ens æternum,* quod per se existit, à quovis alio independens, unde vocatur simpliciter ὁ ὤν. 2 *Ens à quo omnia* alia suum esse habent. 3. *Ens immutabile et constans in promissis,* et eo sensu Exod. vi. 3. Deus ait se non innotuisse Patribus sub nomine יהוה, quia scilicet etsi sæpius hoc nomine se vocasset, Patres allocutus, ut Gen. xxviii. 13. nondum tamen suas impleverat promissiones

factas de multiplicatione seminis, eductione populi ex Ægypto, et in Cauaan introductione.

IV. Nomen hoc soli Deo competit; nec propriè, nec impropriè ulli unquam tribuitur creaturæ; non *arcæ*, nec enim compellabatur arca, sed Deus, cujus arca symbolum erat, quum dicebatur, *surge Domine*; non *altari*, equidem hoc symbolum altari legebatur inscriptum, *Jehova vexillum meum*, Exod. xvii. 15. sed non altare Jehova vocabatur; non *Hierosolymis*; non enim Hierosolyma vocanda erat *Jehova justitia nostra*. Jer. xxiii. 6. sed qui ad salutem Hierosolymam vocaturus erat, hoc nomine insigniri debebat. Non *Ecclesiæ*, quamvis dicatur in ea Jehova esse, Ezech. xlviii. 35. non *angelo creato*, sed angelo fœderis, unde in loco citato Is. xlii. 8. post hæc verba, *Ego sum Jehova, illud est nomen meum*, additur, *et gloriam alteri non dabo.*

V. Succedit aliud nomen, quod etiam Dei essentiam denotat אהיה, Exod. iii. 14. אהיה אשר אהיה. Disquiritur inter doctos, an reverà sit Dei nomen, sed hoc certum, idem designari per hanc vocem, quod per nomen יהוה intelligitur.

VI. Sequitur nomen יה Psal. cl. 6. cum nomine יהוה sæpe conjungitur, sed quid præcisè denotet, ignoratur, quibusdam placuit à יאה *decuit* deducere, Judæi dicunt, Deum vocari יה propter beneficia, quibus humanum genus afficit.

VII. Aliud legitur, אל, Gen. xiv. 22. xxi. 33. Ps. xxii. 2. ab איל *fortitudine*, unde vertit Aquila per ἰσχυρὸς; tribuitur illud etiam abusivè idolis, Mal. ii. 2.

VIII. Nomen אלהים, sive ab Arabico אלה *coluit*, sive ab Hebraïco אלה *juravit*, involvit in suo conceptu, idem ac vox *Deus*. Hebræi pertendunt אלהים esse nomen judicii, יהוה verò nomen gratiæ; variis creaturis tribuitur, 1. Magistratibus, et judicibus, quia Dei vices in terris gerunt; Exod. xxii. 28. Ps. lxxxii. 6. *Dixi Dii estis, et filii altissimi.* Ita juxta quosdam posset explicari locus. Exod. iv. 16. ubi Moses dicitur esse in Deum Aaroni, id est ut habet Targum, in *principem*. 2. Angelis Ps. xcvii. 8. collat. cum Heb. i. 6. 3. Ipsis falsis diis.

IX. De nomine שדי disputant docti, an deducatur à שדד *vastavit*, ut designet eâ potentiâ, quâ Deus omnia creavit, eadem omnia vastare posse; unde LXX. vertunt παντοκράτωρ, vel ὁ τὰ πάντα ποιήσας; an à שד *mamma*, quod omnia alat, ut olim apud ethnicos Diana, Isis, Ceres mammeæ vel mammosæ dicebantur, an à ש *qui*, et די *sufficiens*, ἀυτάρκης, ἀυτάρκης, quasi sibimet et omnibus sufficiens. Si ita sentias, pa-

tebit ratio, cur Deus, Gen. xvii. 1. se Abrahamo patefaciens, hoc nomine se appellat, ut innueret se fœdus cum eo non pangere, quasi Abrahami auxilio aut opibus indigeret; imò se omnibus bonis exuberare, ut promissiones impleat, quas in pangendo fœdere amplissimas exposuerat. An ab Arab. שדד *comfortare, constringere*, quia κάντα κρατῶν. Ab illo videntur derivasse vocem δίς Græci. Quando hoc nomen conjungitur cum אל nulli creaturæ legitur tributum.

X. Quoad nomen אדני, in quam plurimis legitur locis, atque imprimis significare videtur dominium illud, quo Deus omnia sibi subjicit. Ex hoc nomine ethnici Liberum patrem, Edonæum dixerunt, et solem, Adon, Adonim, Adoneum appellarunt.

XI. De voce צבאות, docti existimant nomen Dei non esse, nisi cùm jungitur cum voce Dei, et designat Deum esse multorum exercituum Dominum; inde autem non obscura appellatio Bacchi Σαβάζιον vel Σαβασίου, qui ab ethnicis colebatur.

XII. Quoad vocem עליון, non tam esse nomen Dei, quàm epitheton, conveniunt eruditi, idemque significat ac excelsum, et supremum; inde vocem ὑψίστου Græcos duxisse quibusdam placet criticis.

XIII. De nominibus Græcis, ut aliquid addamus; duo sunt præcipua: θεὸς, de etymologia hujus vocis nolumus cum ullo contendere, sive enim à θέω cum Herodoto, sive à θάω, ut cum Platone Eusebius, sive à θεάομαι, ut Basilius; sive à δέος *timor*, sive à די Hebræorum, perinde nobis est: ipsam naturam Dei notat. 2. Κύριος, quo vocabulo nomen יהוה plerumque reddunt sacri scriptores, sed quod præcipuè Christo Redemptori tribuitur, qui vocatur Dominus dominorum; utrumque *creaturis* aliquando impropriè tribuitur.

CAPUT III.

De Perfectionibus Dei in genere, ac primum, De ejus Spiritualitate.

I. De nominibus Dei paucis diximus, jam sequitur ut ejus naturam pleniùs investigemus. Non nescii equidem sumus, essentiam Dei infinitam ab entibus finitis perfectè intelligi non posse; ut hoc Gentiles ipsi agnoverunt: unde

vetustissimis scriptor Deum vocat πάγκνφον, et ab Ægyptiis dictus est *Cneph*, ab iisque pingebatur supra caput habens πτερὸν βασίλειον, ad denotandum ignotam numinis esse naturam. Eam ob causam dubio procul sphinges collocabant ethnici ante templa deorum, saltem hoc certum est, inter præcipua doctrinæ Brachmanum capita, hoc fuisse, *Deum neque notum fuisse, neque nosci posse.* Ita locutos esse populos, qui sacros codices non legerant, haud mirandum; nos vero quamvis multa occulta de Deo esse fateamur, multa tamen perspecta esse ex Scriptura contendimus, et hæc nobis indaganda sunt. Sanè quum de Deo cogitamus, statim hoc omnibus venit in mentem, esse Ens perfectissimum, omnique imperfectione carens. Et Scriptura hoc confirmat, dum ubique perfectiones Dei prædicat. In genere perfectum esse Deum docet Christus, Matth. v. 48. *Estote perfecti, ut Pater vester, qui est in cœlis, perfectus est.* Verùm non in genere tantùm perfectum esse Deum docent sacræ chartæ, sigillatim etiam præcipuas ejus perfectiones explicant, unde ex scripturis, ut attendenti patebit, constat Deum esse Ens *spirituale, cogitans, vivens, intelligens, omniscium, sapiens, volens, omnipotens, independens, omnipræsens, necessariò existens, æternum, simplicissimum, immutabile, sanctissimum, justissimum, optimum, summè misericors* atque *infinitum.* Hæ perfectiones *tantæ* sunt, ut nihil iis accedere, nihil decedere possit; sunt *immutabiles*, neutiquam sibi contrariæ, quamvis earum effecta contraria sint; et cum essentia Dei planè identificantur.

II. Prima perfectio, quam concipimus esse in Deo est, esse *Ens* seu *substantiam spiritualem*, omnis materiæ plane expertem. At reverâ, cùm omnis materia sit extensa, et omne extensum habeat partes sit compositum, divisibile, imperfectum, mutationi obnoxium, brutum et iners, quod neque motum concipere, nisi ab alio impulsum, neque motum inhibere potest, sed pro ratione impulsus necessariò movetur, et occurrente alio corpore tantùm de motu suo amittit, quantùm illi communicat; Deo tribui non potest, quin ipse imperfectionis arguatur: at summa absurditas est, Enti, quod ut perfectissimum concipimus, tribuere imperfectionem.

III. Ratio, Deum esse spiritum, ipsis ethnicis dictavit. Corpore Deum carere dixit Pythagoras, referente Lactantio; idem sensit Plato. Numa dicebat Deum animo solum cognosci, sensu minimè percipi, neque pati quicquam, neque

corrumpi, ac propterea ullum ejus simulachrum fieri vetuit. Verùm quod ratio persuadet, et ipsa Scriptura confirmat; *Deus est spiritus*, ait Christus, Joh. iv. 24. Ille locus, quidem, juxta quosdam non ita vertendus esset, sed potiùs *Deus spiritum requirit*, supplendo vocem ζητεῖ *quærit*. Existimant quippe non videri constare rationem Jesu Christi; Deus est spiritualis essentiæ, ergo spirituali cultu colendus; nec enim, inquiunt, essentiæ divinæ proprietas esse videtur fundamentum modi colendi Deum, sed divina voluntas, quia alioquin nullus cultus corporeus Deo esset deferendus, et nullus potuisset à Deo Israëlitis injungi, quod tamen factum. Sed hæ rationes tantæ non sunt, ut locum istum afferre nos impediant. Nam 1. Facilius est supplere vocem ἐστὶ *est*, quàm ζητεῖ *quærit*. Notum enim est apud Hebræos et Græcos subintelligi frequenter hoc verbum substantivum, quod de alio verbo non potest probari, saltem ita crebrò. 2. Rectè procedit Christi argumentum. Cultus noster divinæ naturæ debet esse convenientissimus, illud enim optimum est, quod divinæ essentiæ congruit; ergò cùm Dei natura sit spiritualis, debemus eum *animo colere*, nisi aliter statu erit atque imperarit Deus ipse, ut præstitit sub V. T. ubi cultum maxima ex parte carnalem exigebat, quamvis quoque cultum spiritualem injungeret. Jam autem, inquit Christus, adest illud tempus, quò cultus ille ceremonialis sub V. T. à patribus exactus abrogandus est; nunc cultum naturæ suæ congruum exigit Deus; ut se spiritum homines doceat. Ideo etiam ubique prohibet Deus figuram quamlibet ipsi attribui, Deuter. iv. 15, 16. Isai. xl. 18. Actor. xvii. 29. Rom. i. 23.

IV. Nec mirum, si Deus passim in Scripturâ hominis ad instar describatur, et si humana membra ipsi tribuantur, nam ita describitur, ut imbecillitati nostræ succurrat, sed quæ ita dicuntur de Deo, de eo explicari debent ἀναλογικῶς, id est modo naturæ divinæ convenienti; per ea siquidem divinas perfectiones indigitare vult Scriptura. Rursus observandum illa tantùm humani corporis membra Deo tribui, quæ homines omnes credunt esse vel actionum hominis notissimarum principia, ut *cor*, quod per *viscera* etiam designari verisimile est, non *stomachum*, non *arterias*, non *venas*; vel quæ ad actiones homine dignas exercendas sunt instrumenta, ut *pedes*, *manus*, *oculos*, &c. *Cor* adscribit, quod vitalium actionum principium est; *manus*, quia per eas multa præstamus; *oculos*, quia oculorum ope multarum rerum cognitionem nobis comparamus; *aures*, quia quibus benigni sumus, iis faciles præbemus aures; *os*, quia ore

animi nostri sensa eloquimur; *pedes*, quia pedibus, quò volumus, ire possumus, sicque Dei *misericordiam*, *potentiam*, *scientiam*, *omnipræsentiam*, aliasque Dei perfectiones designant. Tandem notandum talia membra tribui Deo, quæ res inauditas præstent; dat Scriptura *oculos*, sed oculos, qui hominum corda scrutantur, et omnia vident; *aures*, quæ ipsorum cordium clamores audiunt, et omnes homines simul, unoque et eodem momento. Ita de aliis membris.

V. Ex eo autem quod Deus sit spiritus, sequitur etiam esse *invisibilem*: innumera loca Scripturæ idem probant. 1 Tim. i. 17. *Regi æterno invisibili*, 1 Tim. vi. 16. *Quem vidit nemo hominum.* Exod. xxxiii. 20. *Non potest me homo videre et vivere.* Deut. iv. 12, 15.

VI. Equidem multa sunt loca, in quibus dicitur visum fuisse Deum, et alia in quibus Deus pollicetur se hominibus conspiciendum daturum in futurâ vitâ; verùm hæc intelligenda sunt, 1. Vel de visione Christi, suæ incarnationis præludia dantis sub formâ humanâ; ita vidit eum *Jacobus* et cum eo luctatus est. 2. Vel de visione ejusdem Christi in ultimâ die sub ea humana forma, quam assumpsit in complemento temporum, apparituri, ita Job se visurum esse Redemptorem sperat, Job. xix. 26, 27. *Novi me carne mea visurum esse Deum. Idem qui sum, et non alius, visurus sum, et oculi mei aspecturi.* 3. Vel de symboli alicujus, quo Deus præsentiam suam testabatur, contemplatione. 4. Vel de majori et clariori manifestatione, ut quum dicitur Moses vidisse Deum de facie. 5. Vel denotat perpetuam et arctissimam cum Deo communionem, et conservationem, ac divini favoris et benevolentiæ, omniumque bonorum, quæ ex ea ad nos redundatura sunt, fruitionem, eodem sensu, quo, videre vitam, videre regnum Dei, pro æternâ felicitate frui, sumitur. 6. Vel de visione prophetica, sive in somnio, sive vigilantibus in extasi oblata. 7. Vel designat maximam Dei cognitionem, quantam potest creatura finita assequi, ut quum dicimur *visuri Deum facie ad faciem.* 1 Cor. xiii. 12.

CAPUT IV.

In quo Deum esse Ens cogitans et vivens probatur.

I. Deum substantiam esse *spiritualem*, seu spiritum esse probavimus, jam autem cùm id primum, quod in spiritu

concipimus, sit esse *substantiam cogitantem;* de Deo idem affirmare necesse est. Sed observandum Deum cogitare, non ad instar hominum aut angelorum, sed modo longè perfectiori, quod explicabitur fusiùs, quando de scientiâ Dei loquimur.

II. Rursus, quia quicquid cogitat, vivit, Deum esse substantiam viventem asserere debemus, et hoc ipsa Scriptura ubique docet, unde passim Deus vivens dicitur. Deut. xxxii. 40. *Vivo ego in seculum.* Ps. lxxxiv. 3. &c. et sic ab idolis ac diis gentium distinguitur. *Annuntiamus vobis ab his vanis ad Deum vivum converti.* Act. xiv. 15. et 1 Thess. i. 9.

III. Vita Deo tribuenda necessariò est, 1. Quia vita est perfectio, at omnes perfectiones Deo tribuendæ. 2. Quia essentia divina aliàs cultu digna non esset; quod enim non vivit, indignum est quod colatur; et homines viventes digniores sunt, quàm ut se subjiciant rei inanimatæ et mortuæ, quæ ipsis multò indignior est.

IV. Vita Dei, quid sit, dicere facile non est; nihil aliud esse concipitur, quàm ipsa essentia Dei actu intelligens, volens &c. Substantiæ enim spiritualis viva tota in cogitatione consistit.

V. Differt hæc vita Dei à nostrâ, non uno modo; 1. Vita creaturarum distinguitur ab ipsis creaturis, at vita Dei est ipsa Dei essentia. 2. Vitam creaturæ ab alio habent, Deus à nullo. 3. Vita creaturarum fluxa atque evanida, Dei verò æterna est, ut in sequentibus probabimus.

VI. Sic quum Deus dicitur *vivens;* non modò ab iis falsis numinibus, quæ gentilismus colebat, distinguitur, sed et ab omnibus creaturis, quæ mutuatitiam et precariam possident vitam.

VII. Vita hæc Dei felicissima est; unde à Paulo non semel dicitur *Beatus,* 1 Tim. i. 11. 1 Tim. vi. 15. hujusque appellationis veritas cuilibet satis patebit, veræ beatitudinis rationem penitus expendenti. Quis enim beatum non diceret Deum, qui nullius rei indigus, in se ipso acquiescit, et omnia possidet; ab omnibus malis liber, omnibusque bonis affluens.

VIII. Non tantùm in se ipso vivit Deus, sed et est perennis vitæ creaturarum fons, et scaturigo, unde vitam viventia omnia hauriunt, non naturalem tantùm sed et spiritualem, ac æternam. Hinc dicitur 1 Tim. vi. 13. *omnia vivificare,* et Act. xvii. 25. *omnibus dare vitam et respirationem;* ac Ps. xxxvi. 10. *fontem vitæ esse apud eum.*

[illegible] 1. Esse viventem. [illegible] Deut. xxxii. 4. [illegible] 4. Vitam habere in se [illegible] 6. Esse beatissi- [illegible]

CAPUT V.

[illegible] ex capite probatur.

[illegible] intelligit et vult, [illegible] ut Ens cogitans à [illegible] et omnia sciens; [illegible] fertur Thaletis dic- [illegible] aliquod Deo [illegible] cogitatio quidem. [illegible] c. 5. observat, [illegible] esse [illegible] cogitationes. [illegible] Aurelius et alii. [illegible] et aures ac oculos [illegible], ut doce- [illegible] Non est ulla [illegible] ipsius, imò [illegible] quo cum [illegible] ubi utitur vo- [illegible] quibus [illegible] per medium [illegible] paterent, [illegible] et sine vitio. [illegible] venit, [illegible] quod sciri, aut [illegible] sive alia [illegible] concipi queunt, [illegible] futura, etiam [illegible] necessaria et contingentia, patrata et cogitata, [illegible] et minima. Ideo dicitur ejus intelligentiæ non esse numerum. Ps. cxlvii. 5 et nosse omnia. 1 Joh. iii. 20. vocatur à Justino martyre πάντων ἐπόπτης.

V. *Deus* est objectum hujus scientiæ; se cognoscit ipsum, tum secundum naturam suam, tum secundum omnes suas perfectiones; Matth. xi. 27. *nemo novit filium, nisi pater, neque patrem novit, nisi filius.* 1 Cor. ii 10. 11. *Spiritus omnia scrutatur quæ sunt Dei. Quis enim hominum novit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in eo, ita etiam ea quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei.* Cognoscit etiam decreta sua et actiones omnes, quas decreto suo convenienter operatur. *Nota sunt Deo ab omni ævo omnia opera sua,* Act. xv. 18.

VI. Res omnes reliquas novit, etiam minimas, non angelos tantùm, homines, bestias, stellas, quarum numerum nosse dicit Psaltes Ps. cxlvii. 4. plantas, sed et capillos capitis, quos in numerato habere dicitur Matth. x. 30.

VII. Præterita omnia nosse nemo negabit sanus; hæc cognitio præteritorum describitur in sacris chartis sub similitudine *memoriæ, librorum, tabellæ;* quamvis fatendum etiam dici *recordari* Deum, ad designandum auxilium ejus opportunum, precum exauditionem, promissorum executionem, gratuitam remunerationem, vel severissimam in peccatores animadversionem.

VIII. Negare quoque non possumus omnes eventus, sive possibiles, sive futuros notos esse Deo, non eos tantùm quos necessarios vocamus, sed quos contingentes dicimus, et qui licèt à Deo determinati, revera sunt contingentes respectu nostri; oriuntur enim ex plurium rerum concursu, quem ignoramus. Qui illud negaremus; cùm Scriptura doceat Deum novisse et prædixisse futura contingentia longè ante eventum, ita Deus noverat Pharaonem induraturum cor suum contra plagas suas; Keilenses tradituros fuisse Sauli Davidem 1 Sam. xxiii. 12. Ægyptios afflicturos semen Abrahami 400. annis, Gen. xv. 13. Cyrum liberaturum populum ex captivitate; populum Judaïcum futurum incredulum temporibus Messiæ. Is. liii. 1. Messiam et Regem suum interfecturum; Judam Dominum suum proditurum, &c. imò, ne cadere passerem, Deo inscio, docet Christus. Hac futurorum cognitione Deus se à falsis gentium idolis distinguit. Is. xli. 22. 23. *Annuntient nobis, quæcumque ventura sunt.*

IX. Ex plurimis illis locis, patet etiam hominum consilia, et cogitationes notissimas esse; quibus addi possunt alia loca 1 Sam. xvi. 7. *Homo adspicit quæ sunt præ oculis, Dominus adspicit quæ sunt in corde.* Jer. xvii. 9. 10. *Profundum est cor præ omnibus rebus et perversum, quis cog-*

noscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes &c. Psal. xxxviii. 10. *Domine coram te est omne desiderium meum, et suspirium meum non est à te absconditum.* Et hæc omnia loca confirmantur ex iis, quæ legimus de *Daniele* divino Spiritu revelante regi Babylonis somnia; de *Elizeo* detegente regi Israëlis consilia regis Syriæ, quæ in cubiculi sui penetrali meditabatur.

X. De actionibus humanis etiam non opus est, ut multis probemus, Job xxxi. 4. *Nonne ipse videt vias meas, et dinumerat passus meos*, quibus addi debet totus Ps. cxxxix.

XI. Nec ipsa *peccata* excipiuntur, Psalm xiv. 2. 3. Jer. xvi. 17. *Oculi mei advertunt ad omnes vias eorum, non sunt absconditæ à facie mea; neque est abdita iniquitas eorum ex adverso oculorum meorum*, et duo capita Apoc. ii. et iii. *Novi opera tua &c.* idem evincunt. Imò ne ipsa *entia Rationis;* Deus enim omnes ingenii humani motus perspicit.

XII. Omnia itaque, quæ sciri possunt, Deus novit, Scripturâ ubique docente, et consentiente ratione; nam si Deus non sciret omnia, quæ sciri possunt, posset dari ens aliud perfectius, quod esset omniscium, ac proinde Deus iste, quem colimus, nomen Dei non mereretur, absit blasphemia dicto; siquidem Deus est tale ens, quo non datur nec dari potest perfectius.

XIII. Nec existimandum est ex eo, quòd minutissima et vitiosa nosse dicatur Deus, propterea vilescere aut contagione quadam infici mentem divinam. Ens enim perfectissimum debet ea omnia nosse, quæ intelligi possunt, et ea quæ contra ipsius legem fiunt; peccata quâ cognita inficere nequeunt; sed tantùm quâ approbata vel præstita.

XIV. Non dissimulandum tamen aliquando eo modo loqui Deum, quasi aliquid ignoraverit; verùm simul observandum hoc non magis nobis mirum videri debere, quàm legere innumera loca, in quibus *pedes, manus, &c.* tribuuntur Deo, quæ omnia, ut jam dictum est alibi, ἀνθρωπικῶς intelligenda sunt. Non mirandum igitur, si Gen. xviii. 21. Deus introducatur dicens de Sodomitis, *descendam et videbo.* Ideo hæc profert Deus 1. Ad commendandam suam justitiam, ne cæco furore percitus ad vindictam properare videretur. 2. Ad patefaciendam suam longanimitatem, secundum quam ad pœnas non properat, licèt eum provocet obstinata hominum malitia. 3. Ad figendam magistratibus in ferendis judiciis regulam.

XV. Ut jam de modo, quo Deus omnia novit, aliquid

dicamus, sobriè hic loquendum esse censemus, nequid indecorum aut summo numine indignum tribuamus. Maimonides monet, *velle scire modum scientiæ divinæ, perindè esse, ac velle Deum esse.* Non sanè arbitrandum Deum res cognoscere ad instar hominum, qui modo hanc rem, modo aliam, et rursum rem eandem, modò obscurè, modo clarè intelligunt, et qui à rebus cognitis, ad ignotas pergunt. Tali modo Deus cognoscit, qui nec imperfectionem discursus, nec laborem inquisitionis, nec ambages recordationis, nec difficultatem applicationis habet; unico et simplicissimo actu omnia intelligit, et veluti unico intuitu omnia lustrat, ac perfectissimè distinctè et certò videt.

XVI. Verum quamvis unico actu omnia Deum intelligere certum sit, conceptus nostri imbecillitas cogit; ut duplicem Deo tribuamus scientiam; alteram quâ novit res, quæ fieri possunt, quæ à scholasticis *scientia naturalis et simplicis intelligentiæ*, alteram quâ novit res futuras, et quæ ab isdem *scientia libera et visionis* dicta est: *primæ scientiæ* fundamentum est ipsa Dei *potentia*, non enim alio modo Deus nosse res, quæ fieri possunt, concipitur, quàm suam potentiam intuendo; *secundæ scientiæ* fundamentum est *ipsum Dei decretum*, de quo infra dictum sumus; ideo enim novit Deus res futuras, quia futuras esse decrevit, unde patet scientiam Dei rerum non esse causam.

XVII. Omnia quæ fieri possunt, cadunt sub alterutram harum scientiarum; nam quicquid est, vel fieri potest vel futurum est, et quod futurum est sub conditione possibili tantùm, possibile potiùs debet dici quàm futurum. Rursus per eas scientias novit Deus quid impossibile, quid non futurum.

XVIII. Necessariò hæc omniscientia Deo tribui debet, aliàs funditus tollitur omnis religio, cùm ad eam stabiliendam nihil validius reperiri possit, quàm si credamus, Deum assiduum omnium actionum nostrarum inspectorem esse, et tandem judicem certissimum fore.

XIX. Hoc attributum nos docet; non tantùm, quomodo in mundo nos gerere debeamus, cùm nihil fugiat Dei infinitam scientiam, et oculi ejus omnia cernant, sed etiam nos posse illi cum fiducia suspiria nostra, ubicumque simus, offerre, ac causam nostram ipsi commendare, probè conscios Deo fore notam rectitudinem et integritatem cordis nostri; ac eam, si non in hoc, saltem in futuro seculo patefacturum.

XX. Cum scientiâ Dei conjungitur ejus *sapientia*, quam

Deo competere Scriptura docet, Rom. xi. 33. et xvi. 27. 1 Tim. i. 17. et ratio confirmat. Quis enim sapientiam Enti perfectissimo denegaret? Augustius quid sonat quàm scientia. Eâ novit Deus, quid juxta rerum omnium exigentiam agendum, et quo ordine, et modo fieri debeat, quibus mediis finem, quem intendit, consecuturus est, et gloriam suam illustraturus. Per eam omnia mirabiliter disponit; *mensura*, *numero*, *pondere*; at *mensura*, quæ ad nostros pedes aut cubitos non est extendenda; *numero*, qui ad nostros non est revocandus calculos; *pondere*, quòd ad libellam nostram non est appendendum. Viæ hujus sapientiæ sunt hominibus ut plurimùm ἀνεξιχνίαστοι, *impervestigabiles; neque enim promptum est cuiquam, Dei videre mentem, aut quibus modis ordinavit res suas homo animal cæcum. et ipse se nesciens ultrò potest rationibus consequi*, ut loquitur Arnobius; unde exclamare juvat cum Apostolo Rom. xi. 33. 34. *O altitudo divitiarum tum sapientiæ, tum cognitionis Dei! Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, et impervestigabiles viæ ejus!* Sed etsi sint ignotæ illæ viæ, justissimæ tamen sunt, atque eas admirari debemus, non perscrutari; adeo hæc miranda est Dei sapientia, ut educat aliquando ex tenebris lucem, ex morte vitam, et ex maledictione benedictionem. *Deo illi summo, soli sapienti, sit laus et gloria.* Amen.

CAPUT VI.

De Voluntate Dei.

I. Esse in Deo *Voluntatem* hinc patet, quod nihil eorum, quæ ad intelligentis naturæ perfectionem pertinent, Deo sit adimendum, et quod quicquid cogitat, intelligit et vult. Tota Scriptura id docet. Psal. cxv. 3. *Deus noster in cœlis est, quicquid placet, facit.* Is. xlvi. 10. *Omne beneplacitum meum faciam.*

II. Hæc voluntas, non per modum facultatis concipienda est, sed instar actus, et est ipsa Dei essentia, siquidem nihil in Deo est, quod Deus non sit, atque hinc patet voluntatem hanc æternam esse, cùm essentia Dei sit æterna.

III. Unica est illa voluntas, et unico et simplicissimo volendi actu Deus omnia comprehendit, sicut unico intuitu, omnia videt et intelligit; verùm quia nos sumus finiti, non

possumus res concipere, prout sunt in Ente infinito, et Deus à nobis concipitur, modo ut *Rector mundi*, et arbiter eventuum, modò ut *summus Legislator*; hinc fit ut multiplicem voluntatem Deo assignet Scriptura, pro diversitate objectorum, *alteram* quâ Deus decernit, quid velit facere aut permittere ut fiat, *alteram* qua præscribit hominibus officium: prima respicit rerum *futuritionem* et eventum, secunda est *norma actionum nostrarum*, illa semper implebitur, et illi resisti nequit. Rom. ix 19. *Voluntati ejus quis obstitit?* Ista sæpè violatur ab hominibus. Prima dicitur *voluntas decernens* aut *decreti*, quia decernit eventus, aut *voluntas arcana*, quia ut plurimùm nos latet, non semper tamen; non rarò enim Deus arcana quædam consilii sui hominibus patefacit, aut *voluntas* εὐδοκίας, *beneplaciti*, secundum quam Paulus dicit Deum nos prædestinasse Eph. i. 5. *Secunda* appellatur *voluntas præcepti*, quia præcipit homini officium suum, aut *voluntas revelata*, quia revelatur in lege et evangelio, aut *voluntas* εὐαρεστίας *approbationis et complacentiæ*, quia declarat quid Deo gratum sit, et quid approbet, aut *voluntas signi*, non quod significet, quid Deus facere circa hominem, vel de homine velit, sed quod significet homini, quid Deo gratum sit; et de ea dixit Paulus 1 Thess. iv. 3. *Hæc est voluntas Dei, nempe sanctificatio vestra.*

IV. Observandum nos dixisse *voluntate decernente* Deum statuisse, quid velit *facere* vel *permittere*. Quædam enim sunt, quæ Deus facere vult, et quæ reverà sunt bona, sed alia sunt, quæ nec facit, nec facere potest, utpote mala, quæ tamen permittit ut fiant, et quæ postea dirigit ad bonos fines; peccare, v. g. homines permittit, at peccati auctor non est, imò severissimè prohibet. *Voluntas* etiam *præcipiens* circa duo objecta versatur, alia *bona*, alia *mala*, illa præcipit, hæc prohibet.

V. Hæ duæ voluntates, quamvis diversæ à nobis concipiantur, minimè tamen sunt contrariæ, non enim versantur circa idem objectum. Sanè si Deus vi decreti sui homines impelleret ad ea facienda, quæ lege sua prohibuit, aut si decrevisset fieri aliquid ab hominibus, quod fieri postea non vellet pati, vellet pugnantia: verùm ita se res non habet, et hoc patebit exemplo: Deus decreverat Abrahamum non immolaturum filium, et tamen immolare jubet; hæc videntur contraria, sed non sunt: nam idem Deus qui decreverat Abrahamum non immolaturum filium, decreverat etiam Abrahamo præcipere, ut immolaret, et quidem eum in

finem, ut Patriarcham tentaret, simulque statuerat impedire factum Abrahami; sic apprimè consentiunt hæc, Deus decrevit Abrahamo præcipere, ut suum filium mactet, ad eum tentandum, et reverà præcepit in tempore, Deus decrevit Abrahami impedire factum, et revera impediit. Quàm bellè hæc consonant!

VI. Ut omnia, quæ super hac re nasci possunt, dubia evanescant, observandum est, 1. Accuratè loquendo unicam esse Dei voluntatem, *decernentem* scilicet. 2. Illam voluntatem decernentem, non tantùm definiisse, quid fiet ab hominibus, sed etiam quæ ipsis præscribenda sunt in tempore, vel revelanda. 3. *Voluntatem præcepti* esse propriè executionem partis voluntatis decernentis; illius scilicet partis, quæ definivit quid in tempore revelandum sit, vel præcipiendum hominibus. Exemplo res clarior evadet: Deus per voluntatem præcepit hominibus fidem et obedientiam, at id decreverat præcipere; dum præcipit itaque, exequitur quod decreverat. Quod si non omnibus det fidem illam quam præcipit, id non mirum, nam sic quoque exequitur quod decrevit, non omnibus scilicet dare fidem; sic nulla est contradictio inter *voluntatem præcepti, et voluntatem decernentem*, siquidem una est tantùm executio partis alterius.

VII. Hæc voluntas decernens Dei, *immutabilis* est; *Ego Jehova non mutor.* Mal. iii. 6. Isai. xlvi. 10. nec hoc opus habet probatione ulteriori. In sequentibus enim de immutabilitate Dei, et ejus decretorum dicendum erit.

VIII. *Libera* etiam est voluntas, quamvis enim posito æterno actu voluntatis Dei, aliter velle non possit Deus, nihilominus liberrimus est, quia Deus à nullâ vi externâ determinatur, sed à se ipso solo; et quia sponte et cum ratione semper agit, quæ est summa libertas. Huic liberrimæ voluntati quæcunque habemus, debemus, et huic nos submittere par est, nec adversus eam unquam murmurare licet.

CAPUT VII.

De Attributis divinæ Voluntatis, quæ Affectus vocantur.

I. Quamvis *Affectus* in Deo non sint, siquidem affectus semper conjuncti sunt cum aliquâ perturbatione, aut com-

motione, ac denotant impotentiam et mutationem, proindeque summæ beatitudini Dei repugnarent; Deo tamen tribui in Scripturâ, humanâ linguâ filios hominum alloquente, certum est; verùm observandum est illos affectus in Deo non designare *Passiones* vel commotiones, nec concipiendos esse, ut diversas Dei voluntates, quæ aliquam in Deo inferant mutationem, sed esse actus ejusdem voluntatis, et notare diversas ejus relationes; de præcipuis aliquid dicendum est, ac *primò* de *bonitate*.

II. *Bonitatem*, affectum dicimus, non illam quâ Deus est Deus, prout bonitas est proprietas Entis, ac proinde Entis summi et perfectissimi, sed illam quâ Deus est propensus ad se communicandum. Eam ubique prædicat Scriptura Ps. xxxvi. 6. 7. Actor. xiv. 17. Ps. lxxiii. 1. Ipsis ethnicis Jupiter dicitur *Optimus Maximus, et quidem*, ut docet Cicero lib. ii. de Natura Deorum, *ante Optimus, id est beneficentissimus, quàm Maximus, quia majus est certèque gratius prodesse omnibus, quàm opes maximas habere.*

III. *Primus* bonitatis Dei affectus in tempore est *creatio*, et quia ens productum à producente semper pendet, hinc *secundus* bonitatis actus est *conservatio*. *Bonitas* illa, alia *generalis* est, quâ creaturas omnes prosequitur, alia *specialis*, quæ homines spectat, alia *specialissima*, quæ electos. Nec mirum videri debet, si inæqualiter bonus est Deus erga suas creaturas; in hac inæqualitate summa Dei cernitur libertas, ac supremum dominium.

IV. Ex *bonitate* fluit *Amor*, quo Deus fertur in rem creatam, ac illi gestit benefacere, et sese cum illa veluti jungere. Cùm varii sint gradus amoris in homine, varii etiam adscribuntur Deo, non quasi in Deum cadat magis et minus, sed quia effecta illius amoris alia aliis sunt minora. Tres vulgò gradus amoris Dei solent distingui. *Amor benevolentiæ*, qui est ille amor quo Deus movetur ad aliquod bonum volendum creaturæ suæ, quatenus suæ creaturæ, nullâ habitâ ratione virtutis, quæ in creaturâ sit. *Is amor* non differt à *bonitate* Dei, et eo amore Deus ab æterno benevoluit creaturæ; imò per *amorem* illum *benevolentiæ*, benè aliquando vult creaturæ indignæ et odio dignæ. *Amor beneficentiæ* est amor ille, quo in tempore benefacit: observanda hæc vocabula *in tempore*, ut distinguatur ab amore benevolentiæ, quo Deus ab æterno benè vult creaturæ. Tandem *Amor complacentiæ vel amicitiæ* est ille, quo fertur in creaturam sanctam et justam. *Primo* amore Deus nos eligit, *secundo* nos redimit et sanctificat, *tertio* nos sanctos

remuneratur. De isto ultimo loquitur Christus Joh. xiv. 21. *Qui præcepta mea habet, eaque observat, is est qui diligit me, et qui diligit me, diligetur à Patre meo, et ego diligam eum.* Duo autem commendant Dei amorem erga nos. *Primò* indignitas nostra comparata cum majestate diligentis. *Secundò* effecta illius amoris infinita, *donum Christi, donum Spiritûs, donum vitæ æternæ.*

V. Hujus amoris adjunctum est *Gratia*, quâ Deus fertur ad se communicandum creaturæ propriâ suâ sponte: non ex merito aut debito, aliâve ullâ causâ extrinsecùs impellente; neque ut ipsi Deo aliquid accedat, sed ut bene sit illi, cui ea fit. *Gratia* enim nihil aliud est quàm indebitus favor. Hæc gratia opponitur semper merito; Rom. xi. 6. *si gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* Observandum autem hîc, vocem *Gratiæ* in Scripturâ sumi, modò pro *favore* Dei, quò nos *ab æterno elegit* ad vitam, modò pro eo, quo nos *in tempore gratos habet* et acceptos in filio dilectionis suæ, Eph. i. 6. modo pro *effectis* illius gratiæ, sive pro *donis ordinariis* à Deo fidelibus datis, ut donis *fidei, spei*, et *charitatis*, quæ in vocatione et conversione nostrâ nobis conferuntur; quæque dona scholastici *gratiam gratum facientem* appellant; sive pro *donis extraordinariis* à Deo immediatè ad Ecclesiæ Christianæ ædificationem primis temporibus concessis, quæ dona, iidem scholastici, *dona gratis data* appellant, de quibus 1 Cor. xii 4. 6. 7 De *gratia* autem *Dei* loquens Cicero ait, *id esse maximè proprium optimæ, præstantissimæque naturæ, et Epicurum ex animis hominum radicitus extraxisse religionem, cùm Diis immortalibus et opem et gratiam sustulit.*

VI. *Gratiam* comitatur *Misericordia*, de qua loquitur Psaltes Ps. cxlv. 9. *suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia ejus opera.* Ps. ciii. 8. Lament. iii. 22. 23. quæ in Deo non est ægritudo animi ob alienas miserias, aut tristitia ex alienis malis concepta, sed propensa ac prompta voluntas miseris succurrendi. Hæc non oritur ex aliquâ causâ externâ, quæ hunc affectum in hominibus ciere solet, sed à sola Dei bonitate. Alia *generalis*, alia *particularis* est, ut de bonitate diximus: sed magnitudinem illius misericordiæ ostendunt. 1. Summa indignitas eorum, quorum miseretur Deus, collata cum ejus majestate, *numerus* peccatorum, quorum rei sunt, et *magnitudo* eorum miseriæ. 2. Severitas justitiæ Dei. 3. Duratio illius misericordiæ in æternum. 4. Innumera ejus effecta.

VII. Hæc indicasse sufficit; addam tantùm Deum nostrum optimum, qui nostri adeò misertus est, nosque adeò amavit, et amat, à nobis esse summoperè amandum; illius promissis esse confidendum, ac voluntati ejus, quæ omnia etiam mala ad bonum nostrum dirigit, omninò esse acquiescendum.

VIII. *Amori* òppositum est *odium*, quod est affectus displicentiæ et separationis à personâ dissimili et ingratâ, in Deo notat, 1. Improbationem peccati. 2. Voluntatem puniendi peccatorem, quam sequitur pœna. 3. Negationem bonorum illorum salutarium, quæ ex Dei bonitate fluunt. Loca Scripturæ, in quibus de odio Dei loquitur, sunt innumera. Ps. v. 7. *Odisti omnes operantes iniquitatem.* Levit. xxvi. 30. Ps. xi. 5 Jac. iv. 4. Deut. xii. 31. Ps. xlv. 8. Ps. xxi. 7. Prov. vi. 16. 17. Gravissimi Dei odii effectum est inflictio mortis æternæ. Ab illo odio Dei cavendum, ideòque odio summo peccatum est prosequendum; solum enim peccatum odium Dei incurrit.

IX. Ad *amorem* Dei pertinent *ejus desideria &c.* Boni absentia *desiderium* excitat, at cùm Deus omnibus bonis fruatur, desiderium in ipsum propriè cadere non posse liquet, tamen tribuitur non rarò in scripturâ, et huc referenda sunt omnia loca, in quibus Deus ita loquens introducitur; Ps. lxxxi. 14. *Utinam populus meus obtemperasset mihi.* Is. xlviii. 18. Luc. xix. 42. Desiderium illud notat in Deo gratam esse ipsi summoperè obedientiam hominis, nec eam relicturam esse absque præmio, sed simul indicat, 1. Officium hominis. 2. Ejus summum crimen, si tali non defungatur officio. Huic desiderio opponitur *aversatio*, quâ Deus peccata et exitium creaturæ aversari et odisse dicitur.

X. Ex dictis patet quid de *spe* Dei, ejus *gaudio*, *tristitiâ*, *zelotypiâ &c.* judicandum. *Spes* et *expectatio* in Deo innuit rem esse debitam, ita, quum Deus dicebat Is. v. 2. *se expectasse, ut vinea ipsius produceret uvas*, significabat, vineam istam fructus illi debuisse, nec potuisse sine crimine carere fructibus. *Gaudere* Deus dicitur, quum aliquid Deo gratum est, sic quum Deus aliquid præstat, quod ejus gloriam illustrat, et exerit; ut quando benefacit piis, *lætari* dicitur. Deut xxx. 8. 9. vel quando impios, præfractos, et contumaces plectit. Deut. xxviii. 63. Prov. i. 26. *Metuere* Deus introducitur, Deut. xxxii. 27. ut ostendat Israëlitas magis hostium causâ, quàm suo merito elapsos. Aliquando metus ipsi tribuitur, ut designetur eum prævertere velle, et impedire aliquod malum. *Tristitia* in Deo notat

rem aliquam Deo summoperè displicere, ac virtutibus suis contrariam esse. Adscribitur Deo, Is. lxiii. 10. et alibi. *Zelotypia*, est constantissima Dei voluntas, non dandi alteri gloriam suam, raptoremque puniendi. Verbum tantùm addam de *Pœnitentia* Dei, atque ejus *Ira*.

XI. *Pœnitentiam* Deo tribui innumera docent loca, Gen. vi. 6. 1 Sam. xv. 11. Sed quomodo tribuatur, investigandum. Ad *pœnitentiam* propriè dictam duo in homine concurrunt; *primò* internus animi dolor, quatenus is detestatur suum factum, idque non factum esse vellet; *secundò* mutatio operis facti. Respectu *prioris* non cadit in Deum *pœnitentia:* summa enim est imperfectio, et oritur ex consideratione rei malè gestæ, aut operis imprudenter suscepti. Respectu *posterioris* cadit in Deum *pœnitentia*, quia aliquando mutat opus suum, et idem sic præstat, quod solent pœnitentes homines. Hæc autem mutatio operis non notat mutationem in mente Dei, nam eodem actu voluntatis, decrevit facere opus, et post aliquod tempus mutare; ita simul decrevit creare homines, et eos diluvio universali perdere post aliquot secula. Verùm observandum est, hanc *pœnitentiam* notare etiam, homines, quorum respectu Deus dicit se pœnitentiâ duci, se indignos præstitisse beneficiis à Deo collatis, ac exitium suis criminibus meruisse vel ita vitam mutasse, ut Deus erga eos placatus sit.

XII. Quod ad *iram* Dei spectat, certum est, non denotare ejusmodi animi commotionem, quæ cum perturbatione ex accenso à bile sanguine circa cor orta, conjuncta est: Deo enim tribui nequit talis commotio, et perturbatio, ut potè ab omni alteratione prorsus immuni; sed designat in Deo justam, et liberam voluntatem puniendi peccatores. De ea loquitur Joh. iii. 36. *Qui filio incredulus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Et Rom. i. 18. Rom. ii. 8.

Effecta ejus iræ sunt pœnæ tum *temporales*, et quidem vel *corporeæ*, Deut. xxxiii. Lev. xxvi. vel *spirituales*, ut excæcatio, induratio. Rom. i. 24. 26. 28. &c. tum *æternæ*, separatio nimirum à Deo et in ignem æternum conjectio. Matth. xxv. 46. Atque hæc de hoc argumento satis.

CAPUT VIII.

De Justitia Dei.

I. *Justitiæ*, quando tribuitur Deo, vox in Scripturâ diversimodè sumitur: modò enim designat, *Sanctissimum divinarum virtutum complexum*, quæ in omnibus Dei dictis et factis elucent, ita ut nihil agat, nisi quod sit conveniens Enti perfectissimo; sicque confunditur cum *sanctitate* Dei, quæ est virtus, quâ Deus nihil præstat, nisi quod ens perfectissimum decet, quam virtutem prædicant angeli. Is. vi. 3. *Sanctus est Jehova exercituum;* ac de qua loquitur Deus, Lev. xi. 44. *Ego sum Jehova Deus vester, ut sanctificetis vos, et sitis sancti, quia ego sanctus.* 1 Pet. i. 15. Modò *justitiam* illam specialem, quâ suum unicuique tribuit, quæque in præmiorum, aut pœnarum distributione consistit. *Primo sensu* dixit Moses, Deut. xxxii. 4. *Rupis opus est perfectum, omnes enim viæ illius sunt judicium, Deus veritas est absque ulla iniquitate, justus ac verus. Secundo sensu* dixit Paulus 2 Thess. i. 6. *Justum esse apud Deum, ut rependat afflictiones.* Rursus *justitia* sumitur aliquando pro *voluntate* Dei puniendi peccatores; aliquando pro *pœna* ipsa à justitia inflicta. Quibus addendum, sumi non rarò etiam pro *veritate Dei* in promissis, atque ejus *benignitate.*

II. Deum esse Ens justissimum, sanctissimum, veracissimum, ipsa idea Entis perfectissimi omnes docet, et contradictionem implicat concipere Deum injustum. Sed disquiri potest, an *justitia* illa, quâ Deus punit peccata, et quæ *vindicatrix* dicitur, sit ipsi Deo essentialis; et an ei repugnet peccatum linquere inultum.

III. Duo illud probant imprimis. 1. Si amor sanctitatis et odium peccati sit essentiale Deo, Justitia vindicatrix erit ei essentialis, at verum prius &c. *Minorem* docet, (1.) *Scriptura* in iis locis, in quibus Deo perfectæ sanctitatis laus tribuitur, et summè detestari dicitur peccatum. Hab. i. 13. *Purior es oculis quàm ut aspicias malum.* Ps. v. 5. 6. 7. *non es Deus fortis qui delecteris improbitate &c.* (2.) Docet *ratio* ipsa, Deus enim non potest concipi, quin concipiatur sanctissimus, et peccatum aversans. *Major* est evidentissima, nam odium peccati nihil aliud est, quàm voluntas constans puniendi peccatum, ut ostendimus in superioribus; si itaque voluntas constans puniendi peccatum sit Deo es-

sentialis, justitia vindicatrix pariter essentialis erit; si autem justitia vindicatrix ei essentialis est, non poterit pati peccatum inultum Non igitur coacipiendus est Deus creditoris ad instar, qui de jure suo remittere potest, quamvis peccata nobis ut debita repræsententur, quia nos ad pœnam obligant. Sed ad instar Rectoris universi, ac summi Judicis, qui suarum legum majestatem sartam tectamque tueri debet, quemque justitiam suam impune offendi pati neutiquam deceret. 2 Si justitia illa Deo essentialis non esset, nulla ratio legitima posset afferri, cur dilectissimum et sanctissimum Filium morti tradidisset; summa enim Dei sapientia non patitur, ut dicamus illud gratis et sine maximâ necessitate factum.

IV. Hoc confirmatur, tum ex *conscientiæ dictamine*, quæ sistit homines ad tribunal Dei, et quæ eos torquet miserè post admissum scelus; tum ex *populorum consensu*, apud quos ista persuasio, Deum esse justum judicem scelerum, ita obtinuit, ut homines ipsos mactaverint, sperantes hoc modo irato numini litaturos, tum illo omni sacrificiorum apparatu ac pecudum lanienis, quibus in veteri Testamento necessitas expiationis peccatorum, ut justitiæ divinæ satisfieret, adumbrabatur.

V. *Punire* equidem vocatur opus Dei alienum. Is. xxviii. 21. sed ideò hoc dicitur, quia longè Deo gratius foret, qui morte peccatorum non delectatur, si homines ita viverent, ut nullus judiciis suis daretur locus; præterquàm quod hic agitur de vindicta Dei in populum suum. Alibi tamen testatur Deus se ex impiorum pœna consolationem percipere. Hos. x. 10. Amos. v. 9. Deut. xxviii. 63. Is. i. 24.

VI. Hæc justitia plerumque procedit lento gradu ad peccatorum vindictam, sed tarditatem supplicii gravitate compensat. Elucet in omnibus Dei judiciis, sed imprimis se conspicuam præbebit in *ultimo Judicio*, in quo unicuique secundum sua opera tribuet. Hic aliquid subjungere juvat de *Veritate*, et *Fidelitate* Dei, quæ voce justitiæ non rarò significatur, ut dictum. *Veritas* aliquando simpliciter rectitudinem denotat, ut Ps. xix. 10. *Judicia Dei dicuntur vera*, id est *recta*, sed veritas quoque sumitur, vel I. Pro conformitate dictorum Dei cum *mente divina*, et *cum rebus ipsis;* non enim veritas Dei est ut veritas hominum, quæ solummodo est cum mente conformitas, licèt ob plurimarum rerum ignorantiam, quandoque rebus non sit conformis. Tribuitur illa Deo Rom. iii. 9. *Est Deus verax.* Tit. i. 2. vocatur ἀψευδὴς. *Verus* est in omnibus *dictis*, *præceptis*,

promissis. 2. Sumitur *veritas* pro illa virtute, qua Deus stat semper suis promissis; ut Rom xv. 8. Ea confunditur cum *fidelitate*, qua Deus, id quod dixit, aut promisit, exequitur. De ea loquitur Paulus Heb. x. 23. *fidelis est Deus.* 1 Cor. x. 23. et Johannes, 1 Joh. i. 9.

CAPUT IX.

De Mansuetudine, Longanimitate, Patientia et Severitate Dei.

I. *Virtutes*, quæ pœnas, quas meriti sumus, moderantur, χρηστότητος sive του χρηστου, id est *benignitatis*, ἀνοχῆς *patientiæ*, μακροθυμίας *onganimitatis* vocabulis exprimuntur in Scripturâ. Nec justitia his virtutibus adversa est; ex eo enim quòd necessariò puniat Deus, non sequitur tamen, eum necessariò punire semper quantùm potest, et statim ac potest, aut in ipsum peccatorem semper animadvertere.

II. Hæ omnes virtutes ad duas referuntur, ad *Mansuetudinem* Dei, et ejus *Longanimitatem.*

III. *Mansuetudinem* Dei docet Scriptura, quum probat, 1. Deum pœnam non libenter exigere, et punitionem esse Dei opus alienum. Isaias xxviii. 21. 2. Gravitatem castigationum non respondere sceierum magnitudini Ps. ciii. 10. 3. Facilem esse ad ignoscendum, et iram facile deponere Jer. xviii. 7. 8. 9.

IV. *Longanimitas* Dei est ejus mansuetudo diu durans, sive *longa Dei patientia*, quâ tardus est ad puniendum, ac pœnam promeritam diu suspendit, et peccatores variis beneficiis ad pœnitentiam vocat. Rom. ii. 4. 2 Pet. iii 9. Isaias xlviii 9. Ejus illustre exemplum dedit Deus erga primi mundi incolas, quos per 120. annos toleravit.

V. Non tantùm longanimitatis Dei et ejus mansuetudinis, sed et *severitatis* meminit Scriptura. Vocat eam ἀποτομίαν Rom. xi. 22 per metaphoram desumptam ab iis qui abscindunt inutiles ramos ex arbore.

VI. Eam severitatem Deus exercet; 1. In eos, quos pro longanimitate sua diu toleravit, ut in *populum Israëliticum.* 2. In eos, qui ingenti beneficio à Deo affecti sunt, ut in *uxorem Lo'hi* eductam ex incendio, in *Nadab* et *Abihu*, quos Deus honore sacerdotii dignatus fuerat. 3. In eos, qui tale peccatum commiserunt, quod facilè evitari poterat, et quod aliis exemplum imitandi, noxium valdè, præbere

potuit, ut peccatum *Huzæ, Bethsemitarum; viri* illius qui *lignatam exiverat* die sabbathi. 4. In eos, qui illo tempore peccant, quo Deus gratiam suam singulariter demonstrat, per multorum signorum patrationem; ut peccatum *Ananiæ* et *Sapphiræ*, qui eo tempore gravissimè mentiuntur, quo miracula omnis generis patrabant apostoli. 5. In eos, qui enormia committunt scelera. Aliæ possunt dari causæ nobis ignotæ, nullæ tamen propter quas severitas Dei culpari debeat. Nostrûm est igitur divitias Dei longanimitatis non aspernari, ne thesauros iræ in nos accersamus.

CAPUT X.

De Potentia Dei, ejus Dominio et Omnipræsentia.

I. POSTQUAM de voluntate Dei diximus, sequitur ut de ejus *Potentia* dicamus, quæ est *virtus, quâ facere Deus potest, quæcunque fieri possunt.* Hæc a *voluntate* Dei non distinguenda est; nam in Deo *voluntas* est ipsa *potentia* actualis; sed *potentia* vocatur, quando res nondum est producta, vel quando non est producenda; etsi nihil repugnet ut fiat. Ideo distinguitur à nobis *potentia* et *voluntas*, quia nos per voluntatem nostram res non efficimus. Omnipotentiam Dei esse efficacissimam ejus voluntatem patet, quia cùm Deus sit Ens perfectissimum, modo perfectissimo operatur, perfectior autem modus non potest concipi, quàm is, qui fit per actum voluntatis.

II. *Potentia* illa non distinguitur ab *actu*, siquidem non differt ab *essentia* Dei, quæ ipsa nihil nisi purissimus actus est.

III. Hanc potentiam Dei ubique prædicat Scriptura, Luc. i. 37. *Non erit impossibile apud Deum ullum verbum*, ait Angelus ad Mariam, id est, nulla res; Marc. x. 27. *Apud Deum omnia sunt possibilia.* Philip. iii. 21. Ps. cxv. 3. Hoc confirmat ratio; concipere enim Deum impotentem, non est concipere Deum. Fatuos dicebat Pythagoras, qui negabant Dei potentiam.

IV. Objectum illius potentiæ est id omne quod Deus vult, et quod non implicat contradictionem, ut *simul esse et non esse, circulus quadratus*, et illud omne quod vitium et imperfectionem connotat, ut *mentiri, peccare, mori, lædi, edere, bibere.* Nam ut objectum scientiæ infinitæ est

illud omne quod intelligi potest; ita objectum potentiæ Dei est quod non repugnat ut fiat sive à parte rei, sive à parte Dei.

V. Non itaque illud omne est objectum potentiæ Dei, quod quocumque modo à nobis concipitur, multa enim à nobis finguntur, quæ absurdissima sunt et Deo indigna. Non etiam credendum illud tantùm esse objectum potentiæ Dei quod à nobis concipi potest, multa enim Deus potest quæ non capimus, ut ex nihilo educere mundum; sed debemus firmiter credere 1. Deum posse omnia nobis conferre quæ ad salutem sunt necessaria. 2. Posse ab omni malo, et ab hostibus omnibus nos tutos præstare. 3. Posse suis cultoribus bona promissa largiri, impiis verò pœnas meritas infligere, posse servare et perdere. 4. Posse longè plura, quàm petimus, speramus, ac concipere possumus, Eph. iii. 20. Deum ita potentem quis non timere debeat? Matth. x. 28. Quis ad eum non confugere, quis ejus promissis non confidere, quis ipsius præceptis non obtemperare teneatur?

VI. Cum potentia jungenda est *Potestas* Dei, per quam jus habet ea præstandi omnia quæ facit. *Potestatis* illius ut et *Dominii* Dei fundamenta sunt. 1. Dependentia omnium creaturarum à suo creatore. 2. Naturæ divinæ supra alia omnia, eminentia et dignitas. Aristoteles aiebat, si quis esset, qui reliquos omnes homines sapientiâ superaret, illum fore dignum, cui omnes mortales imperium deferrent. Deus itaque propter ὑπεροχὴν dignitatis et excellentiæ, cujus respectu nulla est inter eum et creaturam proportio, absolutissimum ac infinitum habet in creaturas dominium. 3. Beneficia illa innumera quibus suas creaturas mactat.

VII. Dominium illud absolutum est, nullius enim censuræ vel judicio subest, *An figmentum diceret figulo*, cur *me ita fecisti*, Rom. ix. 20. 21.

VIII. Vi hujus dominii jus habet Deus statuendi de suis creaturis pro arbitrio, nec conqueri debet una, si non eligatur ut altera, aut si affligatur, dum altera bonis affluit. Hoc dominium agnoscebat *Job*, qui dicebat, *Dominus dedit, Dominus abstulit, nomen Domini sit benedictum.* Job. i. 21. *Heli*, qui exclamavit, *Dominus est, quod bonum est in oculis, faciat.* 1 Sam. iii. 18. et *David*, qui Psal. xxxix. 9. ait, *Obmutui, quia tu fecisti.* Quousque autem extendendum sit illud jus, nostrum non est definire.

IX. Omnipotentem non tantum Deum esse docet Scriptura, sed et *omnipræsentem* ac immensum. Is. lxvi 1. *Cœlum ipsum solium meum est, et terra scabellum pedum me-*

orum. Jer. xxiii. 23. 24. *Annon cœlum et terram impleo.* Ps. cxxxix. 7. 8. 9. 10. *Quò ibo à spiritu tuo, si ascendero in cœlum, ibi tu &c.* 1 Reg. viii. 7. *Ecce cœli cœlorum non continent te.* Hæc ultima verba protulit Salomo templum Deo consecrans, nequis crederet Gentilium more (qui numen è cœlo in sacras ædes solemnibus carminibus evocare se posse putabant) Salomonem existimasse, se pariter verum Deum è cœlo veluti deducere, ut ea domo quam struxerat ineluderetur; in limine precationis magnus ille rex ait, *cœlos non capere Deum.*

X. Idem sensere saniores inter ethnicos, dicebant quippe Deum

> ..... *Ire per omnes*
> *Terrasque tractusque maris, cœlumque profundum,*
> Virg.
>
> *Quo fugis Encelade, quascunque acceseris oras,*
> *Sub Jove semper eris.*

Xerxes non poterat pati in templis manu factis numen includi, et hanc impietatem ivit ultum Græcorum delubra evertendo. *Pythagoras* Deum definiebat *mentem per omnem rerum naturam diffusam;* et *Simplicius* aiebat, *Deum simul et semper cum omnibus suis virtutibus ubique adesse.* In Alkorano Muhammedis legitur Surata xviii. *Ubi tres adestis, Deus est quartus; ubi quinque, Deus sextus.*

XI. Modum quo Deus est ubique, nec curiosius inquirere, nec temerè definire decet, imò explicare impossibile; hæc tantùm certa sunt, 1. Omnipræsentiam Dei non esse concipiendam per modum alicujus extensionis, et quasi diffusionis essentiæ divinæ per omnia; sic enim Deus instar corporis conciperetur, quod dici non potest, ut antea probavimus. 2. Deum ratione potentiæ, virtutis, operationis, et ratione essentiæ, esse ubique præsentem. (1.) Esse *omniprœsentem* respectu *operationis* credimus; omnia enim in omnibus operatur, omnibus creaturis dat suum esse, omnia conservat, omnibus largitur vires, et potentiam agendi. (2.) Cùm Deus ista operetur per suam *potentiam*, dicimus Deum esse omnipræsentem per *potentiam.* (3.) Cùm potentia non differat à divina essentia, tuemur esse omnipræsentem respectu essentiæ, Deus non potest operari, ubi non est, quia operatur per essentiam suam. Non diffitendum equidem, dici Deum sæpissimè *ascendere* et *descendere, accedere* et *recedere,* sed hoc neutiquam probat Deum

non esse omnipræsentem; *accedit* Deus et *descendit*, quum præsentiæ suæ testimonia dat; *recedit* et *ascendit*, quum gratiæ suæ symbola subducit, et salutaris præsentiæ signa hominibus denegat. 3. Omnipræsentiam Dei non indignam esse majestate divinâ, quasi non posset esse Deus in locis spurcissimis, quin conspurcaretur; nam cum Deus sit spiritus, à corpore tangi non potest. 4. Omnipræsentiam Dei non impedire, quominus Deus dicatur modo peculiari in quibusdam locis et personis, ubi vel suæ majestatis, vel gloriæ vel gratiæ signa et effecta dat; ita esse dicitur in *cœlo*, quia divinæ gloriæ, præsentiæ, majestatis explicatio longè est illustrior in cœlis, unde metaphoricè Dei *thronus*, Dei *palatium*, *sanctuarium* dicitur; quibus addendum, id dici etiam, ut cogitemus de Deo nonnisi sublimia, maxima, supra humanas et terrenas rerum vices et casus; et animos nostros in precibus à terrenis ad cœlestia, à sphærâ inferiori ad superiorem extollamus. 5. Eundem Deum, qui omnia replet suæ essentiæ omnipræsentiâ, nullisque locorum spatiis circumscribitur, neque definitur, quique in cœlo gloriam suam angelis et beatis explicat et pandit, in sanctis fidelibus habitare per *Spiritum suum;* in Ecclesiâ per gratiam suam, Ezech. xlviii. 35. ut de Jesu Christo nihil dicam, in quo totam Deitatis plenitudinem σωματικῶς habitare docet Scriptura.

XII. Hæc Dei *omnipræsentia* in periculis de Dei auxilio nos securos debet reddere, ac per omnem vitam pietatis studiosos; cùm *non sit procul à nobis.* Act. xvii. 27. *Sapiet, qui in mundo, ut in templo, versabitur, et præsentem ubique Deum cogitabit.*

CAPUT XI.

In quo probatur, Deum esse Ens necessariò existens et æternum.

I. DEUM esse Ens necessariò existens, ita probamus. Quod clarè intelligimus pertinere ad alicujus rei naturam, id potest de ea re verè affirmari. Atqui clarè intelligimus existentiam necessariam pertinere ad Dei naturam, ergo &c. *Major* evidentissima est, quia non aliter probantur ea quæ per se clara sunt. *Minor* ita probatur, *necessaria existentia* pertinet ad entis perfectissimi naturam; quia si posset concipi ens perfectissimum sine necessariâ existentiâ, posset

concipi sine perfectione; ergo necessaria existentia pertinet ad naturam Dei.

II. Ulterius hoc ita evincitur; si Deus non est *ens necessariò existens*, posset aliquando non esse; si autem ponatur aliquando non esse, erit planè impossibilis, nam non poterit ab alio esse, quia nullum ens adeò perfectum concipitur, quàm Deus, nullum ergo ens posset conferre alteri perfectionem quâ ipsum careret. *A se ipso* non erit, eo ipso quo ponitur non esse; ergo erit impossibilis.

III. Ex his resultat *Æternitas*, nam quod necessariò existit, id nunquam potest non existere, adeoque nec habet initium, nec finem habere potest. Deo autem *æternitatem* competere, demonstrat ipsa ratio. Hoc ipsos ethnicos minimè latuit; Proclus è Platonis sequacibus, probabat Deum esse æternum, quod per se sit. Thales hanc Dei definitionem dabat; *Quod caret principio atque fine; rebusque omnibus antiquiorem, nec unquam genitum esse*, docebat. Verùm quòd ratio docet, illud longè clariùs demonstrat tota Scriptura. Ps. cii 26. 27. 28. Psaltes comparans res quæ inter visibiles maximè sunt permanentes, cœlum scilicet et terram, docet illa aliquando habuisse initium, et finem habitura; Deum verò permanere semper; *Initio*, inquit, *Tu Domine terram fundasti et opera manuum tuarum sunt cœli; ipsi peribunt. Tu autem permanes, et omnes ipsi sicut vestimentum veterascent, et sicut operatorium mutabis eos, et mutabuntur. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficiunt* Eum etiam solum habere immortalitatem docet *Paulus* 1 Tim. i. 16. quia solus caret principio et fine. Tanta est illa perfectio, ut nulli rei communicari possit.

IV. Æternitas autem propriè dicta, qualis Deo competit, Tria notat: 1. *Carere principio*, 2. *carere fine*, 3. *carere successione*. In æternitate enim non concipimus prius et posterius, præsens, præteritum et futurum, Deum principio et fine carere, nemo dubitare potest, sèd quæritur, an revera nulla in Deum cadere possit duratio successiva.

V. Illud fateòr à nobis comprehendi nequit, qui de æternitate judicare solemus, ut de tempore, et qui Deo affingimus, quæ hominibus tantùm conveniunt. Verùm multa obstant, quominus Deo durationem successivam affingamus.

VI. Duratio propriè loquendo respicit non essentiam rerum, sed earum existentiam, quatenus concipitur existentia, ut quid distinctum ab essentia. Nemo enim essentiæ trianguli v. g. durationem adscripsit. At æternitas

Dei spectat quidem existentiam, sed eam quæ ab essentiâ nullatenus differt. Deus enim habet æternitatem, quia ejus essentia adeò perfecta est, ut existentiam in se includat; ergo æternitas per modum durationis concipi non potest. Rectè Augustinus in Ps. ci. vel cii. *Æternitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil est præteritum, quasi jam non sit; nihil est futurum, quasi nondum sit, non est ibi, nisi* est, *non est ibi* fuit, et erit.

VII. Isti conceptus confusi, qui scilicet formantur de Dei duratione, oriuntur, 1. Ex imbecillitate ingenii nostri. 2. Quod Deum concipiamus unà cum mundo condito, sive post mundum conditum; et tunc eadem ei tribuamus quæ rebus illis, quæ in tempore sunt, conveniunt; sed oportet Deum considerare ante mundum conditum, et tunc non magis cogitabimus de ejus duratione quàm de ejus loco.

VIII. Concipienda est æternitas, ut *punctum* circa quod describeretur circumferentia circuli, cujus partibus ipsum immobile æqualiter responderet non habens supra et infra.

IX. *Æternitas* coëxistit omnibus temporum differentiis; hinc Scriptura tres temporis differentias Deo tribuit; non tamen omnes illæ simul coëxistunt, nam aliàs præteritum, futurum, et præsens simul essent; quod implicat, heri coexistebat æternitas *præterito*, hodie coëxistit præsenti, cras coëxistet tempori *futuro*. Quâ ratione tamen nullæ partes, *æternitati* assignantur, sed tantùm relationes ad diversas partes motus et temporis, quarum *respectu* diversæ oriuntur denominationes, aliæ scilicet respectu *præteriti*, cui dicitur *coëxtitisse*, aliæ respectu *præsentis*, cui dicitur *coëxistere*, aliæ respectu *futuri*, cui dicitur *coëxtitura*.

CAPUT XII.

De Simplicitate, Immutabilitate, Infinitate, et Gloria Dei.

I. *Simplicissimum* esse Ens Deum ex multis patet. 1. Quòd nulla compositio in eum cadat; nullam autem compositionem in Deum cadere multa evincunt. (1.) Quia *compositio* dicit dependentiam; at dependentia non cadit in Ens independens. (2.) Quia Deus non compositus est ex *materiâ et formâ*, siquidem est merus Spiritus; non ex *substantiâ* et *accidente*, nam nihil potest accidere, et adve-

nire Enti perfectissimo; non ex *essentiâ* et *existentiâ*, nam essentia et existentia Dei non differunt; (observandum hîc tamen essentiam et existentiam non facere compositionem, existere enim non est pars totius, quæ in ejus compositionem ingrediatur) non ex *actu* et *potentiâ*, cùm Deus sit merus actus, nullatenus itaque compositus est. 2. Illud idem evincitur ex attributorum divinorum ab essentiâ divinâ, tum à se invicem, *inseparabilitate*, ac proinde *unitate* sive *identitate:* nam nihil aliud intelligimus per simplicitatem Dei; quàm omnium attributorum Dei arctissimum nexum et individuam unitatem. Talis autem *identitas* patebit attendenti, omnia attributa Dei nihil aliud esse quàm essentiam Dei, quæ varias suscipit denominationes, quod patet ex eo, quòd si attributa Dei differrent ab essentia Dei, essentia Dei perficeretur per aliquid à se realiter distinctum, at hoc Dei perfectioni repugnat. Rursus attributa arctissimum nexum inter se habere evincitur ex eo, quod (1.) summa sît inter intellectum et voluntatem Dei identitas, nam unicus tantùm est actus et simplicissimus, quo omnia Deus vult et intelligit, nec in Deum potest cadere ulla actuum successio, unius post alterum. (2.) Quod plerœque aliæ virtutes Dei nihil aliud sint, quàm voluntas alio atque alio modo denominata, quæ, prout approbat quod Enti perfectissimo convenit, et improbat quod Enti perfectissimo non convenit, prout vult bonum et aversatur malum, dicitur *sanctitas*, prout vult se communicare creaturis, *bonitas;* prout vult iis se conjungere, *amor;* prout vult conferre bona iis, qui nihil tale meriti erant, *gratia;* prout vult miseris succurrere et revera succurrit, *misericordia;* prout sua promissa et comminationes vult exequi et revera exequitur, *veracitas et veritas*; quæ tamen etiam se extendit ad omne id, quod revelat Deus homini; prout peccatores punire vult et punit, *ira, et justitia vindicatrix;* prout remuneratur, *justitia remuneratrix*, prout ad res nondum productas refertur, *potentia.* De cæteris Dei virtutibus facile est ostendere, quantùm inter se et cum essentiâ divinâ unum sint. 3. Ita probamus attributa Dei et perfectiones ab ipso Deo, aut à se invicem separari non posse, quia si hoc esset, Deus posset privari aliquâ perfectione. At hoc implicat, dici enim non posset Ens summè perfectum, si posset privari aliquâ perfectione.

II. Hæc proprietas soli Deo competit, nam in aliis rebus non percipimus attributa, tanquam omnia, simul juncta, aut ita juncta, ut unum sine altero planè esse non possit. At

in Deo omnia ejus attributa non aliter concipere possumus, quàm ut ab essentia ejus inseparabilia, et à se invicem prorsus individua. Hanc simplicitatem ita docet Augustinus lib. v. de Trinit. c. 2. *Intelligamus Deum sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia omnia facientem, nihilque patientem.*

III. Ex hac *simplicitate* Dei sequitur ejus *immutabilitas*, quæ nihil aliud notat quam talem essentiæ et attributorum divinorum statum, qui nulli variationi sit obnoxius. Probamus autem immutabilitatem Dei. 1. Ex scripturâ Jac. i. 17. *Apud Deum non est transmutatio, nec transmutationis obumbratio;* ubi Deus opponitur soli lucis corporeæ fonti. Num. xxiii. 19. *Non est homo qui mentiatur.* Malach. iii. 6. *Ego Jehova non mutor.* 2. Quod omnem perfectionem possidet, id non potest mutari. At Deus &c. *Major* probatur, si mutaretur, vel in *melius*, vel in *deterius* mutaretur, vel in *æquale;* at non in *melius*, quia est optimus; non in *deterius*, quia sic non haberet omnes perfectiones, nam non haberet eam quâ immunem se servare posset, ne deterior evaderet; et rursus Deus esse desineret, dum deterior fieret. Non etiam *æquales* prioribus perfectiones recipere potest, quia aliàs non haberet omnes. 3. Nulla est mutatio, nec in *essentia* Dei, nec in ejus *æternitate*, vel in ejus *intellectu*, nec in ejus *voluntate*. Ergo nulla est in Deo mutatio &c. *Minor* probatur: non in *essentiâ* Dei, quia enim *prima* est, à priori aliquâ destrui non potest; quia est *potentissima*, à nullâ lædi potest; quia *simplicissima*, à nullâ corrumpi; quia *immensa* est, non potest augeri vel minui; quia *æterna* est, non potest deficere: non in ejus *æternitate*, nam ubi nulla est *successio*, ibi nulla est *mutatio*. At &c. Non in ejus *intellectu*, nam scientia Dei est perfectissima. Non in ejus *voluntate*, quia voluntas Dei est sapientissima, cui nihil inexpectatum obvenire potest, quod Deum mutare in melius mentem cogere possit. Rursus nihil eam voluntatem impedire potest, nihilque ei resistere; vult quidem Deus varias rerum mutationes, sed immutata manet voluntas. Hinc cubus supremi numinis hieroglyphicum apud veteres. Hæc Dei immutabilitas fidei nostra fulcrum est, ac spei fundamentum.

IV. Ex omnibus supra dictis colligitur Deum esse Ens infinitum. Finitum esse imperfectio est, et maxima imperfectio, at qui de Deo cogitat, cogitat de ente omni genere

perfectionum absoluto. Hæc infinitas per omnia Dei attributa diffunditur; *infinita* est natura divina, non modo in ordine ad *tempus*, quando est *æterna*, in ordine ad *locum*, quando est *omnipræsens;* sed et infinita est natura divina in se, quia infinitas perfectiones possidet. Nulla dantur in Deo attributa, quæ objectis finitis limitari, et circumscribi possunt. *Potentia* est *infinita*, *sapientia* est *infinita*, *bonitas* est *infinita*, *misericordia* est *infinita*. *An profunditatem Dei invenies*, inquiebat Tsophar apud Jobum c. xi. 7. *aut ad perfectionem omnipotentis pervenies, altior est altissimis cœlis, quid agas; profundior inferno, quid cognoscas; longior terrâ mensura ejus, et latior mari.* Omnia argumenta itaque, quæ Deum esse Ens perfectissimum probant, infinitum esse demonstrant.

V. Rursus ex illis attributis et perfectionibus resultat Dei *Gloria summa, et Majestas*, quam ab æterno in se possidet; quam in tempore creaturis patefacit et exerit, quando suas virtutes coram illis explicat et pandit in operibus suis, ut in creatione, in missione Filii sui, in liberatione populi Israëlitici &c. Hanc gloriam celebrant angeli in cœlis, et homines in terris hanc suis laudibus extollere debent.

VI. Omnia hæc attributa creaturis planè sunt incommunicabilia; quorundam tamen nonnulla sunt in creaturis vestigia, quæ ideo malè a scholasticis *communicabilia* dicuntur. Atque hæc de attributis Dei.

CAPUT XIII.

De Trinitate.

I. UNICUM esse Deum in superioribus probavimus, atque ejus præcipua attributa explicuimus, jam ulterius pergamus; observandum in scripturâ *trium* nominatim mentionem fieri, quibus natura divina tribuitur; *Patris* scilicet, *Filii, et Spiritus Sancti.*

II. De tribus hisce conjunctim loquitur scriptura in variis locis; ut enim nihil dicam de baptismo Christi, in quo *Pater* se patefecit in voce, quæ audita est; *Filius*, de quo augustum cœleste oraculum auditum, visus est; et *Spiritus Sanctus* sub forma columbæ descendit. Ut, inquam, hoc

taceam ; nota sunt loca sequentia. Matth. xxviii. 19. *Profecti ergo docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti.* Joh. xiv. 16. *Ego vero* (ipse Filius loquitur) *rogabo Patrem, et alium advocatum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternùm.* 1 Cor. xii. 4, 5, 6. *Distinctiones autem donorum sunt, sed idem Spiritus : et distinctiones ministeriorum, sed idem Dominus, et distinctiones operationum, sed idem est Deus.* 2 Cor. xiii. 13. *Gratia Domini nostri J. Christi et charitas Dei, et communio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis.* 1 Joh. v. 7. *Tres sunt qui testantur in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus, et hi tres unum sunt.* Galat. iv. 6. *Misit* (Pater scilicet) *Spiritum Filii sui,* Apoc. i. 4, 5, 6. Johannes gratiam petit *ab eo qui est, qui fuit, et qui venturus est,* id est à Patre, *à septem Spiritibus,* id est à Spiritu Sancto ; ita dicto propter multiplicia ejus dona, per allusionem ad septem ecclesias Asiaticas, et *à Jesu Christo teste fideli* &c.

III. Nec in Novo Testamento tantùm de his tribus conjunctim mentio fit, sed et in Veteri. Isai. lxiii. 7, 8, 9. *Miserationes Jehovæ commemorabo, &c. nam dixit, utique populus meus sunt,* &c. (hæc de Patre dicuntur) *Angelus faciei ejus servavit eos dilectione suâ, et clementia suâ ipse vindicavit eos,* (hæc de Filio) *sed illi rebelles fuerunt, et exacerbarunt Spiritum sanctitatis ejus,* (Hæc de Spiritu) Is. lxi. 1, 2. *Spiritus Domini Dei super me* (Filium) *quapropter me unxit* (Spiritu Sancto) *Dominus ad Evangelizandum mansuetis.* Quibus addi possunt alia loca, in quibus separatim de his tribus loquuntur Vet. Testam scriptores, quæ in sequentibus citabuntur. Nec omittenda illa, in quibus patet pluralitatem personarum designari, ut Gen. i. 26. Faciamus hominem ad imaginem nostram. Gen. iii. 23. *Ecce Adam factus ut unus ex nobis.* Gen. xi. 7. *Venite descendamus et confundamus.*

IV De tribus hisce, 1. Observandum est inter se distingui; nam id patet, evidenter ex locis allatis, et aliis innumeris, Ps. cx. 1. *dixit Dominus Domino meo, sede à dexteris,* hic distinguitur *Dominus,* à *Domino cui dicitur.* Joh. xv. 26. *Cùm venerit Paracletus, quem mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille testabitur de me.* Paracletus seu Spiritus hîc expressè distinguitur à Patre et Filio. 2. Notandum ita distingui, ut quædam dicantur de *Patre,* quæ de *Filio* dici non possunt, et de *Filio,* quæ de *Spiritu* nullibi dicuntur. Pater dicitur generare Filium nullibi Filius dicitur mittere *Patrem.* A Patre *proce-*

dere dicitur *Spiritus*, et à Filio *mitti*, nusquam à Spiritu procedere Pater, et Filius mitti dicuntur. 3. Animadvertendum, ita tamen distingui, ut tres Dii non sint, sed unus Deus, nam ubique unitatem Dei probat scriptura et confirmat ratio.

V. Tres itaque sunt in unâ essentiâ divinâ, et hoc evidenter docet locus. 1 Joh. v. 7. jam allegatus et à Cypriano ipso citatus, quamvis in multis codicibus non legatur. Longe enim plures rationes afferri possunt, cur iste locus dicatur ab hæreticis erasus, quàm ab orthodoxis insertus. E re hæreticorum magis erat locum hunc delere, quàm orthodoxis illum addere, quia si genuinus fuit, ex eo eorum hæresis, prorsus evertebatur; si verò suppositítius, non inde periclitabatur doctrina orthodoxa, quæ ex aliis scripturæ locis luculenter comprobatur. Textus ipsius connexio nostram confirmat sententiam, nisi enim admittatur versus allegatus, non videtur, cur à Johanne dictum, *Et tres sunt qui testantur in terra;* si antea non dixit, *Et tres sunt, qui in cœlo testantur.* Nec opponendum, has voces, *in terra*, additas quoque fuisse, contrarium enim liquet ex vers. 9. ubi testimonii divini et humani fit mentio; *Si testimonium hominum accepimus, Dei testimonium majus est.*

VI. Hoc mysterium *Trium in unâ essentiâ divinâ*, mysterium *Trinitatis* dicitur, voce totidem literis in sacro canone non scripta, sed ad hæreticorum fraudes et præstigias patefaciendas, lubricosque illos veteratores constringendos prudenter reperta, et utiliter usurpata, ut usurpatæ et inventæ aliæ sunt ὁμοούσιον, οὐσίας, ὑπάξεως, *personæ*, &c.

VII. De hoc mysterio sobriè sapiendum et verecundè loquendum est, quandoquidem tanti mysterii majestatem humanum ingenium neutiquam capit, nec explicare potest lingua mortalis; unde facessere jubemus effrænatam illam audaciam scholasticorum ματαιολόγων, qui speciosissimis suis argutiis et periculosis locutionibus, variis hæresibus locum dederunt. Revelata licet scrutari, arcana non temerè rimanda, ne *in istis illicitè curiosi, in illis verò damnabiliter inveniamur ingrati*, ut ait Prosper. *nihil de Deo*, inquit Sextus Pythagoreus, *quod non licet, quæras, de Deo nihil dicas, quod non didiceris à Deo.*

VIII. Multis exemplis hoc mysterium illustrare conati sunt viri summi; tum hoc seculo, tum superioribus; eorum acumen suspicio, junctum cum incredibili studio promovendæ Christianæ veritatis. Dum in eorum lectione versor, partim subtilitate, partim elegantia sua oculos mentis per-

stringunt; verùm postquam semotis illis eruditionis et eloquentiæ illecebris mens paulò acriùs ad rei ipsius considerationem descendit, ista magna ex parte ex animo dilabuntur.

IX. Iis assentiri non possumus, qui volunt hoc mysterium gentilibus cognitum fuisse; supposititium enim Serapidis oraculum censemus:

> *Principio Deus est, tum Verbum, his Spiritus unus;*
> *Congenita hæc tria sunt, cuncta hæc tendentia in unum.*

Nec moramur, quæ de Mercurio Trismegisto, et Zoroastre referuntur. Quòd si Seneca Cons. ad Helviam c. viii. ita loquitur, *Quisquis formator universi fuit, sive ille est Deus potens omnium, sive incorporalis ratio ingentium operum artifex; sive divinus Spiritus per omnia maxima, minima, æquali intentione diffusus*, non inde sequitur trinitatis dogma ipsi notum, aut dicendum illud à Christianis audivisse.

X. Illud mysterium etsi mortalibus ἀκατάληπτον, à nobis tamen rejici nequit, quia non mirum est, si entia finita, quales sumus, Entis infiniti naturam perfectè non capiunt, sique multa de eo Ente dicantur, quæ comprehendi nequeunt: sufficit demonstrasse hæc duo ex scripturis, *Deum unum esse*, et naturam divinam *tribus*, qui distinguuntur, attribui, et hoc probare cœpimus, ulteriùsque probandum.

XI. Ut juvetur intelligentia istius mysterii; observandum 1. Essentiam divinam esse infinitam. 2. Ideò nos non capere essentiam divinam esse tribus communem, quia judicamus de essentiâ divinâ, ut de essentiâ finitâ, quæ in pluribus subsistere nequit. 3. Quod essentia divina in pluribus subsistat, id habere ab infinitate, quia finita essentia non potest in pluribus esse, sed quod plures illi non sint nisi tres, id non nisi ex revelatione constare. Recte super hoc argumento Greg. Nazianzen. Ου φθάνω τὸ ἓν νοῆσαι; χῷ τοῖς τρισὶ περιλάμπομαι, ὐ φθάνω τὰ τρία διελεῖν, καὶ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρομαι. *Non conor unum cogitare, quin trium fulgore mox circumfundar; non tria conor distribuere, quin subitò ad unum referar.*

XII. *Tres* hi, in quibus essentia divina subsistit, à theologis tres *Personæ* vocantur, eaque voce utemur in sequentibus. Non diffitemur quidem, hanc vocem non ita appositam esse, sed aliis deficientibus hâc uti cogimur cum tota ecclesia Christiana; nec tamen credendum eam vocem tantùm denotare larvam, quam histriones vultui suo circumponunt, aut qualitatem omnem, quæ hominibus accedit

extrinsecus. Homines quoque sunt vocati personæ; ita *Cicero* ad Atticum; *Mea persona semper ad improborum civium impetus aliquid videtur habere popularе*, et in libris rhetoricis sæpius adhibet. Apud jurisconsultos nunc nihil est frequentius, nam habent *jura personarum*, et *actiones personales*.

CAPUT XIV.

De Deo Patre.

I. DIXIMUS cap. sup. tribus naturam divinam tribui in Scripturâ, *Patri*, *Filio*, et *Spiritui Sancto;* de illis sigillatim dicendum. Ut à Patre exordium ducamus, tria tantùm observamus: 1. Patrem ante Filium et Spiritum Sanctum nominari ut plurimùm à scriptoribus sacris, ita Matth. xxviii. 19. 1 Joh. v. 7. non quòd ætate, ac tempore, Filio Spirituque Sancto sit anterior, nam æternitas tribus hisce æqualiter competit; non quod etiam alios dignitate superet, eâdem enim majestate, eâdem glorià, eâdem potentiâ, iisdem que perfectionibus tres illæ adorandæ personæ pollent, ut videbimus; sed ideò *primus* nominatur, quia describitur, ut *generans Filium*, et ut *mittens Spiritum Sanctum*. 2. Observamus de illo nunquam legi ab aliquo esse genitum, aut ab aliquo missum, sed dici è contra Filium genitum ab eo, et ab eo procedere Spiritum Sanctum, nec etiam ullibi dici ab alio operari, ut Filius dicitur *non à se ipso operari*. Joh. v. 19. 3. Observamus Patrem in opere salutis considerari tanquam supremum illum judicem, qui omnia dirigit, qui satisfactionem exigit, qui eam á vade accipit, quique, ut uno verbo omnia dicam, Divinitatis majestatem tuetur, unde aliquando Deus contradistinctè ad alias personas appellatur.

II. Plura non addo, nec enim opus est, ut ostendam omnia attributa divinitatis ipsi tribui, nam id jam satis probatum fuit, quum de divinis attributis diximus. Subjungam tantùm vocari hic Patrem, non respectu *creationis*, ex quâ omnes sumus ejus progenies Act. xvii. 28. aut *adoptionis* in Christo, Eph. i. 5. sed respectu *illius singularis relationis*, quam habet ad Filium proprium.

CAPUT XV.

De Deo Filio.

I. POSTQUAM de Patre diximus, de Filio dicendum, Christo scilicet, qui in complemento temporum naturam humanam assumpsit; ac tria probanda sunt: 1. Esse *Deum*; 2. esse *Deum summum*, *Patri æqualem*; 3. *genitum esse à Patre.*

II. Quoad primum, Jesum Christum Deum esse, non difficile erit evincere. Ac ante omnia observamus Deum in Scripturâ vocari innumeris in locis. *Verbum*, id est Filius, *erat Deus*, inquit Joh. i. 1. De Deo enim quodam secundario et factitio hoc intelligere absurdum, siquidem non est credibile Johannem in primis historiæ verbis uti voluisse nomine Dei impropriè, nulla addita explicatione, ac fideles in errorem periculosissimum induxisse, ut crederent sermonem esse Deum verum, qui non esset tamen. Thomas admirabundus eum vocat *Dominum et Deum.* Joh. xx. 28. Christum enim alloquitur, ut patet ex eo quod observat Johannes, Thomam dixisse ei, *Domine mi, et Deus mi. Deus dicitur manifestatus in carne.* 1 Tim. iii. 16. *Deus benedictus in secula.* Rom. ix. 5. Nec enim series sermonis admittit, ut hæc verba ad Patrem referantur, sed ad Christum, qui *secundum carnem* à Patribus oriundus fuit, et qui *secundum naturam divinam* Deus est in secula benedictus, *Deus magnus et salvator.* Tit. ii. 13. *Verus Deus et vita æterna.* 1 Joh. v. 20, et Heb. i. 8. ita loquitur Paulus, *Ad Filium autem; thronus tuus, Deus in sæculum seculi, virga recta, virga regni tui: dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te, O Deus, Deus tuus oleo exultationis.* Rursus *Jehova* appellatur; nam quod legitur Num. xiv. 22. Israëlitas tentasse *Jehovam*, applicatur Christo à Paulo 1 Cor. x. 9. *neque tentemus Christum, ut quidam eorum tentarunt, et à serpentibus perierunt.* Nec *Jehova* dicitur tantùm, sed *Jehova justitia nostra* Jer. xxiii. 6. Observandum autem nulli angelorum aut hominum nomen Dei ita tribui, ut in locis allegatis tribuitur Christo.

III. Verùm non tantùm *Deus* vocatur; sed omnia attributa divinitatis ei competunt. *Æternitas* ipsi tribuitur, nec enim dicitur tantùm esse, *antequam Abraham existeret*, Joh. viii. 58. quod tamen invictè probat, esse Christum antequam nasceretur ex virgine, non dicitur tantùm esse *in*

principio mundi, Joh. i. 1. sed ante omnia opera Dei; ita enim loquitur Sapientia æterna, quæ non differt à Filio, Proverb. viii. 22, 23, 24, &c. *Jehova possidebat me principio viæ suæ ante opera sua, ante ullum tempus, ab æterno inuncta fui ante primordia terræ, quum nullæ essent abyssi.* Non enim aliis verbis designatur æternitas in Scripturâ; ita enim describitur Psal. xc. 2. et xciii. 2. et ciii. 17. *Sapientiam* autem *istam* esse Dei Filium, patebit observanti; nihil de hac Sapientia dici, quod de Christo non dictum sit, atque attendenti; quòd si *Virtus Dei* hîc introduceretur loquens, non opus erat, ut suam æternitatem multis verbis prædicaret. Non enim magis de æternitate sapientiæ Dei dubitare potest quisquam, quàm de æternitate Dei ipsius; neque nomen Dei mereretur, qui potuisset aliquandiu sapientiâ carere; aut si necesse fuit, ut sapientia æternitatem suam tam operosè, tàmque solicitè adstrueret, nulla apparet ratio, cur se à Jehova ipso ita distinguit, ut alumnum ejus se fuisse glorietur, et ut, quia fuit ipsi in deliciis et coram eo lusit omni tempore, veluti, præ gaudio gestiat et lætitia exultet.

IV. *Omnipræsentia* ejus probatur ex Matth. xviii. 20. *ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, isthic sum in medio eorum*, et cap. xxviii. 20. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculorum*, quibus addendus locus, Joh. iii. 13. ubi *Christus* in terris loquens, dicit *se esse in cœlo; nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, nimirum Filius hominis qui est in cœlo.*

V. *Omnipotentia* ejus evincitur ex Ap. i. 8. ubi vocatur παντοκράτωρ, et ex Joh. v. 19. ubi dicitur quod *quæcumque facit Pater, ea et Filius similiter facit*, et Philip. iii. 21. dicitur *posse omnia sibi subjicere.*

VI. *Omniscientia* patet ex Joh. xxi. 17. *Domine tu nostri omnia;* vocatur Καρδιογνώστης, Apoc. ii. 23. *Cognoscent omnes ecclesiæ me esse scrutatorem renum et cordium.*

VII. *Immutabilitas* illius constat ex Heb. i. 11, 12. *Cœli peribunt; tu autem permanes, idem semper es et anni tui non deficient.* De cæteris proprietatibus id probare æque facile est.

VIII. Dicta jam sufficerent ad probandum Christum Deum esse, cùm et Dei nomina ipsi dentur, et omnia attributa divinitatis ipsi tribuantur; sed hoc ulterius evincitur, ex eo quòd opera divina ipsi adscribuntur. *Creatio* ipsi tribuitur à Paulo Hebr. i. 10. *Tu initio terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli:* quod de nova creatione

nemo sanus explicabit. Idem confirmatur à Joh. i. 3. *Omnia per eum facta sunt, et absque eo nihil factum est,* et vers. 10. *mundus per eum factus est.* Coloss. i. 16. *Per ipsum condita sunt omnia, quæ in cœlis sunt, et quæ in terra, visibilia et invisibilia, throni &c. omnia per ipsum et in ipsum creata sunt.* Rursus *conservatio et gubernatio mundi* à Paulo ipsi adscribitur, dum dicitur Hebr. i. 3. *omnia portare verbo suo potenti;* idem probatur de vi patrandorum miraculorum ex variis locis. *Opus nostræ redemptionis* ipsi tribui quis nisi perfrictæ frontis negaret, cum hoc passim in novo Testamento legatur, ita ut pateat omnibus, *redemptionem,* Acts xx. 28. *remissionem peccatorum* Matth. ix. 6. *sanctificationem,* Eph. v. 26. *missionem Spiritus Sancti,* Joh. xv. 26. *donationem vitæ æternæ,* Joh. x. 28. *judicium mundi universale,* Actor. xvii. 31. Joh. v. 22. *resurrectionem mortuorum,* Joh. v. 21. ipsi adscribi. *Ædificatio* et *constructio* ecclesiæ ipsi à Paulo etiam tribuitur, Hebr. iii. 4. ex quo loco invictè probat apostolus Christum esse Deum; postquam enim dixit Christum tantò ampliore gloriâ præ Mose dignum esse, quanto majorem habet honorem *is qui construxit domum quam domus ipsa,* addit: *omnis enim domus ab aliquo construitur, Deus autem ille est qui omnia construxit.*

IX. His argumentis addatur alterum, petitum ex cultu religioso soli Deo debito, qui Christo defertur. 1. *Credere* in ipsum jubemur, Joh. xiv. 1. *Credite in Deum et in me credite.* 2. In eum *sperare ac confidere,* Psalm ii. 12. *osculamini Filium* &c. *beati qui sperant in eum.* Is. xi. 10. Rom. xv. 12. *Erit radix Jesse et qui exsurget ad imperandum gentibus, in ipso gentes sperabunt.* Quod eo magis observandum est, quòd maledictum eum propheta pronuntiet, qui fiduciam habet in homine, Jer. xvii. 5. 3. *Adorare* eum jubentur *angeli,* Hebr. i. 6. qui locus ideò imprimis notandus, quod ex Psal. xcvii. 7. educitur, ubi de *Jehova qui regnat,* hæc leguntur. 4. *Omne genu flectere ad ejus nomen* præscribitur, Phil. ii. 10. et ab ipso æquè ac à Patre *gratiam* et *pacem* petunt apostoli Rom. i. 7. 1 Cor. i. 3, &c. Apoc. i. 4, 5. fidelesque per *invocantes nomen Domini nostri Jesu Christi* describuntur, Actor. ix. 14. 1 Cor. i. 2. *Et omnis creatura* inducitur, Apoc. v. 13. *tribuere agno honorum, gloriam et potentiam.*

X. Ex dictis abundè patet Christum esse Deum, nec posse illud negari, absque summâ impietate: ut enim cavere debemus, ne quid Deum dicamus, quod Deus non est, ita

è contra absque summo crimine et injuria nomen et honorem Dei non licet negare, cui scriptura nomen et perfectiones tribuit divinas, idque eò minùs negandum, quòd cùm Deus gloriam suam nulli det, ut ipse protestatur per Isaiam, fieri non potest, ut cui nomen, attributa et opera Dei, in quibus gloria Dei sita est, adscribuatur, is simul verus non sit Deus. Hoc itaque ratum fixumque sit *Christum esse Deum.*

CAPUT XVI.

In quo probatur Christum esse summum Deum, æqualem Patri.

I. OMNIA argumenta, quæ probant Christum esse verum Deum, evincunt *summum esse Deum, et æqualem Patri.* Nam fingere duos Deos, quorum unus altero minor sit, est planè nescire quid sit Deus; idea enim Dei includit ideam Entis, quo non datur majus, perfectius, potentius.

II. Verùm ut hæc veritas extra omnem controversiam ponatur, sex aut septem argumentis illam confirmamus; Quorum *Primum* petitur ex Phil. ii. 6. ubi ita de Christo loquitur sanctus apostolus, *qui* (scilicet Christus) *quum esset in forma Dei non duxit esse rapinam parem esse cum Deo.* Quid enim expressius dici potest, et an verisimile in has erupisse voces Paulum, si Christus verus et summus Deus non fuisset?

III. *Secundum* ex Joh. x. 30. *Ego et pater Unum sumus*, quod ad unitatem tantùm consensus trahi non potest, nam illud dicit Christus, ut probet neminem suas oves rapturum ex manibus suis, siquidem unus erat cum Patre, cujus, inquit, tanta est potentia, ut nemo possit ex ejus manu eripere oves; vult ergo probare suam potentiam non esse minorem potentiâ Patris, quia unus erat cum illo essentiâ, et ita intellexerunt Judæi, nam lapidibus eum obruere volebant, quia se Deum faciebat.

IV. *Tertium* argumentum deducitur ex cap. vi. Isaïæ collato cum Joh. xii. 39. 40. 41. Nemo negare auderet apud Isaïam c. vi. agi de *Deo summo*, quem vidit propheta *solio elato insidentem, seraphinis adstantibus et clamantibus, Sanctus, Sanctus, Sanctus est Jehova exercituum, implet totam hanc terram gloria ejus.* At expressè Joh. xii. 41.

dicitur Isaïam tunc vidisse gloriam Christi; Christus igitur est summus Deus.

V. *Quartum* argumentum petitur ex cap. xlv. Isaïæ vers. 23. collato cum Roman. xiv. 10. 11. Nemo inficiabitur, ut opinor, de summo Deo loqui vatem. *Respicite ad me*, inquit Deus per Isaïam, *et servemini omnes fines terræ: nam ego sum Deus fortis, et nullus præterea: per me juravi, prodiit ex ore meo justè verbum quod non revocabitur, mihi incurvatum iri omne genu, juraturam omnem linguam.* At Paulus Rom. xiv. 10. 11. hoc applicat ad Christum, *Omnes*, inquit, *sistemus apud tribunal Christi. Scriptum est enim, vivo ego, dicit Dominus, quod mihi sese flectat omne genu, et omnis lingua palam agnoscet Deum.*

VI. *Quintum* argumentum ex Is. liv. 5. 6. educitur, ubi ita alloquitur ecclesiam Deus, *Conjux tuus erit opifex tuus, cujus nomen Jehova exercituum, et vindex tuus Sanctus Israëlis, Deus totius terræ vocabitur.* At quis negaret Christum in toto novo Testamento describi, ut *sponsum* Ecclesiæ, et ejus redemptorem.

VII. *Sextum* argumentum, ex Psal. xcvii. 7. collato cum Heb. i. 6. *incurvent se coram eo omnes angeli* Quis de summo Deo hæc Psaltem dicere negaret? cum à principio sic ordiatur; *Jehova regnat, exultet terra.* At hæc verba de Filio dicta asserit Paulus, Heb. i. 6. *Rursum*, ait apostolus, *quum inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, et adorent eum omnes angeli Dei.*

VIII. *Septimum* argumentum ex Zach. xii. 10. *Respicient ad me, quem transfixerint*, collato cum Joh. xix. 37. Apoc. i. 7. De Deo summo loqui Zachariam non dubitabit, qui prima verba capitis audiet, *Dictum Jehovæ, qui extendit cœlos, et fundat terram, formatque spiritum hominis.*

IX. Alia argumenta facilè esset adducere, ut Heb. i. 10. collatum cum Ps. cii. 26. de quo superiori capite diximus. Apoc. ii 23. collatum cum Jérem. xvii. 10. Jer. xi. 20. sed hæc sufficiant, ut abundè pateat Christum esse Deum summum, nec Patre inferiorem. Quod si aliquid dicatur de Patre, quod de Filio non legatur, ut v. g. quum dicitur *Patrem generare Filium*, hoc probat esse distinctionem inter Patrem et Filium, non verò Patrem esse Filio, majorem. Rursus si alicubi dicatur Filius minor Patre aut operari à Patre, hæc loca ostendunt aliquid esse in Christo præter naturam divinam, naturam scilicet humanam, juxta quam minor est Patre, et notant certum quendam esse or-

dinem operandi inter Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, et certam quandam οἰκονομίαν, sed nequaquam evincunt Christum, quà Deum, esse Patre minorem; et hoc secundò probandum erat.

CAPUT XVII.

De Filii Generatione.

I. Non tantum docet scriptura Filium esse Deum, et Deum summum, sed etiam *genitum à Patre* declarat. Hoc legitur Ps. ii. 7. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Prov. viii. 24. 25. dicit *sapientia se genitam esse,* ita enim debet explicari vox חוללתי, ut Chaldæus explicat, hinc quidam Græci interpretes verterunt ᾠδίνω, et LXX. vers. 25. ita vertunt πρὸ τοῦ ὄρη ἑδρασθῆναι, γεννᾷ με, *antequam montes fundarentur, me generat,* id est *genuit.* Atque hæc est vera causa, cur Filius Dei dicitur *filius unigenitus,* Joh. i. 14. *Filius proprius* Rom. viii. 32. imò ita Filius Dei dicitur, ut nulli unquam angelorum tale nomen datum fuisse asserat Paulus, Heb. i. 5.; et sic distinguitur ab aliis, qui filii Dei vocantur in scripturâ, aut propter creationem, aut propter adoptionem.

II. Generationem hanc nemo mortalium capere potest; sanè per eam nihil aliud intelligimus, nisi quod Pater ab omni æternitate nomen, perfectiones et gloriam suam cum Filio communicarit. Sed quomodo hæc communicatio facta sit, ne quis à nobis quærat, ignoramus, et ignorantiam nostram fateri non erubescimus. Ignorare enim licet, quæ scire non possumus. Rectè Cyrillus——scripsit, Cath. II. *Quod Deus filium habeat, crede, quomodo autem, né sis curiosus, quærens enim non invenies, ne extollas te, ne cadas; quæ tibi mandata sunt, hæc sola intellige.*

III. Hæc tantùm observanda. 1. Ab æterno Christum esse genitum, ut docet locus Prov. viii. 25. ubi genitam esse ante colles conditos, id est ab æterno, dicit Sapientia; quod confirmatur ex loco celebri Michæ v. 1. *Ex te prodibit mihi futurus Dominator in Israële, cujus egressus sunt ab initio, ubi* duplex Christi egressus docetur, unus *visibilis,* et *in tempore* ex Bethlehemo, alter *æternus* ab initio. Id etiam evincunt omnia illa loca, quæ Christum esse Deum probant, Deus quippe æternus est. Non igitur

Christus dicitur Filius, aut propter ejus conceptionem ex Spiritu Sancto, aut propter ejus ordinationem ad munus mediatorium, aut ejus suscitationem à mortuis, aut exaltationem ad dextram Patris. Hæ non sunt rationes, propter quas dictus est Filius Dei, etsi ex illis Christum fuisse Filium Dei colligere possimus, unde dicit Paulus Rom. i. 4. *Declaratum fuisse Filium Dei per resurrectionem à mortuis.* Quòd autem Christus non ob eas rationes dicatur *Filius* Dei, probant omnia illa argumenta, quibus in antecedentibus evicimus Christum fuisse longè ante nativitatem suam ex virgine; et esse Deum summum; sed imprimis illud adstruitur ex Heb. iii. 6 ubi Paulus docet Christum fuisse *Filium* Dei, *quà Deus*, quando dicit, *Christum ut Filium domui suæ præesse*, postquam dixit, vers. 2. *eum construxisse domum*, et vers. 4. *eum qui construxit hæc omnia esse Deum. Filius* igitur Dei dicitur, quia à Patre genitus, et quia *ut Pater vitam habet in se ipso, ita dedit Filio vitam habere in se ipso*, Joh. v. 26. 2. Observandum est hujus *generationis* modum ad humanæ nativitatis aut ullius creatæ rei leges revocandum minimè esse, longe enim minùs distat cœlum à terrâ, quam *generatio* Filii ab aliis *generationibus;* in hâc *generatione divinâ* genitor non est antiquior genito, nec genitus junior genitore: uterque æternus, et *generatio* hæc facta est absque ullâ mutatione. Veteres eam dixerunt factam ἀκαταλήπτως, ἀχρόνως, ἀχωρίστως, ἀπαθῶς. *Hîc mens deficit, nec mea tantùm, sed et angelorum;* et hîc digito compescendum labellum.

CAPUT XVIII.

De Spiritu Sancto.

I. De Spiritu Sancto videndum 1. Quid sit an sit Dei *virtus*, an verò *persona subsistens* distincta à *Patre* et à *Filio*. 2. An sit *Deus*. 3. *A quo procedat*. 4. Cur *Spiritus* dicatur. 5. Cur *Spiritus Sanctus*.

II. Ut à primo incipiamus, facilè est demonstrare Spiritum Sanctum esse *personam subsistentem* distinctam à Patre et Filio, idquè probant; 1. Omnia illa loca, in quibus distinguitur expressè Spiritus à Patre et Filio, ut Joh. xiv. 16. *Ego rogabo Patrem, et alium advocatum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Ibi expressè alius dici-

tur. Joh. xvi. 13. *Cum venerit ille, deducet vos in omnem veritatem, non enim loquetur à semet ipso, &c.* Hæc de virtute dici, non de personâ quis crederet? 2. Locus ille Matth. xxviii. 19. ubi baptizare jubentur discipuli in nomine *Patris, Filii* et *Spiritus;* nemo enim dicet aliquem baptizari posse in nomine alicujus virtutis. 3. Loca illa, in quibus jubemur non tristitiâ afficere Spiritum; Eph. iv. 30. quod nisi de personâ dici nequit, et alia, in quibus peccare dicuntur homines adversus Spiritum Sanctum; imprimis ille locus ubi distinguitur peccatum in Spiritum Sanctum à peccato in Patrem et Filium; Matth. xii. 31. 32. is enim, adversus quem ita peccamus, non potest non esse persona; imò persona divina. 4. Illa loca, in quibus distinguitur à *donis et operationibus suis,* 1 Cor. xii. 4. *distinctiones donorum sunt, sed idem Spiritus,* et vers. 11 postquam dixit Paulus, *huic dari sermonem sapientiæ, illi sermonem cognitionis, alteri donum sanationum &c.* subjungit, *sed hæc omnia agit unus ille et idem Spiritus, distribuens privatim illa singulis, sicut vult.* Et hoc argumentum eò magis validum est, quod eodem modo distinguat *Spiritum Sanctum* ab *operationibus suis,* quo distinguit *ministeriorum distinctiones* à *Domino,* et *distinctiones actionum* à *Deo* vers. 5. 6. 5. Illa loca, in quibus descendisse dicitur sub formâ columbæ, aut dispertitarum linguarum. Personarum enim est, non virtutum, aut accidentium visibile species assumere, et in, vel cum, vel sub ejusmodi formis apparere.

III. Spiritus Sanctus itaque est persona subsistens distincta à Patre et Filio, etsi quædam ei tribuantur, quæ minimè personæ congruere videntur, verùm ista de donis ejus in nobis intelligenda sunt.

CAPUT XIX.

In quo probatur Spiritum Sanctum esse Deum.

I. IISDEM argumentis, quibus probavimus *divinitatem Filii, divinitatem Spiritus* facilè esset evincere, sed ut in pauca contrahamus, quinque tantum afferemus.

II. *Primum* argumentum desumemus ex Is. vi. 9. 10. collato cum Act. xxviii. 25. 26. nam in Actorum libro de *Spiritu Sancto* agi apud Isaïam docet Paulus, *Benè sanè,* inquit, *Spiritus Sanctus locutus est per Isaïam prophetam*

patribus nostris. At apud *Isaïam* agi de *Deo summo* in superioribus probavimus. Spiritus igitur est summus Deus; idem cum Filio, de quo etiam loqui Isaïam dicitur, Joh. xii. 41.

III. *Secundum* argumentum ex Act. v. 3. 4. ubi Ananias, quem dixerat Petrus mentitum fuisse Spiritui Sancto, *Deo* mentitus dicitur.

IV. *Tertium* argumentum petitur ex eo, quod *templa Spiritus*, dicimur. 1 Cor. iii. 16. et vi. 19. *Templum* enim solius Dei ædes est. *Si ex lignis et lapidibus templum Spiritui facere juberemur, quia cultus hic soli Deo debetur, clarum esset ejus Divinitatis argumentum; nunc ergo quanto clarius istud est, quod non templum illi facere, sed nos ipsi esse debemus.* August. ad Maxim. Ep. 66.

V. *Quartum* argumentum ex loco Matth. xxviii. 19. toties citato desumitur, in quo baptizare jubentur discipuli in nomine *Spiritus*, nam non modò iste locus demonstrat Spiritum esse personam, sed esse personam divinam. Ille enim in cujus nomine baptizamur, consideratur, ut auctor fœderis gratiæ, quia auctoritatem habet instituendi sacramenta ad ejus pacti obsignationem; qui gratiam polliceri, et præstare potest, et ad cujus cultum et obsequium fœderati initiantur et obliganter; quod de nulla re creata dici potest. Non diffitemur equidem dici Israëlem, in *Mosem baptizari*, sed hæc longe sunt diversa, hæc enim verba significant tantùm Israëlitas in pædagogiæ Mosaïcæ, sive cultus et religionis per Mosem traditæ professionem ritu solenni consecratos fuisse, atque in ejus doctrinam initiatos esse, quando sub nube fuerunt, et in mari; mora enim illa sub nube, et transitus per mare, *baptismi* nomine hîc designatur. Alias interpretationes non probamus, nec Græcorum illorum, qui credunt sensum esse; *Israëlitas unà cum Mose baptizatos, vel ipso duce, et auspice;* nec Syri et Arabis Interpretis, qui vertunt quasi esset, *ministerio et manu Mosis.* Huic loco alia adjungenda sunt, in quibus à Spiritu gratiam et pacem cæteraque beneficia non minùs petunt Apostoli, quàm à Patre et Filio, 2 Cor. xiii. 14. Apoc. i. vers. 4.

VI. *Quintum* argumentum ex illis locis elicitur, in quibus tum attributa Dei ipsi tribuuntur, ut *omnipræsentia*, Ps. cxxxix. 7. 8. *quò ibo a Spiritu tuo. Omniscientia*, ut quum dicitur *scrutari profunda Dei*, 1 Cor. ii. 10. *Tum opera divina* ei adscribuntur, ut Christi *conceptio* Luc. i. 35. *Patratio miraculorum*, Matth. xii. 28. 1 Cor. xii. 4. 5. *Gubernatio*

Ecclesiæ et missio ministrorum, Act. xiii. 2. *dixit Spiritus Sanctus, separate mihi Barnabam et Paulum ad opus ad quod eos vocavi*, Act. xx. 28. *Attendite ad gregem in quem vos Spiritus Sanctus constituit episcopos.* Rursus ipsi tribuitur *illuminatio nostra*, Eph. i. 17. 18. *Sanctificatio*, 1 Pet. i. 2. *Vivificatio corporum*, Rom. viii. 11. et alia quæ recensere non opus est.

VII. Non dissimulandum tamen rariùs Scripturam meminisse *adorationis* et *invocationis* Spiritus, quia in œconomia salutis Spiritus Sanctus consideratur plerumque ut auctor precum, quas ad Deum dirigimus, sed id non fit, quasi sit minùs adorandus quàm Pater et Filius.

CAPUT XX.

De Processione Spiritus.

I. De processione Spiritus aliquid dicendum jam est.

II. Procedere à Patre locus Joh. xv. 26. demonstrat; *Cùm venerit paracletus ille, quem ego vobis mittam à Patre Spiritus ille veritatis* ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, *qui à Patre procedit* (istum locum non uno modo explicant docti.)

III. Verùm à Filio etiam procedere probant illa loca, in quibus non minùs à Filio, quam à Patre mitti dicitur, nec minùs *Filii* dicitur Spiritus, quàm *Patris* Rom. viii. 9. *si quis Spiritum Christi non habet &c.* Gal. iv. 6. *Emisit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*, Joh. xvi. 7. *si non abeam, paracletus ille non veniet ad vos, si autem proficiscar, mittam eum ad vos.*

IV. Processionem Spiritus à generatione distingui, probari potest ex eo, quòd Spiritus Sanctus semper procedere; nunquam genitus à Patre dicatur, sicuti neque ejus imago unquam appellatur; sed hujus distinctionis modum curiosè scrutari non debemus. Unde sedulò cavendum esse credimus à scholasticorum intemperie infelicissimâque audaciâ. *Distinguere inter illam generationem et processionem nescio, non valeo, non sufficio.*

V. Verbum addam, de voce *Spiritus*, quâ designatur tertia Trinitatis persona. Sanè difficile est veram hujus denominationis causam reperire. Non credibile est ita dici ad significandam naturam ejus à conditione corporum disjunctam et abhorrentem; non minùs enim natura Patris et

Filii spiritualis est. Nonnullis placet ita appellatum, quia à Deo procedit per modum *spirationis*, sed hoc est explicare rem obscuram per obscuriorem. Fortè ita dictus, quia hæc adoranda persona nobis repræsentatur, ut *virtus altissimi*, et ut ea vis per quam Pater exequitur id omne, quod suâ sapientiâ designavit. Jam sic ferè comparatum est, ut vis sese et alia movendi in omni genere rerum Spiritui alicui tribuatur. Nihil pronuntiamus.

VI. Verbum addam de *Sancti* epitheto, quod additur Spiritui; ita ut Spiritus *Sanctus* dicatur: observamus autem dici Sanctum, non modo propter ejus intemeratam puritatem, et augustissimam majestatem, (majestatem enim per sanctitatem designabant quoque veteres. hinc tribunorum potestas *sancta* dicebatur, quia majestatem populi repræsentabant, et de *sanctitate* regum loquitur Julius Cæsar,) non quasi Patre et Filio sanctior sit, nam omnibus tribus ex æquo adscribitur. Is. vi. 3. et divina sanctitas, quæ infinita est, gradus non admittit, sed quia secundùm operationum divinarum ordinem, sanctificatio fidelium ei attribui solet, ut Patri *electio*, Filio *redemptio*. Atque hæc de sacro sancto Trinitatis mysterio dicta sufficiant.

CHRISTIANÆ THEOLOGIÆ

LIBER TERTIUS.

De Decretis.

CAPUT PRIMUM.

De Decretis in genere.

I. POSTQUAM de Essentiâ Dei diximus; ordo postulat ut de ejus *Operationibus* dicamus, et quidem primò de *operationibus internis*, quæ vocantur *Decreta*, quæque opera Dei externa præcedunt.

II. Per *Decretum* autem intelligimus firmum et immutabile in mente Dei propositum, de eo quod facturus est in tempore, vel permissurus.

III. Talia *Decreta* dari probatur, primò ex Scripturâ, quæ ad hoc significandum solet uti, modò voce *consilii*, Eph. i. 11. *Omnia operatur secundum voluntatis suæ consilium.* Is. xlvi. 10. *Consilium meum stabit et omne beneplacitum meum faciam;* modò voce προθέσεως, seu propositi, Rom. viii. 28. εὐδοκίας, Eph. i. 5. 9. Matth. xi. 26. modò voce προορίζω *prædestinandi*, Rom. viii. 29. 30. modò προγνώσεως *præcognitionis*, Rom. viii. 29.

IV. Illud quoque evincitur à summa Dei perfectione, quæ non patitur, ut quicquam fiat sine ejus voluntate, imò et ab omni ejus scientia, per quam ab æterno novit, non modò quicquid possibile, sed et quicquid est futurum; non enim futurum certò nosse posset, nisi decrevisset quid futurum sit.

V. Hoc ipsis ethnicis planè ignotum non fuit, unde Marcus Antoninus aiebat, ὅτι ἄν σοι συμβαίνῃ τοῦτό σοι ἐξ αἰῶνος προκατεσκευάζετο, et Curtius lib. v. ita loquitur, *Eludant licèt, quibus fortè ac temerè humana negotia volvi, agique persuasum est; equidem æterna constitutione crediderim, nexuque causarum latentium, et multò ante destinatarum, suum quæque ordinem immutabili lege præcurrere.*

VI. Illa decreta non sunt tribuenda Deo ut hominibus;

qui opus habent consultatione prævià, antequam agant, et quorum fluctuat sæpe et suspenditur voluntas, sed tribuuntur Deo; ut pateat omnia opera Dei esse sapientissima, et nihil fieri inscio et invito Deo. Non etiam concipienda sunt ut *accidentia;* nam cùm essentia divina in se infinitè sit perfecta, aliquid ipsi accedere capere non possumus.

VII. In decreto *tria* distinguimus, 1. Actum voluntatis divinæ, vel voluntatem Dei decernentem. 2. Respectum externum ad creaturam, qui respectus sine ulla Dei mutatione fit. 3. Rem decretam. Observandum est, quod quando consideramus in decreto ipsum voluntatis divinæ actum, non distinguimus decretum ab ipsâ Dei essentiâ, siquidem voluntas Dei et Deus ipse idem est, et nihil est in Deo quod non sit ipse Deus.

VIII. *Decreta* hæc Dei *æterna* esse docet Scriptura; Eph. i. 4. *Sicut elegit nos in se ipso ante fundationem mundi.* 2 Tim. i. 9. *Servavit nos ex suo proposito et gratia, quæ data est nobis in Christo Jesu, ante tempora seculorum,* et Paulus dicit Deum, *sapientiam præfiniisse ante secula ad gloriam nostram,* 1 Cor. ii. 7. nec enim aliis verbis designatur æternitas.

IX. Rursus illud probatur ex eo, quod indignum esset Ente sapientissimo et omniscio in tempore demum condere decreta pro re nata.

X. *Sapientissima* esse hæc decreta dubitare non patitur *idea,* quam habèmus, Dei ut *Entis* sapientissimi, et ipsa *scriptura,* Rom. xi. 33. 34. *O altitudo divitiarum tum sapientiæ, tum cognitionis Dei.*

XI. *Liberrima* sunt hæc decreta. *Etiam pater quia ita placuit,* Matth. xi. 26. Hoc probatur ex eo quòd quicquid agit Deus, agit ex ratione, et à nullo præterquàm à se ipso determinatur, quæ est summa libertas.

XII. *Immutabilia* sunt, id docente etiam scriptura, Is. xlvi. 10. *Consilium meum stabit.* Causa cur homines decreta mutant, vel est *ignorantia,* vel *impotentia,* vel *malitia,* vel *inconstantia,* sed nihil illorum cadere potest in Deum. Equidem Deus aliquando destruit quod condiderat, sed id non fit, quasi mutet decretum; qui enim decreverat condere, decreverat etiam destruere: res mutatur, non Dei voluntas.

XIII. Ex hac *Immutabilitate* decretorum sequitur nihil Deum decrevisse, quod non suum effectum sortiatur, sed hæc *immutabilitas* non tollit libertatem creaturarum. Equidem difficile est capere quomodo hæc infallibilitas

eventus possit consistere cum libertate hominis. Verùm nihil certius, quàm 1. Nihil evenire quod decretum non sit. 2. Nos omnes agere liberè, et hæc duo nosse satis est. Hoc tantùm observandum, idem decretum quod futuras res decrevit, statuisse etiam modum quo res futuræ sunt, ita ut omnes creaturæ agant convenienter naturæ suæ; creaturæ *inanimatæ*, physicâ necessitate; creaturæ verò *rationales* et liberæ cum ratione et cum libertate.

XIV. *Immutabilitas* decreti tollit libertatem, quam theologi vocant *independentiæ*, id est tollit eam libertatem, quæ soli Deo competit, qui ut est *independens* ab omnibus aliis entibus, *independenter* etiam agit; creaturæ enim in esse, et in *operari* à Deo pendent, sed non tollit *libertatem* hanc, quæ *spontaneitatis* dicitur, quâ creatura rationalis agit sponte et prævio mentis judicio; decretum enim de causarum secundarum actionibus non evertit earum naturas, et libertas hæc omni enti rationali essentialis est.

XV. Hæc *immutabilitas* decretorum probat invictè, non dari decreta conditionata, talia scilicet, quæ à conditione mutabili dependeant; quod enim à conditione mutabili pendet, immutabile esse nequit. Sanè decreta conditionata poni non possunt, quin supponatur eum qui decrevit, aut ignorare eventum, aut eventum non esse in decernentis potestate. Neutrum autem dici potest de Deo. Equidem non diffiteor promissiones et comminationes Dei esse conditionales; sed ab illis nulla est consequentia ad Dei decreta. Promissiones enim rem esse futuram non ponunt, ut decreta; sed tantùm quid gratum sit Deo, quid non; et nexum inter conditionem quæ exigitur, et rem quæ promittitur, ostendunt.

XVI. Quandoquidem omne agens ex consilio agit ad *ideam;* quæritur an *ideæ* sint in mente Dei, et quid sint: paucis respondemus. 1. Esse ideas in mente Dei, sed non aliunde ipsi advenire, nec à rebus desumi, ut in hominibus fieri solet, sed res potiùs ipsas ad eas ideas efformari et exprimi; omnia enim priùs in Deo quàm in rebus sunt. 2. Illas ideas nihil aliud esse quàm essentiam Dei cognoscentem suas perfectiones, et volentem suarum perfectionum esse quædam in creaturis vestigia. 3. Unicam tantùm rerum omnium esse ideam in Deo, quamvis propter varios ad res, quæ sunt extra Deum, respectus, varia et multiplex concipiatur. Atque isto sensu verum esse ideam unius rei non esse ideam alterius. 4. Omnium perfectionum, quæ sunt in creaturis, esse tantùm in Deo ideas, non verò im-

perfectionum; novit quidem eas imperfectiones, sed novit tantum ex oppositâ perfectione.

CAPUT II.

An omnia, quæ eveniunt, à Deo decreta sint, et de Termino vitæ cujusque hominis.

I. De *æternitate* et *immutabilitate* decretorum diximus, jam de eorum *amplitudine* dicendum. Tanta est, ut nihil in mundo contingat, de quo Deus non decreverit, quod futurum sit. Verùm ut res, quæ eveniunt, vel bonæ vel malæ sunt: ita diversimodè Deum circa eas versari certum est. Deus enim decrevit bonas efficere, malas verò permittere tantùm. Illud patet ex eo quòd Deus omnis boni sit auctor; at mali auctor esse nequit; debet itaque efficere bonum, sed non potest malum præstare: interim, quandoquidem nihil Deo vel inscio vel invito in mundo contingere potest, hinc dicimus Deum permittere malum, licèt neutiquam probet.

II. Inde colligitur, quid sit respondendum ad questionem, quæ fieri solet. *An scilicet Dei decreto, cujusque hominum vitæ terminus fixus et immobilis, cum omnibus suis circumstantiis, ita sit constitutus, ut alio temporis articulo, et alio mortis genere decedere non possit, quàm quo eum decedere contingit.* Nam si quicquid evenit in mundo, à Deo ab æterno cognitum est, et si nihil à Deo prævideri potuit futurum, nisi quod futurum esse decrevit, tunc sequitur talem terminum vitæ fixum et à Deo determinatum fuisse.

III. Sed id ulterius demonstratur. 1. Ex Job xiv. 6. ubi Deum sic compellat, *siquidem definiti sunt dies ejus, numerus mensium ejus tecum est, statuta seu determinationes ejus fecisti, quas nemo transgredietur.* 2. Illud probatur ex illis locis, ubi prædicitur certò vitæ terminus; *Mosis*, Deuter. xxxi. 14. *infantis Davidis*, 2 Sam. xii. 14. *Filii Jeroboami*, 1 Reg. xiv. 12. *Achaziæ regis Israël*, 2 Reg. i. 16. *Filiorum Heli*, 1 Sam. ii. 24. *Christi Servatoris*, aliorumque innumerorum. Cùm enim quicquid præscitur à Deo, certò futurum sit tam necesse est à Deo definitum modum, et diem mortis singulorum, quàm utrumque ab illo certò præsciri. Confirmatur idem ex eo quòd maximè fortuitum genus mortis definitum dicatur à Deo, ut videre est; Exod. xxi. 13, 14. *de homine occiso ab alio*

imprudenter. 3. Illud iterum demonstratur ex eo, quod *conceptio* hominis et *nativitas*, ejusque vita à Deo gubernentur, Psalm. cxxxix. Nam si quod minoris est momenti à Deo regitur, an quod maximum est, ut dies à quo pendet æternitas felicitatis vel miseriæ humanæ, homini relinqueretur? Tandem istud evincitur ex eo, quod omnes eventus talem habeant inter se connexionem, ut unus sæpissime ab alio pendeat; hinc non est verisimile, Deum qui alios eventus dirigit et decernit, hunc nullatenus curasse, aut decrevisse.

IV. Nec hoc planè ignorarunt Gentiles; hinc Seneca de cons. ad Martiam c. xx. *Nemo nimis citò moritur, qui victurus diutiùs, quàm vixit, non fuit*, fixus est cuique terminus, *manebit semper ubi positus est, nec illum ulterius diligentia aut gratia promovebit.*

V. Quod prorogari dies hominum aliquando dicantur, ut de Ezechia legitur; non credendum prorogari ultra tempus à Deo fixum, sed ultra tempus, quo, vel secundum ordinem causarum secundarum, aut ipsam vim morbi, morti proximi videbantur. Ita *contrahi* dicuntur *dies;* non quasi Deus ante tempus à se definitum eos mori jubeat, sed quia juxta leges naturæ, aut juxta constitutionem corporis videbantur longiùs victuri.

VI. Ex eo quod fixus sit vitæ terminus, minimè inferendum est, medicorum operam planè inutilem; iis plerumque Deus utitur ad eos servandos, quos adhuc vivere vult; sed inde tantùm inferendum est, in iis fiduciam non esse collocandam, quasi vitæ necisque essent arbitri.

VII. Hæc rursus doctrina de termino vitæ fixo impedire nos non debet, quominus pro longævitate preces concipiamus, sed nostras orationes ita esse dirigendas docet, ut nos nostraque omnia Dei nutui submittamus. *Imperterritos* in periculis nos reddere quoque debet, quum Deum vocantem sequimur, sed non *temerarios*, ut quævis discrimina absque ulla necessitate adeamus.

CAPUT III.

De Ordine Decretorum.

I. Quamvis unico et simplicissimo actu Deum omnia decrevisse credendum sit, nihil obstat tamen quominus in re-

bus decretis ordo aliquis statuatur, ut sic imbecilitati nostræ succurratur, et faciliùs res concipiamus.

II. Non una autem theologorum super hac re sententia; omnes recensere animus non est, unicam afferemus tantùm, quæ censet. 1. Deum decrevisse condere mundum, et creare hominem; nihil enim capere possumus decrevisse Deum circa hominem, antequam decreverit eum condere, et hoc etiam primum executus est in tempore. 2. Deum decrevisse permittere ejus lapsum, ejusque peccatum ad posteros propagari, et hoc secundo contigit. 3. Deum decrevisse non omnes perdere homines, etsi mortem omnes meriti sint, sed quorundam misereri, ac ipsis salutem destinasse. 4. Deum cum per suam justitiam non liceret hominibus salutem largiri sine satisfactione, decrevisse mittere Filium, qui morte sua satisfaceret justitiæ Dei, et vitam æternam mereret. 5. Deum cùm probè nosset satisfactionem Christi nemini profuturam, nisi receptam et cognitam, decrevisse eam revelare hominibus per prædicationem evangelii, per quam sibi congregaret ecclesiam; et dare Spiritum, qui fidem ingeneraret et nos sanctificaret. 6. Deum decrevisse illos, quibus destinavit salutem, quibus Christus acquisivit per meritum mortis, et quos Spiritus Sanctus sanctificavit, æternâ gloriâ beare, et hoc ultimò continget.

III. Hunc ordinem deinceps sequemur, et juxta eum ut decreto respondeat executio, primò, agemus de creatione mundi, creaturarum, angelorum, et hominis, de quorum lapsu etiam dicemus; postea ad decretum de salvandis hominibus deveniemus, ac de mediis, per quæ Deus illud executus est, verba, si Deo placet faciemus.

CHRISTIANÆ THEOLOGIÆ

LIBER QUARTUS.

De Creationis Decreto et de Creatione ipsa.

CAPUT PRIMUM.

De Creatione in genere.

I. PRIMO Deum decrevisse mundum condere diximus, et res ipsa loquitur; prius enim de condendis creaturis cogitandum erat, antequam decerneretur, quid de illis fieret.

II. In rationes inquirere nostrum non est, cur Deus, qui ad suam felicitatem nobis neutiquam indiget, de creaturis creandis cogitaverit, ut iis se communicaret et suas virtutes panderet. Hominis non est ea velle scire, quæ Deus occulta esse voluit: nosse satis est decretum illud impletum, quando supremo huic Enti placuit creare, quod decreverat, et eorum, quæ ab æterno sapientissimè molitus erat executionem ordiri.

III. Quærere etiam non decet, cur non citiùs mundum condiderit Deus; scitè pius ille senex, quum protervus quispiam ex eo per ludibrium quæreret, quid ante creatum mundum egisset Deus,

Fabricasse tartara, dixit,
His quos scrutari talia mente juvat.

IV. Per *creationem* autem nihil aliud intelligimus, quàm actum istum voluntatis divinæ, per quem totum universum ex nihilo eduxit, ac voluit ut res illæ existerent, quæ prius non fuerant. Hanc creationem solet docere *Scriptura*, per vocem בּרא, quæ vox significat *rem aliquam novam solo nutu producere, vel mirabili virtute aliquid efficere.*

V. Nec enim existimamus vocem בּרא notare ex vi vocis rem aliquam è nihilo educere. Contrarium patet ex eo, quod

usurpatur de iis, quæ ex materia aliqua facta sunt. Gen. i. 21, 27. Ita quum Ps. cii. 19. dicitur *populus qui creabitur, laudabit Dominum*, et Ps. civ. 30. *si mittas Spiritum tuum, creantur*, nemo est qui in his locis, aliisque similibus, vocem ברא aliud significare, quàm ex nihilo facere, probè non sentiat. Idem dicimus de voce κτίζω, quæ quamlibet etiam rei productionem notat. Hîc non pigebit observasse, vocem ipsam *creare* Latinorum, non præcisè quoque aliquid ex nihilo producere significare, imò dubitari posse, an unquam ita Latini sumserint. Creare apud eos est, vel *gignere*, ut *fortes creantur fortibus*, vel, *quoquo modo facere;* vel in *dignitate aliqua constituere, ita creari consules* &c. dicuntur; vel *causam esse* alicujus rei, ita *ærumnas creare* alicui, &c.

VI. Ante hanc *creationem* præter Deum omninò nihil fuit. Mundus itaque æternus non est, nec materia, ex quâ mundus componitur. Illud ex variis argumentis probari potest, non modo ex Scripturâ, quæ ubique docet Deum cœlum et terram, imò omnia creasse et quidem in principio Gen. i. 1. Apoc. iv. 11, sed ex *ratione*, quæ docet, ut alibi observavimus, absurdum esse, enti imperfectissimo, summam omnium perfectionem tribuere; et æternitatem esse proprietatem summi numinis, quæ omnibus aliis entibus communicari nequit. *Æternitatem* mundi tueri non minùs ridiculum, ne dicam impium, quàm asserere, mundum esse Deum, ut ille, qui scripsit.

Jupiter est, quodcunque vides, quocumque moveris.

VII. Nec dicas, Deum ab æterno condidisse materiam; illud quippe contradictionem implicat; neque enim concipimus rem aliquam creari, et tamen non incipere esse: quicquid autem existere incepit, æternum non est.

VIII. Complures inter ethnicos saniores mundum à Deo conditum esse agnoverunt. Plato Deum dixit esse *aspectabilis mundi opificem*. Phœnicum sententiam super principio rerum explicuit Sanchoniaton Mosaïcæ adeò consentaneam, ut Mosis libros legisse videantur; et Ægyptii, ut mundi originem adumbrarent, Deum opificem *Cnephum* ovum ore conspuentem pingebant. Epicuri Sectatores mundi æternitatem impugnabant; unde Lucretius lib. v.

..... Si nulla fuit, genitalis origo
Terrarum, et cœli, semperque æterna fuere:
Cur supra bellum Trojanum et funera Trojæ
Non alias alii quoque res cecinere Poëtæ?

Qua in re Epicurus longè saniùs sensit, quàm peripateticorum princeps, licèt non minùs graviter errarit, dum ex fortuito atomorum concursu coaluisse mundum deliravit.

IX. Satis mirari non possumus repertos fuisse, et adhuc reperiri, qui materiæ æternitatem tueantur, quia capere non possunt Deum aliquando nihil produxisse; quasi Deus creaturis indigeret, et quasi sibimet non sufficeret. Sanè non otiosus erat, qui se ipsum, ac suas contemplabatur perfectiones;

Regnabatque potens in majestate creandi,
Jam res et causus rerum, casusque futuros,
Et facienda videns, gignendaque mente capaci
Secula dispiciens, et quicquid tempora volvunt
Præsens semper habens; immensum mole beata
Regnum erat ipse suum.

Ut aiebat *Claudius Marius Victor.*

X. Conditus est igitur *mundus*, et creata materia, ex quâ mundus conditus est; sed non uno modo omnia facta sunt: quædam ex nihilo; quædam ex materiâ præjacente, sed minimè habili, et ad nihil dispositâ.

XI. Ex *nihilo* quædam facta esse indicare videtur Paulus, Heb. xi. 3. quando ait, *per fidem intelligimus constructum fuisse mundum verbo Dei, ut quæ cernimus, non sint ex apparentibus facta*, quod explicari potest ex iis, quæ dicit auctor libri 2 Maccab. vii. 28. ubi pia mater filium suum ad martyrium animans, jubet eum cœlum terramque, et omnia, quæ in iis sunt, intuentem γνῶναι ὅτι οὐκ ἐξ ὄντων ἐποίησεν αὐτὰ ὁ Θεός, *agnoscere Deum ea non ex existentibus fecisse;* atque ita explicuit Chrysostomus τὰ ὄντα ἐξ οὐκ ὄντων, existentia ex non existentibus.

XII. Sed illud idem confirmat ratio, nam si Deo nihil est coæternum, et si enti imperfectissimo tribuere summam perfectionem sit absurdissimum, necesse est ut materia ex nihilo educta sit.

XIII. Hæc fuit *priscorum Judæorum* sententia R. Eliezer dixit *Antequam D. B. mundum crearet ipse, solum extitisse et nomen ejus.* Ita censuerunt complures alii, de quibus Manasse Ben Israël de creat. Prob. iii.

XIV. Naturaliter quidem illud fieri non potest, omnis enim causa naturalis, quoniam est finitæ virtutis, subjectum prærequirit, in quod agat, quodque immutet. At Deus, qui infinitâ potentiâ pollet, sibi ipsi materiam præparare po-

test, adeò ut cùm antea esset nihil, nunc infinita Dei virtute sit aliquid. Hinc dicitur *vocare ea quæ non sunt, quasi essent.* Rom. iv. 17. Ridiculus igitur est stupor et profana vecordia Velleii Epicurei, qui apud Cicer. lib. de natura Deorum, creationem naso suspendens, rogat; *Quæ molitio, quæ ferramenta, qui vectes, qui ministri tanti muneris fuerint?*

XV. Hæc rerum productio solo Dei verbo facta est, *Dixit Deus, fiat lux, et exstitit lux;* Gen. i. 3. *ipse dixit et exstitit, ipse præcepit et stetit* Psalm. xxxiii. 9. quod et ethnicis ignotum non fuit, qui Jovis nutu peracta fuisse aiebant, ut loquitur Maximus Tyrius Dissert. xxv. *Unâ cum nutu Jovis,* inquit, *terra constitit, et quicquid terra alit; mare constitit, et quicquid mare producit; aër constitit, et quicquid aër fert; cœlum constitit, et quidquid cœlo movetur; omnia hæc Jovis nutus perfecit.*

XVI. Sibi soli eam adscribit Deus. Is. xl. 26, 28. xliv. 24. *Ego Jehova facio omnia, extendo cœlos solus;* et iis operibus se ab omnibus fictitiis diis gentium distinguit. Jer. x. 11. *Dii illi, qui cœlum et terram non fecerunt, pereant de terra;* et Psalm xcvi. 5. *Omnes dii populorum sunt idola, Jehova verò cœlos fecit.*

XVII. Deo soli quoque gentiles rerum omnium creationem adscripserunt: ita Sophocles; Εἷς ταῖς ἀληθειαισιν ἑις ἐστὶ θεὸς ὃς οὐρανὸν τέτευχε καὶ γαῖαν μακρὰν; *Unus profectò, unus Deus est, qui cœlum condidit, amplamque terram.* Quibus addi possunt, sive *Pythagoræ* sive *Orphei* versus à Justino citati:

> Εἴ τις ἐρα θεὸς εἰμὶ παρὲξ ἑνὸς, οὗτος ὀφειλει,
> Κόσμον ἴσον τούτῳ στήσας ειπειν ἐμὸς οὗτος.

Quæ ita latinè reddita:

> *Qui Deus affectat dici, producere mundum*
> *Huic similem tentato, suum quem dicere possit.*

XVIII. Ita propria est creandi actio Deo, ut cum nulla creatura, communicari queat; quod sic evincitur. 1. Quia quod est opus infinitæ virtutis, non potest communicari creaturæ, et creare aliquid ex nihilo est opus infinitæ virtutis. Ergo &c. *Major* patet ex eo quod finitum non est capax infinitæ virtutis. *Minor* evidens est, nam nihil majus concipi potest quàm ex nihilo educere aliquid. 2. Illud probatur ex eo, quod implicat, ut Deus gloriam suam alteri det, at gloriam suam creaturæ daret, si infinitam potentiam communicaret.

erant super faciem *abyssi*, (ita vocat sacra historia aquarum immensam vim et multititudinem, aut totam molem ex terrâ et aquâ constantem,) Deo placuit condere lucem Gen. i. 3. Quid autem fuerit illa *lux*, quæritur. Si quibusdam fidem adhibeamus, nihil aliud fuit, quàm materia subtilis vehementer mota, quæ tunc per vices utrumque terræ hemisphærium illustrabat; postea verò particularum subtilium appulsu, in centris suis aucta, in astrorum globos videtur collecta. Verùm malo hîc meam confiteri ignorantiam, quàm quicquam definire.

VI. Opera *secundæ* diei sunt, 1. *Expansum*, alii malunt verti *Firmamentum*, quod complectitur totum illud spatium, quod à terrestris globi superficie ad extremum usque cœli adspectabilis expansum est; factum autem est, quatenus aëris formam accepit. 2. *Divisio aquarum superiarum*, id est *nubium* et *vaporum* in superiori aëris regione collocatorum ab *aquis inferioribus*, id est *aquis fluviorum*, *fontium*, *marium*. Expansum ad hoc inserviit, scilicet ad disterminandas *aquas superiores* ab *inferioribus*; licèt enim dicantur supra expansum *aquæ superiores*, non statim credendum est, fuisse super totam latitudinem expansi, sed supra partem ejus, unde non tam dicuntur fuisse *supra* quàm desuper expanso מעל לרקיע, ut innuatur non supra totum expansum evectas fuisse, sed supra inferiorem hujus expansi partem. Ad hanc diem credunt nonnulli referri posse *collectionem* aquarum inferiorum in certos alveos, et earum *separationem* à terrâ, quæ arida postea dicta est, aquarumve congeries vocata est *Mare*, Gen. i. 9. Juxta hanc sententiam, secunda dies benedictione non caruit; aliis non placet hæc opinio, et ideò benedictione caruisse credunt illi secundam diem, quia non perfectum fuerit hac die, quod inceperat Deus; nobis perinde est, cuicunque sententiæ adhæreatur.

VII. Opera *tertiæ* diei fuerunt 1. Juxta quosdam illa *collectio*, de quâ jam diximus, quam subsecuta est 2. *Germinatio* terræ plantarum, atque fruticum, et arborum seminiferarum productio, nec enim sufficiebat terram apparere et exsiccari, nisi ornaretur suis plantis et fructibus. Deus itaque voluit illi vacuæ et denudatæ vestem quandam pulcherrimam ex omne genus herbis, floribus, arboribus et fructibus circumdare, quâ non modò nuditas ejus tegeretur, sed futurorum animalium, juxta et hominum utilitati et jucunditati prospiceretur.

VIII. Opus *quartæ* diei est creatio *luminum* in expanso, id est in ea expansi parte, quam *firmamentum* vocamus;

exornatâ terrâ, cœlum postea ornatur astris. Horum creationem sedulò describit sacer historicus, ut *astra*, non numina esse, quod credebant gentes, sed fuisse tantùm doceret instrumenta, per quæ æternum numen hominibus benefaciebat. Illis multiplex usus assignatur, 1. Variâ suâ luce diei et noctis tempora distinguere. Gen. i. 18. 2. Disterminare vices et tempestates anni. 3. Luce sua ac calore in hæc inferiora agere. *Signa* vocantur hæc astra, quia annum distribuunt in suas tempestates, *ver*, *autumnum*, *æstatem* et *hyemem*, et hac ratione tempora sementis, messis, et vindemiæ indicant: fortè etiam *signa* dicuntur, quia stata festa quoque indicebant, quæ Rabbini inter Judæos celebris sententia fuit. Non verò *signa* dicuntur, quasi essent signa futurorum à libero hominis arbitrio dependentium, qualia *astrologia judiciaria* quærit. Hoc crediderunt olim, observante Augustino, Priscillianistæ, impia Gnosticorum propago, qui fatalibus stellis alligabant homines. Hos multi secuti sunt, et sequuntur. Sed hanc astrologiam judiciariam damnabit, qui attendet, 1. Hanc artem in arcana Dei irrumpere velle, et nefando ausu futura soli Deo nota definire præsumere. 2. Futurorum cognitionem proponi ut κριτήριον veri Dei ab idolis dignoscendi. Is. xli. 21. 22. Dan. ii. 28. quod non diceretur, si ex astrorum conspectu futuri cognosci possent eventus. 3. Deum vanitatem hujus artis et artificum, et illorum, qui ab iis deludi se patiuntur, credulitatem sæpe perstringere. Is. xlvii. 12. 13. 4. Hanc artem falsam, imò perniciosam agnitam ab ipsis ethnicis, unde *Augustus* astrologos urbe, *Tiberius* et *Claudius* Italiâ, *Vitellius* urbe et vitâ ejecisse leguntur, ut hominum genus potentibus infidum, sperantibus fallax. 5. A patribus et sana antiquitate talem artem damnatam, ut patet ex libris Augustini, Concilio Braccarensi et Tolet. i. &c. 6. Ridiculum planè, atque absurdum credere voluntatem hominis liberam à constellationibus quibusdam pendere, et credere astrologum, qui æstum et imbrem, serenitatem et tempestatem prædicere nequit, compertum habere *Polycratem cruci affigendum; Crœsum ad pyram, Cyrum ad imperium evehendum; Timonem thesaurum, piscatores Milesios tripodem aureum reperturos; Anaxarchum in mortario, Perillum in suo bove, Socratem cicuta, Æschylum testudinis illapsu, Alexandrum toxico, sica Domitianum, fatis concessuros; hanc Thaidem, illum Hippolitum, hunc Zenonis discipulum, illum Epicuri futurum.*

IX. Opus *quintæ* diei fuit *aquatilium* seu *piscium* ex aquis, *volatilium* et *avium* ex terrâ productio, Gen. ii. 19.

X. Tandem opus *sextæ* diei fuit *creatio animalium terrestrium*, quorum tria genera recensentur, *mansuetorum reptilium*, et *ferorum*, et creatio *hominis*.

XI. Atque ita absoluta sunt opera Dei; tuncque quievisse Deus dicitur, hoc est desiit velle, quicquam ampliùs in mundo creari, seu novam ullam speciem existere; quod ab ethnicis malè intellectum ridendi Judæos occasionem præbuit, ut ex Rutilii Numatiani versiculis patet:

Septima quæque dies turpi damnata veterno.
Tanquam lassati mollis imago Dei.

Sed hîc observandum venit, 1. Non omnia eodem modo creata; quarundam enim rerum individua omnia perpetuò mansura creata sunt; aliarum autem aliqua solùm speciem per propagationem conservatura; alia creata in se ipsis; alia in suis causis, ut insecta, meteora, alia creata ex nihilo, alia creata ex materia non habili. 2. Tres personas adorandæ Trinitatis in ea concurrisse. De *Patre* nemo dubitat, de *Filio* docet Johannes cap. i. 1, 3. Evangelii, quum enim dicit *in principio fuisse verbum*, et per istud verbum *omnia facta esse;* alludit dubio procul ad verba Mosis *in principio* &c. *Deus dixit lux sit*, quod mysterium nemo mortalium conjecisset, nisi aperuisset Johannes. Eo sanè *Verbo*, quo lux et alia producta fuisse asserit Moses, non potest intelligi *vox quædam articulata*, à Deo pronuntiata, eo enim tempore, quo nihil existebat, quis vocis articulatæ usus esse poterat, et quis eam audire potuisset. Nec dicendum *sermonem* hunc habuisse *vim imperii*, cujus interventu, res, quas Deus, fieri voluit, erumpebant; siquidem omne imperium verbis conceptum ad eas creaturas dirigitur, quæ sunt ad id excipiendum aptæ. At nunc nihil erat. Non intelligi quoque tantùm potest *cogitatio quædam Dei*, seu *actus ejus voluntatis;* nam si hoc tantùm voluit Moses, nihil necesse erat ut id toties commemoraret; quis enim dubitare potuit, quin Deus, cùm res omnes virtute sua produxit, de hoc prius cogitaverit. Putida profectò, et ineptè suscepta diligentia, in re de qua nemo ambigere potuit. Nec dicendum etiam hoc tantùm voluisse sacrum historicum, ut significaret non vectes, non ferramenta, non molitiones ullas Deum ad mundi creationem adhibere voluisse; sed tantâ facilitate creata omnia, quantâ fieret opus aliquod, si quis

ad id solo verbo uteretur, quod in Evangelio denotare voluit ille, qui Christum sic compellabat: *Dic tantumodo verbum, et servus meus sanabitur.* Nam si nihil aliud voluit *Moses*, cur tantis ambagibus utitur? Cur non uno verbo dixit omnia solo numinis nutu facta? Cur id semel aut bis dixisse non contentus tam sæpè repetiit? Profectò si nullum est in ea narratione μυστήριον, frequens ejusdem rei inculcatio ferenda non videretur. Quale autem sit illud mysterium explicat Johannes. Quoad Spiritum Sanctum patet ex versu secundo ad creationem quoque concurrisse, ubi dicitur *Spiritum Domini incubuisse aquis*, de vento enim hæc explicare nimis frigidum est et jejunum. Eo enim tempore, neque dum aër erat, neque vere ulla exhalatio, quæ vel suopte motu, vel aliunde impulsa aërem agitaret. 3. Observamus cum mundo creatum fuisse tempus, quod nihil aliud est quàm duratio rei creatæ, aut modus cogitandi, quo rei creatæ durationem mensuramus; unde ante rerum creationem, ne concipi quidem potest fuisse tempus, cùm non magis durationem sine creaturis existentibus imaginari possimus, quàm spatium sine corpore.

XII. In quâ zodiaci parte Sol in principio rerum à Deo constitutus fuerit, et quot anni effluxerint a creatione mundi, relinquimus chronologis.

XIII. Hæc tantùm addimus. 1. Ridiculos fuisse Hebræos, qui non aliis, quàm qui ad ætatis ἀκμὴν pervenissent, historiæ creationis lectionem permittebant; illis verò qui nondum annum sacerdotalem, hoc est ætatis trigesimum attigerant, interdicebant, ut et initium et finem Ezechielis, et Canticum Canticorum. 2. Unumquemque Christianum debere (1.) Hæc eximia Dei opera perpendere: *Attollite in sublime oculos vestros, et videte quis ista fecerit.* Is. xl. 26. (2.) Per ea veluti erectam scalam ad Deum ascendere, ac ejus virtutes mirari; *potentiam immensam*, ad cujus nutum omnia prodierunt; *bonitatem infinitam*, cui soli omnia debent creaturæ, *sapientiam admirandam*, quæ singula tam concinno ordine disposuit. *Quum respicio cœlos*, inquiebat David, *opus tuorum digitorum; lunam et stellas quas statuisti; exclamo; quid est mortalis, quod sis memor ejus.* Ps. viii. 4, 5. *Quàm ampla sunt opera tua, Jehova, quàm ea sapienter fecisti.* Ps. civ. 24.

CAPUT III.

De Creatione Angelorum, eorumque Naturâ.

I. QUANDOQUIDEM sacra Scriptura toties Angelorum meminit, hic quæritur, an à Deo creati sint, et quando. Nec enim necesse esse existimamus adversus Sadducæos probare, an sint angeli; et cum doctis contendere de Sadducæorum sententiâ.

II. Creatos esse docet Paulus, Coloss. i. 16. 17. quum ait, *Per Christum condita esse omnia; quæ in cœlis sunt, et quæ in terra, visibilia et invisibilia, sive thronos, sive dominationes, sivè imperia, sive potestates;* ipsa ratio id confirmat, nam quicquid Deus non est, creatum est, siquidem æternitas est solius Dei proprietas. Ex nihilo creatos esse docet eadem ratio, non ex elementis sublunaribus, ut nonnulli delirarunt Judæi; absurdum enim ex materia Spiritus creatos esse tueri.

III. Creatos esse ante principium Mosaïcum, hoc est, antè illud principium, quo Deus condidisse dicitur cœlos et terram, dici non potest, quia juxta styluum scripturæ nihil fuit ante mundum, quod non fuerit æternum; non enim aliter nobis describit æternitatem.

IV. Quâ die creati sint, incertum planè est; *primâ* die creatos verisimile est, unde Job xxxviii. 7. Dicit, *Quum fundaretur terra, jubilabant una stellæ matutinæ, et clangebant omnes filii Dei.* Imò maxima pars interpretum existimat de illis loqui Mosem, quum Genes. ii. 1. ait *absoluta fuisse cœlum et terram, et omnem exercitum eorum.* Ridiculi illi Judæi, qui per צבאים angelos quoque posse designari autumaverunt.

V. Mirum prima fronte videtur, *Mosem* de illorum creatione tacuisse, sed non mirum erit iis, qui observaverint id factum; non quidem quia φιλιδωλον ad idololatriam propensum erat Israëlitarum ingenium, si enim hæc esset Mosis silentii causa, nunquam de iis meminisset sacer historicus; non propter tarditatem populi Judaïci, sed quia scopus scriptoris sacri fuit Ecclesiæ tantùm historiam texere, unde satis fuit ejus initium ab exordio mundi describere, et de angelis tantùm meminisse, prout postulabat instituti, in adornandâ Ecclesiæ historiâ, ratio.

VI. Creati sunt maximo numero, ut ex variis locis Scripturæ colligitur, Apoc. v. 11. et Dan. vii. 10.

VII. Quoad illorum naturam patet ex Scriptura. 1. Esse *Spiritus*, ita enim vocantur. Hebr. i. 7, 14. ἀέρας, Coloss. i. 16. ac proinde esse substantias immateriales. Aliter olim visum multis ex veteribus, et scholasticis compluribus, qui angelos corporeos esse finxerunt. 2. *Immortales*, quæ *Immortalitas* etiam spontè fluit ex *immaterialitate*. Luc. xx. 36. Ubi beati post resurrectionem ultra mori non posse dicuntur, quia *æquales angelis erunt*. 3. Summa *efficacia* illis adscribitur et robur, unde stupenda opera ipsis tribuuntur; ut una nocte trucidare 185000, aliave quæ vires humanas superant, quamvis non sint miracula.

VIII. Apparuisse sub formâ humanâ negari non potest, quando exequi par erat mandata Dei; sed inde corporeos esse nemo inferat; non enim in propriis, sed in assumptis corporibus apparebant; unde autem habuerint ea corpora; an ex nihilo condita fuerint, an ex præexistente materiâ inhabili à Deo fabricata; an viventium hominum corpora occuparint, aversâ tantisper eorum hominum mente, ut quid id se ageretur ignorarent, decidere temerarium mihi videtur; hoc certum, non semper hæc corpora servasse.

IX. De cognitione istorum; de *modo* quo secum invicem communicent, ac de eorum *potentia* disputare parum utile judicamus, nec debemus ὑμβαπτὶν ἃ μὴ ἑωράκαμεν; hoc sufficit nosse, 1. Cognitionem eorum non esse infinitam; multa ab ipsis ignorari, nec cognoscere corda hominum; *tu solus nosti animum omnium hominum*. 1 Reg. viii. 31. ut Deum alloquitur Salomo. Dicuntur angeli in Scriptura *ignorare diem judicii*, Marc. xiii. 32. multa ex Ecclesia discere. Eph. iii. 10. Triplicem cognitionem eis assignant theologi, *naturalem*, *supernaturalem*, et *experimentalem*. 2. Non posse quicquam præstare nisi permittente Deo. 3. Non posse miracula facere, ut creare substantias, suscitare mortuos &c. 4. Multa tamen posse, quæ naturæ humanæ vires superant.

X. Loquelam angelis tribuit Scriptura; Apoc. xiv. 18. *Unus angelus alium vocat;* sed illud explicare arduum est.

XI. De ordinibus angelorum temerarium quicquam decidere. *Esse sedes, dominationes, principatus, potestates in cœlestibus apparatibus firmissimè credo*, aiebat Augustinus: *Quid inter se distent hæc vocabula, dicant qui possunt, si tamen possunt probare quod dicunt, ego me ista ignorare profiteor.*. Contr. Priscill. cap. 11. Euch. cap. 58. Sanè ex Platonicorum scholâ fluxerunt terni Hierarchiarum trium ordines, quos Dionysius Pseudo-Areopagita ita recensuit,

ut angelorum ordinibus interfuisse, et cœlestia dimensus videri possit.

XII. *Angeli* vocantur, quia à Domino mittuntur, ἀγγελλόμενοι, ad varia ministeria, et ad sua jussa exequenda. Aliis nominibus insigniuntur. Quidam vocantur *seraphini*, alii *cherubini*, alii *throni*, &c. de illis nominibus consuli possunt sacrarum literarum commentatores. De pluribus archangelis non loquitur Scriptura, sed de uno tantum, Jud. vers. 9.

XIII. Omnes angeli à Deo creati sunt innocentes et sancti, sed quia labiles creati fuerant, non omnes in eo statu permanserunt. De eorum lapsu in sequentibus loquemur, ut et de angelis lapsis; de bonis tantùm in hoc loquemur capite.

XIV. Vocantur angeli *sancti*, angeli *electi*, angeli *lucis*, Matth. xxv. 31. 1 Tim. v. 21. 2 Cor. xi. 14. Nec unquam defecerunt ab eo in quo creati sunt statu. Deus ad varia ministeria iis utitur, non quasi illis egeat, sed tum ut eo honore eos dignetur, tum aliis de causis. Eorum continua occupatio est *Deum colere*, Isai. vi. hinc Gregorius Nazianzenus vocat eos ὑμνῳδὸς τῆς θείας μεγαλειότητος; *adstare* coram eo, ut apparitores et ministri, *videre* ejus faciem, ejus mandata *capessere et exequi*. Eos ministros habuit Christus in terris, et fidelibus etiam utilissimos se præbent; eos adhibet Deus, tum ad suos fideles à periculis præservandos, Ps. xci. 11, 12. tum ad eos liberandos, Ps. xxxiv. 8. Ut experti sunt, *Lothus*, *Elias*, *Elizæus*, *Petrus*; tum ad eos castigandos, tum ad suorum electorum animas in cœlum transferendas, ut dicitur de Lazaro; tum ad judicia ad impios exercenda: eorum tandem aliquando operâ congregabit Jesus suos, in ultima die Matth. xxiv. 31. 1 Thess. iv. 16. ejusque erunt satellites.

XV. Non tamen credendum singulis fidelibus certum assignari custodem; quod nullibi docet Scriptura; sed quod à paganis ortum est, qui unicuique homini peculiarem genium seu dæmonem adscribebant, ut esset ἕκαστος μυσταγωγὸς τοῦ βίου, *totius vitæ dux*. Quam sententiam secuti Judæi, ut facilè probari posset; et ut hoc à nonnullis evincitur ex eo quod legitur Act. xii. 15. ubi quum *Rhode* ancilla dixisset se vocem Petri agnovisse, alios dixisse, refert Lucas, *Angelus Petri est*.

XVI. Honorandos angelos nemo sanus negabit, sed colendos neutiquam: certum enim, 1. Hunc cultum expresse à Paulo damnari. Col. ii. 18. *Nemo vos brabeio defraudet, in demissione animi, et cultu angelorum*. 2. Angelos cul-

tum istum repudiasse, Apoc. xix. 10. xxii. 9. *Vide ne facias, adora Deum, conservus tuus sum et fratrum tuorum.* 3. Scripturam hoc nullibi præscribere, imò contra soli Deo cultum religiosum vindicare. Matth. iv. 10. 4. Saniorem antiquitatem hunc cultum maximè improbasse, ut ex Origene, Lactantio, Augustino, aliisque probari nullo negotio posset; imò hæreseos crimine notatos in concilio Laodiceno eos, qui in partibus Phrygiæ alibique, angelos, adorabant, memorat *Theodoretus.*

CAPUT IV.

De Creatione Hominis in particulari.

I. CREATUM fuisse hominem à Deo jam diximus, sed in particulari de eo agendum esse censemus, et hîc observamus, *primò*, quidem hominem ultimò creatum fuisse, sic voluit Deus tòtam domum ædificari, rebusque omnibus instrui, antequam incola introduceretur, qui totius mundi compendium est.

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, et quod dominari in cætera posset, natus homo est.

Secundò singulari modo ad productionem hominis processisse Deum; nec enim dixit simpliciter, *fiat homo*, ut dixerat *fiat lux;* sed Deus veluti deliberabundus introducitur, *faciamus Hominem ad imaginem nostram*, non sanè quòd consilio ullo aut molimine majore ad hominem efformandum opus esset, sed ad indicandam operis futuri excellentiam. His autem verbis Deum non compellare *angelos*, ut quibusdam Judæis placuit, non *cœlum et terram*, ut alii credidérant, sed unigenitum Filium, ac Spiritum Sanctum, à tempore apostolorum creditum à Christianis: hinc in epistolâ vetustissimâ, quæ Barnabæ adscribitur à compluribus, ab aliis Polycarpo, de Filio hæc leguntur: *Ad hoc Dominus sustinuit pati pro anima nostra, cùm sit orbis terrarum Dominus, cui dixit* (Pater) *ante constitutionem seculi, Faciamus hominem.*

II. In creatione hominis distincta formatio corporis, et creatio animæ consideranda est, ex iis enim constat homo. Quoad corpus, efformatum fuisse ex pulvere terræ, Gen. ii.

7. docet Moses, non ex divite materiâ, et ex pretioso metallo, sed ex luto, quod pedibus conculcatur; nec enim Judæorum deliria moramur, qui ad compositionem humani corporis primi hominis, advocaverunt nescio quam *quintam essentiam*, seu cœlestem materiam. A terra ex qua eductus fuit primus homo vocatus est *Adamus*, quamvis Clar. Ludolphus aliam hujus vocis originem asserat; existimat enim primum parentem, quasi *formosum*, vocatum Adamum, deducens à radice Æthiopica *Adama*, *quæ jucundum, elegantem, amœnum esse* significat. Sic condere hominem Deo placuit, ut homo memor suæ originis materiam humilitatis perpetuo in sinu circumferret, nec unquam insurgeret adversus Creatorem suum; nec hoc ignotum gentibus, qui *satum Japeto recentem tellurem mixtam fluvialibus undis, finxisse in effigiem moderantium cuncta Deorum* commenti sunt.

III. Corpori huic figuram erectam adhibuit Deus, ut *erectos ad sidera tolleret vultus*, et ut homo moneretur terram hanc, et terrena omnia tanquam infrà se posita despicere, cœlumque et Deum Creatorem suspicere. Omnium hujus corporis partium miram symmetriam nemo satis admirari valuit, nec poterit unquam, unde *Galenus* ipse sibi temperare non potuit, quin in initio operis, quod de usu partium conscripsit, in laudes Creatoris erumperet. Satis mirari non possumus Dei bonitatem, qui quasi propriis manibus corpus humanum formare voluit; unde *Prudentius*.

Tantus amor terræ, tanta est dilectio nostri,
Dignatur præpinguis humi comprendere mollem
Divinis glebam digitis: nec sordida censet
Hærentis massæ contagia. Juserat ut lux
Confieret: facta est ut juserat. Omnia jussa
Imperitante novas traxerunt edita formas.
Solus homo emeruit Domini formabili dextra
Os capere, et flabro Deitatis figmine nasci.

Absit tamen, ut fabulis aut deliriis Rabbinorum fidem habeamus, qui *malleolum Adami*, solis sphæram obscurasse, ac in toto corpore eo splendore coruscâsse, quo facies Mosis splendere visa est, finxerunt.

IV. Corpori sic à Deo fabricato inspirasse dicitur *spiraculum vitarum* (ut dicitur Gen. ii. 7. et 1 Cor. xv. 45.) id est *animam viventem*, quæ inspiratio vel insufflatio non est ad literam explicanda, quasi Deus ad instar hominis fauces

haberet, quibus insufflaret; sed hæc dicuntur, non modò ad significandum tam facilem fuisse Deo animæ creationem, quàm facile homini ex ore suo flatum emittere, quod *Theodoreto* placuit; verum ut pateat animam rationalem non ex materiâ eductam esse, sed extrinsecus corpori inditam à Deo. Equidem, נשמה propriè significat *halitum*, sed apud Mosen in loco allato duo significat, 1. Halitum et vitam. 2. Facultatem rationalem, quam animam dicimus; si quidem in homine hæc duo conjunguntur; imò vox נשמה aliquando sumitur pro animo hominis, ut Prov. xx. 26. נשמה *animus hominis* dicitur *lucerna Domini, quæ omnia interiora investigat.* Anima igitur humana cœlestem habet originem. Ita judicandum est de animabus nostris, quæ non ex traduce, sed à Deo immediatè induntur. Ideo in Scripturâ Deus dicitur *dare Spiritum.* Eccl. xii. 9. *formare spiritum hominis.* Zach. xii. 1. Nec hoc incognitum ethnicis: *Animarum nulla,* inquit Cicero, *in terris origo inveniri potest, nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum, atque fictum esse videatur, &c. Ita quicquid est illud quod sentit, quod vult et viget, cœleste et divinum est.*

V. Inspirasse dicitur Deus in faciem vel in nares, non quod Deus ore ad nasum vel ad faciem corporis humani jacentis admoto animam Adamo insufflaverit, sed quod omnipotentis Dei nutu nares Adami illico spirare cœperint.

VI. Non hominem tantùm creare voluit Deus, sed et mulierem, ut esset homini adjutorium; illam noluit condere ex limo terræ, sed ex ipso homine, ut vir uxorem arctiùs complecteretur, et veluti corporis sui partem foveret, ac ut notaretur dignitas viri super mulierem. Ex viro dormiente educta est, non sane ut absque doloris sensu fieret extractio costæ è latere Adami, sed ut Adamus operis peracti potius esset admirator quàm divinæ operationis tam admirandæ spectator, et modi inspector. Deus enim vult quidem nos opera sua contemplari: sed modum operationum suarum vult nos ignorare. Alia mysteria quæruntur à commentatoribus, qui consuli possunt, et apud quos leges varias rationes, cur è costâ Adami formata sit mulier potiùs quàm ab aliis corporis partibus: simulque reperies Adamum dormientem fuisse typum Christi in cruce dormientis, è cujus latere educta est aqua et sanguis, quibus formata est Ecclesia. Hæc, ut subtilia fortè nimis, omittimus.

CAPUT V.

De Imagine Dei, ad quam Homo dicitur conditus.

I. In creatione hominis hoc præ cæteris notatu dignum est, quòd Deus eum creaverit *ad imaginem suam*. Gen. i. 27. *Et Deus creavit hominem ad imaginem suam*. Quænam illa sit, inquirendum. Verùm ante omnia observandum, longum latumque discrimen esse inter modum quo Christus *imago* Dei dicitur, et modum quo homo ad imaginem Dei conditus est. Imago enim *Christus* dicitur perfectissimo modo; quatenus plenissimè possidet quicquid possidet Pater, quod de homine dicere impium esset.

II. Positam autem fuisse *imaginem*, ad quam creatus est homo, credimus, non in *participatione essentiæ divinæ*, quasi hominis natura esset *divinæ auræ particula*, ut Gentiles loquebantur; non in *corporis aliquâ figurâ*, quâ homo Deum referat; ut delirabant *Anthropomorphitæ*. Sed 1. in animæ nostræ *spiritualitate* et *immortalitate*; nam Deus est Spiritus æternus. 2. In animæ *dotibus*, atque intellectus et voluntatis *rectitudine* ac *justitiâ*. 3. In *immortalitate* totius hominis; non animæ tantùm, sed corporis. 4. In *dominio*, quo pollebat in creaturas inferiores.

III. Ut hoc luce meridiana clariùs pateat. 1. Videndum, an in hisce possit consistere *imago* Dei. 2. An hæc competant primo homini.

IV. Quoad *primùm* facile evincere: in genere ita ratiocinamur. In eo constitui debet imago Dei, quod nos Deo similes reddit; at nihil magis nos Deo similes facit, quàm *spiritualitas* mentis, *immortalitas*, *sanctitas*, *justitia*, *auctoritas* et *dominium*. Ergo &c. *major* et *minor* extra omnem controversiam positæ sunt, nec indigent probatione.

V. Rursus eadem fuit collata homini in naturâ imago, quæ in nobis restauratur per gratiam, et quæ in gloria perficietur: nam renovatio dicitur à Paulo facta κατ' εἰκόνα κτίσαντος juxta imaginem creatoris. Col. iii. 10. At imago quæ restauratur per gratiam, et quæ perficietur in gloriâ, sita est in cognitione, in justitiâ et sanctitate, ut omnibus notum est. Non plane hic inutile est observare vocem ἀνακαινούμενον; qui renovatur, renovatio supponit id quod renovatur prius fuisse, ac postea vetustate collapsum, vel obliteratum, vel omnino deletum fuisse.

VI. Quoad *dominium* pluribus non opus est, ut probe-

mus, in eo etiam positam esse imaginem Dei: nam illud patet, tam ex eo quòd postquam Deus dixit, *faciamus hominem ad imaginem nostram*, addit, *et dominentur in pisces maris &c.* nisi malimus dicere cum nonnullis *dominium* esse *consequens imaginis Dei*, vertentibus locum Geneseos, non *et dominentur*, sed *ut dominentur*, prout ו aliquando ita sumitur; tum ex eo quod 1 Cor. xi. 7. vir ob dominium ipsi in uxorem concessum speciatim *imago ac gloria Dei* dicitur.

VII. Hoc probato; jam secundò videndum, an hæc omnia in primum hominem quadrent, et hoc probamus per partes. 1. Animam ejus fuisse spiritualem, non extensam, patet ex hoc unico argumento, quod impossibile *sit ut aliquid extensum cogitet.* Sanè, ut rectè à *Philosophis* observatum, *Cogitationis* nomine, illa omnia tantùm veniunt, quæ nobis consciis in nobis fiunt, quatenus eorum in nobis conscientia est; at concipi nequit, quomodo corpus ejusmodi actionum et passionum sit capax, quorum sibi sit conscium; nec enim alium motum in corporibus observamus, nisi localem; sed ejus non esse alium effectum, præter partium corporis separationem, figuræ variationem, et loci mutationem clarè concipimus. Profectò si quis corpus cogitare concipiat, ab ipso lubens peterem, utrum dentur cogitationes rotundæ, atque quadratæ, cæruleæ, aut alio colore tinctæ. 2. Animam hominis primi fuisse, et aliorum hominum esse immortalem probatur multis argumentis. 1. Probatur ex Scripturâ, tum ex loco Eccles. xii. 7. *Redit pulvis ad terram, spiritus verò redit ad Deum, qui eum dedit;* tum ex iis locis, ubi Paulus optat è *corpore excedere;* et ad *Deum ire, migrare ad Dominum et esse cum Christo*, Phil. i. 23. 2 Cor. v. 1. tum imprimis ex demonstratione Christi adversus Sadducæos; *Ego sum Deus Abrahami, Isaaci &c. Deus non est Deus mortuorum, sed viventium:* quæ demonstratio invictè probat immortalitatem animarum; si enim anima moreretur cum corpore, *Deus esset Deus mortuorum.* 2. Ita ratiocinamur. Si anima moreretur, id fieret, vel quia ejus partes à se invicem sejungerentur, vel quia semet ipsam destrueret, vel quia ab alio ente creato destrueretur, vel quia à Deo annihilaretur. Horum nullum dici potest; nam (1.) anima nullas habet partes, utpote spiritualis. (2.) Concipi nequit quomodo se ipsam destrueret anima, vel ab alia re creata destrueretur. (3.) Nullo argumento potest probari, Deum velle annihilare animam, imò probari potest, Deum nolle eam annihilare; nam cùm justitia Dei postulet,

ut bonis bonum, malis malum rependatur, et tamen sapientissimo Dei consilio id non semper fiat in hac vitâ; debet altera expectari necessariò, in quâ distributio illa pœnarum et præmiorum fiat. At hæc locum non haberet, si anima à Deo annihilaretur. Præterquàm quòd recentiores philosophi observant, nullo argumento aut exemplo posse doceri, aliquam substantiam in nihilum abire. Quibus addendum est omnem religionem pessum dari, si idem exitus pios et impios manet cum bestiis; rursus omnibus hominibus innatum esse immortalitatis desiderium, quod frustrà à numine inditum fuisse verisimile non est.

VIII. Hanc animæ immortalitatem saniores ethnici omnes agnoverunt, *Socrates*, *Plato*, *Cicero* &c. *Polites* quidam referente Lact. lib. vii. c. 13. consuluit Apollinem Milesium, utrumne maneat anima post mortem, an resolvatur, respondit his versibus Apollo:—

Ψυχή μεν μέχρι ὗ δεσμοῖς πρὸς σῶμα κρατῆται
Φθαρτὰ νοῦσα πάθη θνηταῖς ἀλγηδόσιν ἔικει.
Ἡνίκα δ' ἀνάλυσιν βροτέην μετὰ σῶμα μαρανθὲν
Ὠχίστην εὕρηται ἐς αἰθέρα πᾶσα φορεῖται
Αἴεν ἀγήραος ὗσα, μένει δ' ἐς πάμπαν ἀτειρὴς,
Πρωτόγονος γὰρ τοῦτο θεοῦ διέταξε προνοια.

Anima quidem, quamdiu vinculis corporis tenetur,
Caducas meditans passiones mortalibus doloribus cedit;
Cùm verò solutionem mortalem corpore arefacto
Levissimam invenerit, per æthera tota fertur
Nunquam senescens, manetque omnino illæsa,
Primogenita enim hoc Dei statuit Providentia.

IX. Quoad *tertium*, hominem scilicet fuisse *justitiâ illâ ornatum, quam originalem vocant theologi*, et quæ consistit in mentis lumine ac rectitudine, voluntatis sanctitate, sensuum et affectuum harmoniâ, atque ad bonum promptitudine; probatur 1. Quia quicquid Deus creavit bonum fuit, et quidem ea bonitate, quæ necessaria erat ad finem, ad quem singulæ res destinatæ fuerant. Jam autem quum homo destinatus fuerat ad gloriam Dei, ad ejus cognitionem et cultum, necessarium erat, ut cum tali bonitate crearetur, quæ ipsum, redderet capacem cognoscendi Dei, ejusque glorificandi. Talis igitur bonitas debuit complecti *sapientiam, sanctitatem et justitiam.* 2. Hoc confirmatur, ex Eccles. vii. 29. ubi dicit Eccles. *Deus fecit hominem rectum.*

3. Hoc evincitur ex eo quod conditus fuit, ut dominium exerceret in cæteras creaturas; at id præstare non potuit, nisi sapientiâ et sanctitate fuisset instructus.

X. De hac justitiâ observandum; 1. Hanc justitiam dici *naturalem*, quia homini concreata est, et quia ita necessaria erat ad hominis integri perfectionem, ut sine ea talis esse non potuisset. 2. Quum dicimus hominem sapientiâ fuisse instructum, non est credendum nos existimare fuisse *omniscium*; multa enim ignorasse nulli dubitamus; sed credimus hic duos vitandos scopulos; *alterum*, ne tantam rerum omnium cognitionem primo homini adscribamus, ut omnes scientias ipsi cognitas fuisse tueamur. Mira sunt quæ de scientiâ Adami tradunt scholastici, perinde ac ipsum docentem audivissent, aut aliquot ab eo scriptos evolvissent libros; *alterum*, ne eum inter stupidos et ignaros numeremus. *Medium* tenere debet orthodoxus, et credere eâ sapientiâ fuisse instructum, quæ necessaria erat in eo statu, in quo Deus eum collocaverat, et ad fuisse capacitatem ad scientiam ulteriorem acquirendam, per *ratiocinationem*, *experimentiam*, et *revelationem*. 3. Observandum non tali justitiâ fuisse præditum, quæ eum *impeccabilem* planè redderet, licèt eâ justitiâ eum ornatum fuisse putemus, per quam poterat non peccare.

XI. Quoad *quartum*, hominem fuisse immortalem non respectu animæ tantum, sed *totum hominem*, satis superque probatur hoc argumento, petito ex illis locis, ubi dicitur *per peccatum mortem ingressam esse in mundum*, Rom. v. 12. *mortem esse stipendium peccati*, Rom. vi. 23, et ex illo loco Gen. ii. 17. Gen. iii, 19. ubi Deus mortem in pœnam peccati interminatur. Verùm hic observandum hominem non fuisse immortalem, *eâ immortalitate*, quæ soli Deo competit, aut *eâ immortalitate*, quam beati in cœlis consequuntur, quæ erit absoluta moriendi impotentia, et ad quam conservandam cibis nullis opus erit. Nam fatemur hominem ratione materiæ terrestris ex quâ constabat, et qualitatum illi adhærentium in se habuisse moriendi possibilitatem, sed ideò immortalem dici, quia habebat potentiam non moriendi, nullum morbi principium, ac fomitem; et ab actuali morte, Dei beneficio, certissimam immunitatem, peccato non interveniente. Hoc docuit concilium Milevitanum, quod eos damnavit, qui dicerent Adam *primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, non peccati merito, sed naturæ necessitate.* Adde huic concilio hæc Prudentii, in ἀποθέωσι.

Quid mors hominis sine crimine posset?
Nimirum cassis conatibus et sine nervis
Concideret sterilis peccati fomite nullo
Mors alitur culpâ: culpam qui non habet, ipse
Pastus defectu mortem consumit inanem.

XII. Quoad *quintum*, homini concessum fuisse dominium in res creatas, patet ex ipsis Dei verbis; ad primos parentes, *multiplicamini, et implete terram, et subigite eam, et dominamini in pisces maris et in alites cœli* &c. Unde Adam omnibus animalibus sua imposuisse nomina legitur Gen. ii. 19. Quæ nomina, si Philoni fides, μητ' ἀσυνθ, μήτ' ἀναρμοστα, ἀλλὰ ἐμφαίνοντα ἰδιαίτατα τῶν ὑποκειμένων ἰδιότητας. ὡς ἅμα λεχθῆναί τε καὶ νοηθῆναι τὰς φύσεις αὐτῶν; *nec impropria, nec inconvenientia, sed disertè rerum proprietates exprimentia, ut ad primum vocabuli sonum, mox natura cujusque nosceretur.* At hîc notandum in tali dominio totam Dei imaginem comprehendi dici non posse. Nam imago Dei denotat, id quod Deo maximè simile est. At *justitia, sapientia, sanctitas* sunt lucidissimi imaginis Dei radii, sine quibus Adamus mundi dominium exercere non poterat.

CAPUT VI.

De Libero arbitrio Hominis in statu innocentiæ.

1. ANTEQUAM disseramus de libero hominis arbitrio, priùs videndum est, quid intelligamus per liberum arbitrium. Nihil autem aliud intelligimus, quàm *facultatem agendi quod lubet, præeunte judicio et consilio, ita ut à nullâ vi externâ determinari nos sentiamus.*

II. Huic libertati opponitur, tum *necessitas physica et naturalis*, quæ videtur in agentibus naturalibus ad unum naturâ suâ determinatis, ut necessitas ignis ad urendum, tum *necessitas coactionis*, quæ oritur ab agente externo; nihil conferente, imò renitente eo qui cogitur, ut si per vim adduceretur homo ad idolum, vel in carcerem; sed non opponitur huic libertati *necessitas illa dependentiæ*, per quam omnes creaturæ dependent à Deo, à quâ creatura rationalis eximi non potest; aut *necessitas illa rationalis*, quæ oritur ex mentis nostræ judicio, verbi gratiâ quando

necessariò amplector quod mihi summum bonum videtur: nam etsi necessariò illud præstem, non minùs liberè id fit.

III. Ut aliquod ens igitur dicatur *liberum*, sufficit ut agat *sponte* et *cum judicio*, et hoc evidenter patet ex eo quod Deus sit Ens liberrimum, et tamen necessariò determinetur ad bonum; idem dicitur de *angelis* et de *beatis*.

IV. *Libertas* itaque non consistit in *indifferentiâ*, nam si in merâ indifferentiâ consisteret, Deus minimè liber esset, et homo quo magis determinaretur ad bonum, id est quò perfectior evaderet, eò minus liber foret, quod absurdum est. Illud confirmatur hâc observatione; volumus omnes summum bonum et ultimum finem maximâ cum libertate, quis enim ad illud spontè non feratur? et illud volumus cum judicio. At illud non fit sine magnâ et ineluctabili necessitate, nec ad id indifferenter nos habemus; cum nemo sit qui velit esse miser, aut qui velit malum sub ratione mali. Libertas igitur non consistit in indifferentiâ.

V. Ex dictis facilè est conjicere *liberum arbitrium* habuisse *Adamum;* et hæc libertas est essèntialis proprietas creaturæ rationalis; impossibile enim est, ut concipiamus creaturam rationalem, quin ei tribuamus facultatem agendi quodlibet præeunte mentis judicio; imò *agere ex ratione, est semper agere liberè.*

VI. Rursus inde patet, in quo sita fuerit Adami libertas; non sanè in *independentiâ*, quasi sui juris fuerit, à nullo dependens, nam ut creatura, à Creatore suo, et ab ejus nutu debuit semper pendere; sed in eo quod agebat *sponte, à nullo ente externo coactus, et quidem cum judicio.*

VII. Minimè igitur constituenda est Adami libertas in *indifferentiâ*, quasi ejus voluntas ponderibus librata suis æquali ad bonum et malum propensione sustineretur, nam hæc *indifferentia* esset peccatum, et si eam habuisset Adamus ab initio, ab initio fuisset corruptus, siquidem absque peccato non possumus esse æquè ad malum ac ad bonum propensi; at dicere Adamum à Deo corruptum creatum fuisse, est Deum peccati auctorem constituere, quod impium est.

VIII. *Mutabilem* tamen fuisse Adamum negare non possumus; in eo enim statu positus fuit, ut posset stare et cadere, peccare, et non peccare; sed hæc mutabilitas *libertas* dici nequit; tam illustri elogio cohonestari non meretur, sed fuit libertatis Adami appendix, quæ ita propria illi fuit, ut in nullo homine fuerit amplius.

IX. Non confundenda igitur est hæc mutabilitas cum

indifferentiâ, nam aliquis potest in eo statu collocari, ut possit *peccare et non peccare*, etsi sanctus semper maneat, et absque ullâ corruptione; sed nemo potest dici *indifferens ad bonum et ad malum*, quin sit corruptus.

CAPUT VII.

De Fœdere Naturæ.

I. HOMINEM à Deo creatum fuisse ad imaginem suam evicimus; cum illo fœdus inivisse Deum nulli dubitamus, quamvis non expressè illud insinuet Scriptura, nisi eò velimus referre locum Hos. vi. 7. ubi de Israëlitis dicitur, *ipsos sicut Adam violasse fœdus*, quæ verba tamen aliter exponi possunt.

II. Fœdus ab Hebræis dicitur ברית; quæ vox deducitur, vel à ברא, quod in pihel significat *succidere*, quia olim scindebantur animalia, quum fœdera pangebantur, et solebant inter dimidiatas dissectæ victimæ partes medii transire fœdus ineuntes; vel à ברא, quod non solùm creare, sed ordinare significat; eodem modo ac κτίζειν apud Judæos Hellenistas: unde Petrus ἐξουσίαν ab hominibus constitutam ἀνθρωπίνην κτίσιν vocat I Pet. ii. 13. Vel à ברה eligere. Perinde nobis est, quam etymologiam sequaris; sed observemus vocem ברית aliquando sumi pro immutabili statuto de quacunque re; ut Jer. xxxiii 20; at propriè denotat *mutuam partium de re quapiam conventionem.*

III. Græci utuntur voce διαθήκης, quæ vox modo notat *testamentum;* ut Heb. ix. 15. et ut pluribus ex Isocrate, Æschine, Demosthene, aliisque probat Budæus in comment. ling. Græcæ; modo *legem;* ita, observante Grotio, *Orphici* et *Pythagoristæ* præscriptas gregi suo vivendi normas διαθήκας vocabant; frequenter *sponsionem*, *pactumque* denotat, unde Hesychius per συνωμοσίαν explicat.

IV. Reverà fœdus inter Deum et hominem, si strictè loqui velimus, intercedere non potest, tum quia nulla datur inter Deum et hominem proportio, et inter bona Dei et hominis officium; tum quia homo absque ullo pacto ad obsequium Deo præstandum tenetur; tum quia homo ad id nihil ex se conferre potest; tum quia Deus nihil creaturæ suæ debet, et eâ nullatenus indiget. Verùm Deus suâ solâ benignitate impulsus voluit creaturam sibi jam subditam, et

omnia debentem, inito fœdere ad sui communionem invitare, et isto amoris et mutuæ obligationis nexu potentiùs allicere.

V. In isto fœdere considerandum est, 1. Quænam fuerint partes contrahentes. 2. Quodnam fuerit ipsum pactum. Quoad partes contrahentes sunt *Deus* et *homo*, Deus qua *Creator* et *Dominus*, qui, cùm sit Ens sapientissimum, non potest suam creaturam susque deque habere; qui eam regere nequit, nisi congruenter naturæ suæ, ac per legum idonearum positionem, quique non potest non creaturam suo officio defungentem amare et remunerari. *Homo* qua *justus*, qui proinde vires habuit officium præscriptum præstandi, et quà *primus homo*, qui universum genus humanum ex ipso nasciturum repræsentabat; ac ut caput et princeps humanæ stirpis.

VI. Quoad *pactum*, observandum hic, 1. Quale officium exactum fuit à Deo. 2. Quid promissum exequenti officium. 3. Quid interminatum negligenti. Quoad *officium* præscriptum, situm fuit (1.) In *cognitione* Dei, quanta maxima, tum ex operum divinorum contemplatione, tum ex revelatione, hauriri potuit, et comparari à mente integrâ. (2.) In *obedientiâ* Dei *legi*, tum *legi naturali*, quæ in corde insculpta erat, tum *mandatis peculiaribus*, quæ à Deo injungi poterant; quale fuit mandatum, quo abstinere à fructu arboris scientiæ boni et mali jussit Deus; et quidem talis *obedientia* requirebatur, quæ fuisset *vera* et *sincera*, non ad *quædam* tantùm Dei præscripta, sed ad *singula; constans* et usque ad finem *perseverans; perfecta* et omnibus numeris absoluta: ad hanc autem obedientiam præstandam, satis virium à Deo creante acceperat.

VII. Quoad *comminationem* negligenti tale obsequium, legitur Gen. ii. 17. *Qua die de arbore illa comederis, morte morieris.* Per *mortem* autem intelligitur, 1. *Mors corporis, reditus in pulverem*, Gen. iii. 15. cum vitæ miseriis et calamitatibus, quæ mortis præcedanea sunt. 2. *Mors animæ*, sive separatio ejus à Deo, et ejus communione, de qua morte sæpè loquitur Scriptura, ut Eph. ii. 1. et alibi. 3. *Mors æterna*, quæ in dirissimis cruciatibus, cùm animæ, tùm corporis consistit.

VIII. Quoad *promissionem*, etsi expresse non legatur, satis colligitur ex opposita comminatione mortis; quamvis enim Deus nihil debeat creaturæ suæ, tamen quandoquidem tota Scriptura nobis illum describit, ut tardum ad iram, ac multum misericordiâ, non est verosimile, nec

credibile, Deum poenas æternas homini interminatum fuisse, nihil verò spopondisse. Dignum est Deo, creaturæ sanctæ se communicare, non enim potest eam non amare; amantis autem est benefacere amato, eique se fruendum præbere. Quòd si quis miretur, cur Deus de pœna tantùm loquatur, de præmio verò sileat; illi dicere possemus, id fortè factum; quia Adamo innocenti opus fuit distinctam fieri mentionem et *peccati vetiti* et *mortis*, siquidem in statu integro et *peccatum* et *mortem* ignorabat; nec necesse erat fieri mentionem vitæ, quâ donandus erat, si bene agere perrexisset, nam vitâ suavissimâ jam fruebatur, unde de vita futura judicare facillimè poterat.

IX. Judicandum est igitur de *præmio* ex *pœna*, et ut *pœna* complectitur omnia mala, et mortem æternam imprimis; præmium omnia bona comprehendit, præsertim vitam æternam, et arctissmam cum Deo communionen cum immutabili sanctitate. Illud confirmatur ex eo quòd fœdus naturæ idem est cum fœdere operum; ut in sequentibus videbimus. At fœdus operum pollicebatur vitam æternam, *fac hoc et vives*.

X. Eadem vita fruiturum fuisse Adamum si perseverasset, quâ jam fruebatur, credere non possumus; longè enim verosimilius, majus quid et melius Deum Adamo pollicitum fuisse post consummatum obedientiæ cursum, quam quod modo possidebat; sic enim nullo præmio donasset, quod Deo parùm dignum foret; quamvis nihil creaturæ debeat.

XI. Fœdus illud vocatur fœdus *naturale*, quia in natura hominis, prout primùm à Deo condita est, et in illius viribus, fundatur, sed etiam dicitur fœdus *legale*, quia conditio ex parte hominis præscripta, fuit observatio legis naturæ, et *fœdus operum*, quia operibus ab Adamo præstandis nitebatur.

XII. Mediatorem non habuit istud fœdus, siquidem homo consideratur hîc ut *justus*, at mediatore non egent peccati expertes.

XIII. Verum ut in omni fœdere externa quædam symbola locum habere solent, quæ fœderatos officii monent, ipsisque promissi fœderis ob oculos ponunt; ita quoque in primo fœdere Deo cum hominibus agere placuit, et visibile illud signum, quo eorum fidem firmare voluit, fuit *Arbor vitæ*. quæ in medio Paradiso, ubi Adamum collocaverat Deus, conspiciebatur.

XIV. De *Paradiso* (vox est Persicæ originis.) hîc plura dicere animus non est, in quo loco terrarum fuerit, an in

Palæstinâ, aut vicina Damascena, an verò in aliquâ Australis Mesopotamiæ aut Babyloniæ parte collocandus sit; quis fuerit Paradisi ambitus, quæ capacitas, quis fuerit præcisè Pischonis, quis Gihonis alveus. Hæc sufficiat nosse, I. Hunc Paradisum non ampliùs superesse, quamvis incertum quid vastitatem et squalorem Paradiso huic induxerit. An ignis cœlitus missus, an culturæ neglectus, homine inde ejecto, an aquæ diluvii, an illa junctim omnia. II. Paradisi vulgatam apud gentiles famam fuisse; quid enim apud Homerum *hortus Alcinoi?* in Platonis symposio *Jovis hortus*, Διὸς κῆπος? Quid *Hesperidum horti?* quibus antiquitatem nihil magis admiratam esse scribit Plinius hist. nat. lib. xix, et forte ex Heden עדן descendit Græcorum ἥδονὴ, et poëtarum Adonis, quamvis alia origo huic voci tribui possit. III. Duas in hoc Paradiso fuisse celebres arbores 1. *Arborem vitæ*, quæ ita vocabatur, quia erat symbolum vitæ á Deo acceptæ, et vitæ beatæ accipiendæ, ac in cœlo transigendæ; non vero quia vim haberet homines vivificandi, et omnimodam immortalitatem conferendi, instar *ambrosiæ*, quâ Dii paganorum vesci fingebantur; quamvis non negemus fructum ejus fuisse optimum et efficacissimum vitæ conservandæ alimentum. An arbor illa Christum in Paradiso adumbrarit, disquiritur. Hoc certum, Christum esse veram arborem vitæ á quâ vitam cœlestem haurimus; quæ est in medio Ecclesiæ, ut arbor vitæ in medio Paradisi videbatur; quæ copiosissimos fert fructus, qui duodecim Israëlis tribubus sufficiunt, id est omnibus Ecclesiæ membris, quæque singulis anni mensibus, id est, perpetuò illos fert fructus, ac cujus folia semper virentia ad gentium sanitatem destinata sunt. 2. *Arborem scientiæ boni et mali*, ita dictam, non sanè quòd ejus fructus mirificam vim scientiam ingenerandi vel augendi haberet; non etiam propter Satanæ nomenclationem; sed ab eventu, quatenus ex ejus esu homo revera expertus erat, quid bonum et malum esset; quantum bonum amisisset, quantum malum sibi accersisset. Quænam fuerit illa *arbor*, an *ficus*, an *malum*, an alia, indagare curiosum nimis; nec etiam admodum necesse quærere, utrùm illa arbor fuerit sacramentum, necne: alii *negant*, et quidem (1.) Quia sacramenta ad usum data sunt, at arboris illius usus homini prohibitus est. (2.) Quia sacramenta sunt signa benedictionis, quam obsignant; at hujus arboris usus maledictionem intulit. Alii asserunt, et quidem (1.) Quia inquiunt, quorumdam sacramentorum usus consistit in contemplatione, ut Iris. (2.) Quia non alienum esse censent à sacramentorum naturâ, ut mortem non rectè utentibus obsignent.

THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ

LIBER QUINTUS.

De Decreto permittendi lapsum; ac de lapsu Angelorum et hominum.

CAPUT PRIMUM.

De Decreto permittendi lapsum; et de lapsu Angelorum.

I. DECRETO de condendis Angelis atque hominibus, succedit decretum de eorum permittendo lapsu. Cùm enim nihil in mundo contingat, inscio et invito Deo; absurdum esset credere quosdam ex angelis, hominemque primâ illâ, in qua creati fuerant, integritate excidisse, ignorante, vel non permittente rerum omnium arbitro. Existimamus igitur Deum eodem illo actu, quo decreverit angelos et homines creare, simul decrevisse permittere, ut libertate agendi ipsis concessa uterentur vel abuterentur; quomodo autem abusi sint, jam in hoc libro investigandum, ac primò de lapsu angelorum verba facienda.

II. Omnes angelos à Deo creatos fuisse sanctos et innocentes, in superiori libro notatum, ne quis suspicetur nonnullos creatos cum ea pravitate, quam postea acquisiverunt; sic enim Deus auctor peccati supponeretur, quòd cogitare impium foret.

III. Verum etsi omnes à Deo creati sancti, non omnes tamen in eo statu permansisse docent hæc loca Scripturæ, Joh. viii. 44. *Diabolus homicida erat ab initio, et in veritate non stetit.* Jud. vers. 6. *Angelos item, qui suam originem non servaverunt, sed proprium habitaculum deseruerunt, ad judicium magnæ diei vinculis æternis in tenebris servat* Orbem fere universum pervagata est notitia lapsus angelorum; feruntur memorabiles Empedoclis versus, quibus ex æthere in Pontum corruisse *dæmones*, et scelerum pœnas dare cecinit. Detrusi Gigantes in Tartara hoc docuerunt, et Ate de cœlo dejecta.

IV. Vocantur illi angeli lapsi, *Dæmones, spiritus mali, immundi, mendaces, spirituales malitiæ, et angeli tenebrarum*, Deut. xxxii. 17. Ps. cvi. 36. vocantur שדים, Rabbini reddunt מזיקין, *noxios, nocentes;* alii deducunt à שד, mamma, quia diabolorum hoc genus, ut inquiunt, longis et ad terram propendulis mammis pingebatur. Ut Diana Ephesiorum ἱκατόμαστος, iis assignatur princeps, qui vocatur *Beelzebul*, Matth. x. 25. quasi dicas Dominum idololatriæ; nam inter probrosa nomina ab Hebræis indita idolis, etiam est זבול *stercus, stercorarium.* Vocatur et *Beelzebub*, Matth. xii. 24. Ut Deus Accaronitarum 2 Reg. i. 2. Græcis Μύαγρος. Dicitur quoque πονηρὸς, *malus*, Matth. vi. 13. *Satanas* Job. i. 6. *Diabolus* 1 Pet. v. 8. fidelium κατήγορος, accusator, Apoc. xii. 10. *imperator mortis*, Heb. ii 14. *princeps hujus mundi*, Joh. xii. 31. *Deus hujus seculi*, 2 Cor. iv. 6. *draco magnus, serpens antiquus*, Apoc. xii. 9. Rabbinis antiquis *Sammael*, dictus, quasi סר מאל, deficiens à Deo, *angelus mortis.* Nullibi dicitur *Lucifer filius auroræ.* Locus enim Isaiæ cap. xiv. 12. non de diabolo loquitur, sed de rege Babylonico; eodem modo Ezech. xxviii. 14. rex Tyri vocatur כרוב, *cherub.*

V. De *tempore*, quo peccaverint, nihil certi dici potest; non verosimile, statim post primum creationis instans peccasse. Sed non longam fuisse moram, credibile. Hoc saltem certum est, ante hominem lapsos fuisse angelos.

VI. Lapsorum angelorum numerum, dubio procul maximum, definire velle, ut voluerunt Scholastici, abusi loco Apoc. xii. 4. aliique veteres, temerarium, ne quid duriùs dicam, est.

VII. De *peccato* ipsorum, nihil etiam asserere possumus. Auctor libri Sapientiæ dicit diabolum *invidiâ* adversus hominem fuisse commotum; causa autem hujus invidiæ creditur fuisse hæc, quòd scilicet Deus homini dominium in cæteras creaturas, totumque universum contulerat, non angelis. Alii *superbiâ* lapsum asserunt, quam Paulus vocat κρίμα του διαβόλου, *causam judicii diaboli.* Unde olim et nunc divinos honores affectarunt et affectant dæmones. Qualis autem fuerit hujus *superbiæ* species, contenditur, an *affectatio divinitatis*, an *rebellio adversus Filium Dei.* Reperti sunt, qui scortationem ipsis tribuerunt, malè intellecto loco Gen. vi. 2. In hisce præstat ἐπέχειν, silente Scriptura. Verosimile est, quod *incogitantia*, et *minor attentio* ad naturam Dei, ac officia, ad quæ obligabantur, *superbiam* in eis præcessit, et per eam incogitantiam acci-

dit, ut angelus factus ad Deum contemplandum remissior, cœperit aciem intellectus à Deo ad se ipsum convertere, et se ipsum *admirari*, ex *admiratione* verò et nimio sui amore *superbire*, quam *superbiam* statim *rebellio* consecuta est.

VIII. Angeli illi mali, Dei gloriam omnibus modis, sed irrito conatu obscurare tentant, ac saluti hominum plurimùm adversantur; et Deus ipsis frœna aliquando laxat, tum in *pœnam reproborum*, tum ad exercendos pios, ut de Jobo observatum, Job i. tum ad eos à peccato aliquando præservandos, ita Paulo datus est *Angelus Satanæ, ne se magnitudine revelationum extolleret*, 2 Cor. xii. 7.

IX. Homines tentare ad peccatum dubitare non patiuntur loca Scripturæ, 1 Pet. v. 8. 2 Cor. xi. 3. imò *operari in filiis rebellionis*, Eph. ii. 2. et *eorum cor replere*, Act. v. 3. Joh. xiii. 2. Semper in excubiis sunt, ut cognoscant ad quem affectum maximè propendeat homo; è longinquo plerumque ad suos fines tendunt, et longo sæpe circuitu ad eos perveniunt.

X. Verùm sequentia hîc annotanda; 1. Non infinitam esse eorum potestatem, sed certis limitibus circumscriptam; *Dixit Dominus Satanæ; ecce quicquid ejus est* (Jobi), *in manu tua sit, tantùm in ipsum ne mittas manum tuam*; ideo Matth. viii. 31, 32. *Dæmones precabantur Jesum, dicentes, si ejicis nos, permitte nobis abire in gregem porcorum illorum.* 2. Futura contingentia ipsis nota non esse, hæc enim est Dei veri perfectio. Quod si quædam revelaverunt, ut ex nonnullis oraculis colligunt nonnulli, (de quibus tamen dubitare licet) illud factum, vel quia *illud furati sunt ex occultis prophetarum*, vel quia *velocitate occuparunt indicium rerum longinquarum*, vel quia ex *causis naturalibus præsignificabant, quæ fierent*, ut observat Tertul. vel dicendum, revelasse, quæ divinitus ipsis permissa exequenda erant. 3. Difficile est definire, quomodo Satanas agat in corpus, et in animam nostram, et vix capi potest; ut et quomodo producere possit ea, quæ vulgo ipsi tribuuntur, ut tempestates ciere; excitare tonitrua, fulmina ejaculari, terram in profundas dehiscentem voragines diffindere, aliaque plura. 4. Non existimandum est, Satanam hominis voluntatem pro lubitu ad malum impellere posse; voluntas enim hominis, gratiâ Dei adjuta, resistere facilè potest. 5. Non omnia hominum peccata diabolo auctori adscribenda. Satis enim ad ea perpetranda homo sibi sufficit. 6. Tandem observandum est unicam averruncandi mali spiritus viam esse, se pietate, fide ac jugi oratione

munire, praxi virtutum Christianarum incumbere, ac de Dei auxilio benè sperare. Eph. vi. Interea dæmonum exemplum docet ἀδύνατα *creaturarum*, cùm sibi relinquuntur, et *Dei summam potestatem ac libertatem.*

CAPUT II.

De Lapsu primorum Parentum.

I. FELICEM primi hominis statum in integritate viventis, ac Dei benevolentiâ fruentis, superiori libro descripsimus. Perpetua non fuit ejus felicitas; felicissimus homo brevi tempore miser et infelix fuit, quando ex integro factus est peccator: hujus tristissimi lapsus historiam enarrare necesse est.

II. Ut id fiat, observandum est, Deum homini creato legem præscripsisse de non comedendo fructu ex arbore scientiæ boni, et mali, Gen. ii. 16, 17. tum ut hominis obedientiam probaret, tum ut sese Dominum hominis esse ostenderet, et homo sese Deo subjectum subditumque esse intelligeret, idque actu aliquo obedientiæ, (quod certo recognitionis symbolo præstare vassalli solent) profiteretur.

III. Hanc legem etsi facilem, et unico interdicto constantem, violavit homo sui officii immemor. Quamdiu steterit homo, et quo tempore lapsus sit, inquirere nihil attinet, cùm absque crimine hoc ignorari queat. Quidam ei triginta tres integritatis annos assignant, quot in carne Christus annos insumsit. Alii quadragesima die à sua creatione lapsum dixerunt. Sunt qui citius. Nonnulli asserere ausi sunt Adamum horâ nonâ matutinâ creatum, horâ primâ pomeridianâ cecidisse, horâ tertiâ è Paradiso ejectum, alii sexto die; incerta omnia.

IV. Ad peccatum impulit diabolus, humanæ felicitati, divinæque gloriæ invidens, et ut sui voti compos evaderet, atque ad peccandum protoplastos impelleret, sub *serpente* omnium animalium callidissimo latere voluit.

V. *Verum serpentem* hic adfuisse, *Mosis* verba docent, serpentis ut astutissimi animalis descriptio, et ei à Deo in seductionis memoriam inflicta pœna: sed diabolum illo serpente locutum probatur, non modo ex eo quod per serpentem loqui non nisi spiritus, neque falsa loqui, nisi spiritus malus potuerit, sed et ex iis locis, in quibus *homicida ab initio dicitur diabolus*, Joh. viii. 44. *Serpens antiquus et*

draco, Apoc. xii. 9. et xx. 2. Unde Paulus ab eodem serpente, qui Evam caliditate suâ seduxit, sese Corinthiis metuere dicit, ne mentes ipsorum à simplicitate, quæ in Christo est, avertat 2 Cor. xi. 5. Equidem Moses diaboli non meminit, quia historicum agebat, non interpretem; rem refert prout gesta est, mysterium non aperit. Hoc rectè intellexerunt illi Judæi, qui Sammaelem angelum mortis super serpentem equitasse fabulati sunt. Nec hoc ignotum ethnicis. Pherecides Syrus *Ophioneum*, sive *Serpentinum* vocat demonum de cœlo à Jove deturbatorum ducem. Hinc etiam natus, per interpolatam historiam draco ille vigil, in Hesperidum hortis aureorum malorum custos apud poetas decantatus. Pertinet huc, quòd in antiquissimis Græcorum mysteriis *serpens* demonstratus, et ostentui habitus.

VI. Hæc itaque prima diaboli ars fuit, sub veri serpentis exuviis latere, nec magis mirum videri debet per hoc animal humana verba sonuisse, quam quod asinam Balaamo locutam legimus. Non igitur necesse est, ut cum Josepho credamus, naturalem serpenti fuisse; quod credidit tamen Basilius; ante illos Plato in Politico tradiderat seculo aureo, cum rerum Saturnus potiretur, etiam cum bestiis hominem miscuisse colloquia. Sub specie ergo serpentis adortus est diabolus Evam; nec miram est, si Eva non obstupuit, quum serpentem loquentem audivit, quia circa has res nullum habebat experimentum.

VII. Aggressus callidus tentator Evam, absente marito, ac primùm ita aggressus est, *Etiamne*, inquit, *dixit Deus, non comedetis de omni ligno horti;* quasi dixisset: an probabile est, Deum qui vobis omnium rerum dominium concessit, fructuum arborum horti esum prohibuisse; de ipso hoc cogitare impium. Statim non criminatur Dei interdictum de non comedendo arboris fructu, quod Evæ non placuisset, sed primùm quasi esset planè ignarus, petit, annon verum esset, Deum arborum omnium usum vetuisse: at quia respondit mulier, Deum tantùm fructum arboris, quæ in medio horto erat, interdixisse; ad comminationem præcepto additam pergit Satanas, ac elevare nisus est, *Non moriemini*, inquit; quis enim crederet arborem cæteris præstantiorem, et in amœno horto collocatam, mortiferam esse: sic interdictum Dei in dubium revocare videri vult, quasi Adamus, Dei præceptum Evæ mala fide recitasset; vel serium non esse contendit. *Non moriemini*, ait: verum ne ullus scrupulus Evæ superesset, subjecit tertio loco, quòd hæc arbor, scientiam conferendi facultate prædita esset

tantâ, ut Deo pares evaderent; et hoc à Deo non ignorari, novit, inquit, *Deus, qua die comederitis ex eo apertum iri oculos vestros, et vos fore sicut Deum scientes boni et mali;* non amplius itaque esse hærendum concludit, speciosum fructum esse nullo custode ultrò expositum.

VIII. Huic tentationi succubuit mulier, et conspectæ arboris fructum decerpens comedit; atque Adamum maritum suum in peccati consortium traxit. Scire non refert, quibus rationibus usa fuerit; an colloquium tentatoris recitaverit Eva; an vero præ amore summo, quo conjugem diligebat, lapsus sit Adamus; hoc certum est, eum fructum vetitum comedisse. Quòd si Paulus 1 Tim. ii. 14. *Adamum non deceptum fuisse* dicat, liquet sensum esse, non *deceptum priorem*, et à serpente, sed non minùs peccasse constat. Imò nonnullis placet gravius peccasse, siquidem non viso hoste succubuit, solis uxoris blanditiis pellectus; quam tamen sapientiâ suâ regere debuerat.

IX. Hîc variæ quæstiones moventur, paucis resolvendæ. *Primò*, quodnam fuerit primi peccati initium, quæritur? Cui respondemus, forte id ita contigisse, primò Evam dubitasse, an rectè intellexisset mentem Dei prohibentis fructum arboris. Postea cùm debuisset os Dei consulere super hac re, credidisse diabolo dicenti eos non morituros; deinde titillatam fuisse vanâ spe, quâ lactabat Satanas, omnia sciendi, ac Deo similem evadendi; tandem ad fructum manum porrexisse; vel dici potest *inconsiderantiam*, et divini præcepti inadvertentiam esse peccati initium; si enim ad illud semper mentem applicuisset, tentatori haudquaquam aures præbuisset, et ex hac incogitantiâ fluxisse *incredulitatem*, per quam homo primùm de verbo Dei dubitare cœpit, verbis diaboli plus nimio auscultans.

Secundo quæritur, quænam fuerit causa lapsus Adami. Respondeo, hanc causam, nec in Deo, nec in diabolo, nec in ipsa arbore, quærendam esse; non in *Deo*, nam nec suasione ulla circa hominem usus est, nec imperio; imò expressè vetuit, atque interdixit esum fructus; hominem sanctum et integrum creaverat, viresque sufficientes ad sua implenda mandata dederat, nec ullam gratiam internam antea datam subtraxerat. Non in *diabolo*, sola enim suasione circa hominem usus est, nec ejus rationibus vis ineluctabilis inerat, siquidem adversus expressum Dei mandatum loquebatur: *Non diabolus hominem cepisset, nisi jam ille sibi placere cœpisset;* ait August. lib. xiv. de Civ. D. cap. 13. Non in *arbore*, nec enim pulchritudo fructus, nec

scientiæ *desiderium*, præcepto divino præponderare debebat: sola igitur libera hominis voluntas transgressionis causa fuit, spontaneo motu sese ipsum determinans ad objectum vetitum à mente seducta propositum: nulla re *de arce dominandi, rectoque ordine mens deponi potest, nisi voluntate*, ait idem Præsul.

Tertiò quæritur, quomodo fieri potuerit, ut homo integer et sanctus lapsus sit. Respondeo, id mirum non videri debere; quamvis enim sanctus et justus conditus fuerit, non ita tamen perfecta et confirmata fuit ejus sanctitas, quin potuerit ab ea deficere: sanctus et justus conditus erat, sed mutabilis, ut posset quidem stare, si vellet, sed posset etiam, si vellet, ad malum deficere; non magis igitur mirandum, si homo mutabilis mutatus sit, quàm si homo perfectè quiescens moveri incipiat. Quòd si quæras, cur Deus hominem mutabilem fecerit; quære etiam cur hominem creaverit, non Deum. Verùm causa, cur homo adeò faciles diabolo seducenti aures præbuerit, videtur esse naturalis hominis appetitus ad boni, quo caret, possessionem consequendam.

Quartò quæritur, quomodo Deus concurrerit in hoc lapsu, aut quid præstiterit; respondeo, hîc silentium tenere longè satiùs esse quàm multa loqui, tacente planè Scripturâ. Hæc certa tamen, 1. Deum non impulisse hominem ad peccandum, nec Satanam ad tentandum; absit ut hoc de Deo sancto cogitemus. 2. Non subtraxisse Adamo gratiam datam, tum quia talis *subtractio* pœna fuisset; at pœnæ locus non est, ubi nulla præcesserat culpa; tum quia, si Deus subtraxisset gratiam datam, videretur compulisse hominem ad peccandum, ut quum subductis columnis domus necessariò corruit. 3. Deum hunc præscivisse lapsum, aliàs infinita ejus scientia dici non posset. 4. Deum decrevisse hunc lapsum permittere. Nam si non decrevisset permittere, non potuisset certò præsciri, quia natura hominis mutabilis non potuit fundare certam præscientiam. Ac revera, si ne passer quidem cadit in terram sine voluntate Patris, quis putaret casum hunc, qui totum naturæ ordinem perturbavit, Deo vel inscio vel invito contigisse? 5. Habenas laxasse Satanæ, ut adoriretur hominem. 6. Occasionem præbuisse diabolo Adamum aggrediendi, prohibendo esum arboris pulchræ, quæ tamen prohibitio non causa fuit per se seductionis diaboli. 7. Deum non impediisse, quominus Satanæ tentationi succumberet Adamus. 8. Non addidisse gratiam novam majorem gratiæ datæ. 9. Non eam negasse Adamo petenti, nihil enim Adamus petiit.

10. Conservasse hominis facultates. Quid ulterius præstiterit, non inquirendum, in hisce rebus ἐποχὴ præstat, ac suam fateri ignorantiam, quàm non sobriè loqui. Sed observamus modum, quo Deus versatus est sanctissimum esse, ita ut nulla vel minima peccati labes ipsi adscribi possit. Non quia *præscivit*, quia præscientia non est rerum causa; non quia *decrevit*, quia decrevit quidem permittere, sed non efficere; non quia tentationem permisit, nam nec tentandi voluntatem diabolo inspiravit, nec approbavit; non quia *hominem mutabilem condidit*, nam etsi mutabilem fecit, non fecit tamen malum; non quia *novam gratiam non addidit*, nam absque illa gratia poterat subsistere, et ad eam dandam nulla lege tenebatur Deus; non quia *arboris esum vetuerat*, nam poterat facillimè ab hoc esu abstinere homo.

X. Si quis ulterius petat, cur Deus tentari permiserit hominem, quem tentationi consensurum esse præsciebat; cum Augustino me altitudinem ejus consilii penetrare non posse, et longè supra meas vires esse confitebor. Addam tantùm gravissimum fuisse peccatum Adami, fuit enim inordinata fructus concupiscentia, fuit affectatio æqualitatis cum Deo, fuit contumacia adversus supremum Dominum; fuit summum ingrati animi vitium; uxorii animi non digna viro demissio, Paradisi profanatio, ipsius Dei contemptus.

XI. Gravitas peccati patet 1. Ex consideratione peccantis personæ; quæ tot beneficiis à Deo mactata, tot dotibus instructa, nullos peccandi stimulos patiebatur. 2. Ex consideratione temporis, quo peccavit; vix enim è manibus Dei egressus erat, aut saltem haud longa mora. 3. Ex consideratione peccati, quod facilè evitari poterat in tanta rerum copia. Rectè Aug. lib. xiv. de civitate Dei, cap. xv. *Quisquis damnationem Adæ, vel nimiam vel injustam putat, metiri profecto nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas; sicut ergo Abrahæ non immeritò magna obedientia prædicatur, quia, ut occideret filium, res difficillima est imperata. Ita et in Paradiso, tanto major inobedientia fuit, quanto id, quod præceptum est, nullius difficultatis fuit.* Atque hæc sufficiant.

CAPUT III.

Quid sit Peccatum.

I. De lapsu primorum parentem diximus, sic data porta peccatum in mundum introiit. Rom. v. 12.

II. Variis nominibus, tum apud Hebræos tum apud Græcos exprimitur, quæ suam peculiarem habent emphasim, et quæ licèt omnia peccatum notent, sub alia tamen atque alia σχέσει illud designant. Hebraicè dicitur חטאה à חטא, *erravit à scopo*, Jud. xx. 16. פשע, *defectio*, Exod. xxiv. 7. עון, *perversitas*, Psal. xlix. 5. עברה, *transgressio*, Hos. vi. 7. מרד, et מרי, *rebellio*, Jos. xxii. 22. בגד, *perfidia*, Is. xxiv. 16. מעל, *prævaricatio*, Num. v. 27. &c. Græcè dicitur, ἁμαρτία, ἀνομία, παράπτωμα, παράβασις, ἀδικία, πλημμέλεια, ἀποστασία, ἀσέβεια, ἥττημα, ὀφειλήματα, κακία, πονηρία.

III. Ejus naturam docet Johannes, quum dicit, 1 Joh. iii. 4. ἡ ἁμαρτία ἐστιν ἡ ἀνομία, *peccatum est discrepantia à lege.*

IV. Per legem hîc sola lex Dei intelligitur, qui est unicus ille *legislator, qui potest servare et perdere.* Jac. iv. 12. Leges enim humanæ non obligant conscientiam per se, sed tantùm ob legem Dei, secundum quam tenemur, obsequi superioribus nostris, unde tantùm iis parere debemus, quando non præcipiunt contraria legi Dei. Actor. iv. 9.

V. Quandoquidem autem lex Dei quædam præcipit, alia prohibet, ab ea discrepamus, tum *omittendo* quæ præcipit, tum *committendo* quæ prohibet; et hæc peccata dicuntur *omissionis*, et *commissionis*, de quibus in sequentibus paulò distinctius dicemus. Rursus cùm Lex omnem sanctitatem et rectitudinem exigat, ab ea discrepamus, quum caremus eâ sanctitate, et quum ad malum aliqua propensione ferimur.

VI. Peccati igitur essentia consistit in *discrepantiâ à lege*, et est *privatio rectitudinis*, quæ deberet inesse creaturæ rationali secundum præscriptum legis. Hinc ut dignoscamus, an aliquid sit peccatum, investigandum est, num à lege discrepet, nec aliud requiritur. 1. Non requiritur ergò semper, ut sit voluntarium, hoc est ut fiat scienter, ex consilio, quod patebit ex dicendis de peccato originali. 2. Non requiritur etiam propositum faciendi malum, quâ malum, et quâ à Deo vetitum. 3. Non requiritur quoque, ut actio ob malum finem suscipiatur, quamvis iste malus finis peccati gravitatem augeat.

VII. Verum ex eo, quod dixi peccatum esse *privationem rectitudinis*, non est concludendum esse meram *privationem*, ut mors est vitæ privatio, peccatum enim non modo privationem dicit justitiæ aut rectitudinis, quam lex exigit, sed etiam pravam qualitatem rectitudini illi oppositam denotat; eodem enim modo judicandum de malis animæ, ac de morbis corporis; ut autem morbus physicus non est

tantùm sublatio temperiei, et æqualitatis humorum, sed est etiam prava dispositio et δυσκρασια humorum, ita in morbo animæ, peccato scilicet, res se habet; peccatum non est tantùm negatio boni; sed est instar putrediuis permeantis et corrumpentis facultates omnes, et gangrænæ serpentis, unde Scriptura passim peccata vocat *maculas* et *labes*, quas Deus abstergit et eluit. Ps. li. 4.

VIII. Effecta peccati duo sunt, 1. Enim animam corrumpit, et deformem reddit, 2. Obligat ad pœnam, et nos ei subjicit, pravos nos reddit, reos nos efficit; primum dicitur *macula* à Scholasticis, secundum vocatur *reatus:* juxta primum respectum peccata vocantur *sordes*, *morbi*, *vulnera;* juxta posteriorem, *crimina*, *offensæ*, *debita;* *macula*, propriè respectum habet ad purissimam Dei sanctitatem, cui adversatur; reatus respectum habet ad justitiam Dei vindicatricem, et ad sanctionem legis.

IX. Peccatum nos *pœnæ* subjicit, tum ex *jure Dei naturali et indispensabili*, quod fundatur in ejus justitia, quæ non potest videre peccatum, et non odisse, et quæ non potest odisse, quin puniat; tum ex *sanctione legis*, quæ pœnam peccato denuntiat, et quæ non potest non impleri. Pœna autem illa est eadem, quam Deus interminatus fuerat Adamo, et de quâ locuti sumus, mors scilicet et *omnia mala*, quæ eam præcedunt ac comitantur, nec mors tantùm *corporea*, sed *mors animæ*, imò *mors æterna*.

X. Verùm ut aliquid distinctius de pœna peccati dicamus, inter pœnas peccati numeramus, 1. Ignorantiam et cæcitatem mentis humanæ, voluntatis depravationem, affectuum inordinationem, quibus ad omne nefas ruunt peccatores. 2. Conscientiæ acerbissimos morsus ac terrores. 3. Vitia innumera corporis, ac sexcentos, quibus afficitur, morbos. 4. Remedia his morbis curandis adhibita, sectiones, usturas, multa pharmaca, quæ morbum sæpe non depellunt, sed mutant, et quæ potiùs sunt tormenta, quam medicamenta. 5. Mala à rerum necessariarum penuria orta, unde multos fame periisse notum. 6. Mortem, quæ metu adventus sui homines miserum in modum cruciat. 7. Creaturarum in homines rebellionem. 8 Calamitates ingentes, quas à fulminum igniumque eruptionibus, à fluviorum eluvionibus, maris fluctibus, ventorum flatibus, terræ hiatibus homines experiuntur. 9. Bella crudelissima, quibus se homines miserè necant. 10. Tandem futuri seculi mala, *tenebras exteriores*, *fletum et stridorem dentium*, *catenas caliginis*, *vermem non morientem*, *stagnum ardens igne et sulphure*, exquisitissimosque cruciatus.

XI. Infinitam pœnam meretur peccatum, quia adversus Ens infinitum patratur. Sed disquiritur utrum pœnam infinitam respectu graduum mereat. Fere omnes illud credunt Orthodoxi; sed observant, cùm natura humana non sit capax ferendæ pœnæ infinitæ quoad gradus, infinitatem *intensionis* ut loquuntur, compensari per *infinitatem durationis*. Sanè dubitare non possumus, quin peccatum mereat pœnam *infinitam duratione*, quia rationi consentaneum est, ut qui semel læsit Deum Ens infinitum, nunquam sit in ejus favore, nisi Deo satisfiat. Verùm dubitare quis posset, peccatum mereri pœnam infinitam quoad gradus. 1. Quia cùm homo sit creatura finita, non videtur congruum comminationem ipsi factam fuisse alicujus pœnæ, cujus non sit capax. 2. Quia si homo talem pœnam mereretur, non posset dari pœnarum inæqualitas, siquidem Deus, ut justitiæ satisfaceret, tantam pœnam infligeret, quantam posset creatura pati et nulli essent gradus. Quicquid sit, pœnam infinitam mereri peccatum certum est.

XII. Verùm etsi peccator semper mereatur pœnam, potest tamen non ei subjici, si scilicet aliquis sponsor in ejus loco satisfaciat justitiæ divinæ, hinc *nullam esse condemnationem* dicit Paulus Rom. viii. 1, *iis qui sunt in Christo*, quia scilicet nos ab ea Christus morte suâ liberavit.

XIII. Quoad *maculam* peccati eluitur Sancti Spiritus nos sanctificantis efficacia.

CAPUT IV.

De Effectis et Consequentibus primi peccati in primis Parentibus.

I. De peccati effectis in genere diximus, de peccati primi effectibus sigillatim dicendum; ut enim gravissimum fuit primorum parentum peccatum, ita pessimos effectus post se traxit. 1. Amiserunt parentes nostri suam sanctitatem atque justitiam, ac perierunt præcipuæ partes imaginis Dei; nec enim tota imago Dei periit: manserunt quippe quædam reliquiæ infelicis naufragii tabulæ et rudera, quæ Deus superesse voluit, tum ut ex illis integræ imaginis præstantia agnosceretur, tum ne mundus in latrocinium abiret, tum ut ex illis ruinis novum construeret ædificium. 2. Hanc amissionem secuta est universalis facultatum corruptio, ac perversus sui et creaturarum amor, qui illicita

desideria in iis accendit; sic autem mori inceperunt, siquidem à Deo vitæ auctore secesserunt, atque ita impleri cœptum est divinæ sententiæ carmen; *Quo die comederis, moriendo morieris*, Gen. ii. 17. *Justitiam Adami*, inquit Prosper contra collat. cap. xxi. *iniquitas depulit, humilitatem superbia destruxit, continentiam concupiscentia elisit.* Excepit etiam hanc amissionem sanctitatis, *nuditatis sensus*, tunc enim ut ait Moses, *aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt se esse nudos.* 3. Iram Dei incurrerunt, et morti æternæ ac damnationi obnoxii facti sunt; unde Deus post peccatum statim vocavit Adamum; *Adame ubi es*, quæ vox non est ignorantis Dei, sed *increpantis*, citantis reum ad tribunal, objurgantis, et defectionem exprobrantis. 4. Terror conscientiæ secutus, ex sensu nuditatis, et peccati, atque ad auditum vocis Dei judicis citantis. 5. Ejecti sunt ex Paradiso extra fortunata arva in alium veluti orbem. Gen. iii. 23, 24. Ignoratur plane quamdiu in eo manserunt, at tacente Scriptura tacendum, imò non inquirendum; unde detestamur Cortonis Jesuïtæ audaciam, qui inter alia quæ à dæmone quæsivit, hoc etiam anxiè petiit, quamdiu dæmones in cœlo mansissent, et in Paradiso terrestri primi parentes; referente Thuano lib. 132. ad. an. 1601. 6. Miseriæ omnis generis, morbi, calamitates, ex hâc Pandoræ pixide promanarunt, agmine facto, *macies et nova febrium terris incubuit cohors:* tandem mors ipsa, cui subjecti facti sunt, eo momento, quo peccarunt, etsi tunc non mortui sint; *Pulvis es et in pulverem reverteris.* Hîc non pigebit audire Hilariam Carm. in Genesim:

Postquam primus homo vetito se pascere ligno
Non timuit, captusque dolis se præbuit angui:
Stat reus, et nudus dejecto lumine vestem
Implorans, Dominumque fugit; vultumque recondit.
Culpa comes sequitur, peccato obnoxia vita
Debilitat vires. Cœli venientia dona
Æthere demissus paulatim deficit ignis,
Frigore peccati torpentia corda rigescunt,
Cura cibi ventrisque subibat, cura tegendi
Corporis, et sæcum subeunt mortalia pectus.

II. Hæc effecta communia fuerunt utrique, Adamo et Evæ, sed peculiaria quædam fuerunt, tum respectu *fœminæ*, tum respectu *viri*. Mulieris, quæ, priùs cùm peccasset, viro ad transgrediendum hortatrix fuit, pœna fuit *duplex*, 1. *Partus cum dolore*, Gen. iii. 16. 2. *Subjectio durior viro.*

Viri fuere pœnæ, *varii labores et ærumnæ;* terra propter ipsum fuit maledicta, spinas, tribulosque protulit. Ab eo tempore

..... Inter nitentia culta
Infelix lolium et steriles dominantur avenæ.

III. Quamvis inter veteres quidam affirmaverint, ut Tatianus, primos parentes damnatos fuisse, in eam tamen sententiam ire non possumus; mox enim post lapsum, in gratiam receptos fuisse nulli dubitamus; primæ siquidem promissionis auditores fuerunt, et illi dubio procul fidem habuerunt. Extabat olim liber de pœnitentia Adæ; sed eum inter Apocryphos retulit Gelasius decreto in Romano concilio cum LXX. Episcopis facto. Plerique etiam veterum tradunt Adamum sepultum esse in monte Calvariæ, (de quo tamen dubitare fas est) in quo Christus postea crucifixus et sepultus fuit, ut primus virtutem sanguinis Christi sentiret, qui primus fuerat auctor peccati. Ridiculi Rabbini, qui resipiscentiam Adami commemorantes, dicunt post lapsum obtulisse eum Deo taurum munitum unico cornu in media fronte, ac respexisse cornu Messiæ.

IV. Non exigui amoris Dei erga hominem signum est, quòd latâ mortis sententiâ noluerit hominem statim extinguere, sed diu rebus humanis præesse siverit, vitam enim ad annum usque nongentesimum et trigesimum extraxit; et quod imaginis suæ reliquias et pretiosæ istius tabulæ fragmenta in homine conservarit, ut hac tenui luce ad vitæ officia uteretur.

CAPUT V.

De Effectis aut Consequentibus primi peccati in posteris Adami.

I. Non sibi soli, sed et posteris nocuit Adamus.

Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit.

Vel ut loquitur Prosper eleg. carm. de Ingr.

..... In eo
Tota simul series prostrata nepotum
Deperiit.

Inviolata Dei quondam et sublimis imago
In primo cuncti fuimus patre, dum nemore alto
Degit, et edicto parens cavet arbore ab una,
Ast postquam rupta mandati lege, superbum
Consilium mixtum invidiæ de fonte recepit
Corruit, et cuncti simul in genitore cadente
Corruimus.

Cùm enim generis humani Pater fuerit atque Princeps, ac illud repræsentarit in fœdere, quod cum Deo pepigit, non potuit illud frangere, quin universam sobolem suo peccato involveret. Princeps cum subditis constituit unum corpus politicum, et unum quid censetur cum illis, ideò culpa principis sæpe imputatur populo, et vice versâ,

Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.

Et

Quicquid delirant reges plectuntur Achivi.

II. Hanc primi peccati imputationem probare solent theologi ex Rom. v. 12, 13, 14. Ubi Paulus reddit rationem, cur mors in omnes homines grassetur, quia, scilicet, inquit, *omnes peccarunt.* Sicut *per unum hominem peccatum introiit in mundum, et per peccatum mors, ita in omnes homines mors transiit, quia omnes peccarunt.*

III. Ut vis hujus argumenti intelligatur, observant, 1. Hunc in finem hoc afferri à Paulo, ut illustretur et confirmetur doctrina de justificatione, quia multis durum videbatur justitiam Christi imputari membris suis, et propter hanc justitiam homines dici *justificari;* ostendit Apostolus illud non magis durum videri debere, quàm audire peccatum Adami imputari posteris. 2. Notant *peccare* hîc non significare *pœnam subire;* quamvis enim *peccatum*, pro *pœna peccati*, sumi aliquando certum sit, nullibi tamen legitur, eum, qui sine culpa pœnam patitur, *peccare;* et quamvis alicubi ita sumeretur, patet attendenti, in loco allato sic sumi non posse, ridiculus enim inde, et Apostoli sapientiâ indignus emergeret sensus. 3. Observant *peccare* hîc non designare simpliciter corruptionem, vel *habitum peccati*, sed peccatum aliquod actuale committere; aliud quippe est peccatorem esse vel nasci, aliud re ipsa peccare. Jam si mors transiit in omnes homines, quia omnes peccarunt, ac si non possit dici peccasse actu in se posteros Adami, qui nondum erant in rerum natura, inferendum est dici *peccasse*, quia considerantur in Adamo, et eo

committente peccatum, censentur ipsi commisisse. At hoc non posse dici sine peccati imputatione pertendunt.

IV. Hoc confirmant quarta illa observatione, verti posse ἐφ' ᾧ, *in quo peccarunt*, ut in Adamo dicuntur mori homines; siquidem hæc prepositio ita vertitur in aliis locis, 1 Thess. iii. 7. Heb. x. 10. Marc. ii. 4. Matth. xiii. 14. Luc. v. 25. et Rom. v. 14. Qui plura voluerit, consulat lexicographos et inter alios Budæum. Jam si ita vertas, Adami posteri in eo peccasse non possunt dici, nisi peccatum Adami ipsis imputetur.

V. Hæc *imputatio* adstruitur ex vers. 17, 18, 19. ejusdem capitis; in quibus dicitur *per unum peccatum reatum venire in omnes ad condemnationem;* sed imprimis confirmatur ex collatione Adami cum Christo, quam hîc apostolus instituit, de justificatione agendo: unde vocat Adamum τύπον τοῦ μέλλοντος, *typum futuri*, vers. 14. eodem enim modo constituimur peccatores in Adamo, quo justi constituimur per justitiæ Christi imputationem. Ergo et peccatores in Adamo per peccati ipsius imputationem constituimur, ut enim inquit Paulus, *per unum peccatum reatus venit in condemnationem, ita per unam justitiam gratia transiit in omnes in justificationem vitæ, et ut per unius inobedientiam &c.*

VI. Idem fulcitur loco Pauli 1 Cor. xv. 22. ubi dicimur *omnes mori in Adamo, ut in Christo omnes vivificantur:* hæc enim verba non videntur tantùm significare nos ab Adamo peccatum originale, quod est mortis causa, trahere, siquidem pari ratione dici possemus in parentibus nostris mori, cùm ab iis peccatum originale hauriamus; quod tamen nullibi legitur; unde sic ratiocinantur, si mors in omnes homines non pervadat nisi quia peccarunt, oportet ut in eo in quo morimur omnes, in eo peccasse dicamur. At in Adamo omnes morimur. Ergo necesse est nos in eo peccasse.

VII. Verùm id ulterius evincunt theologi ex eo, quod si peccatum Adami non imputetur posteris, non potest ratio reddi, cur Deus labem illam hæreditariam et inhærentem voluerit à parentibus transmitti; summum enim malum est, quod non permisisset Deus propagari in innocentes, nisi in pœnam alicujus peccati; illud autem peccatum non potest aliud esse quàm Adami peccatum.

VIII. Non mirum videri debet, si imputatum dicatur peccatum Adami ejus posteris, qui nondum nati erant, cùm Adamus peccaret, et qui in ejus peccatum non consenserant. 1. Quia Adamus debet considerari, ut pater, stirps, caput,

princeps generis humani; sub eo enim respectu cum Deo fœdus inivit, et Deus cum eo. 2. Quia nihil frequentius legitur in sacro codice, quàm tales imputationes à Deo factæ. Deus propter Achanis peccatum Israëlitas punivit, et illis imputavit peccatum illius privati, Jos. vii. 11. dum dicit, *peccavit Israël, atque transgressi sunt fœdus, acceperunt de anathemate.* Rursus Deus, propter læsos à Saule Gibeonitas contra fœdus solemne juramento initum, Israëlitas per triennium fame punivit; in universali diluvio, et incendio Sodomæ infantes propter parentes nullo discrimine perierunt. Ob Chami peccatum filius Canaan; et universa Chami posteritas servituti addicta est. Gen. ix. 25. Propter contumaciam Pharaonis omnes primogeniti Ægyptiorum interfecti, Exod. xi. Ob abominationem Cananæorum devotisunt internecioni *fœminæ et pueri eorum.* Deut. xx. 16. Hamalekitæ quadringentis post annis, quàm se Israëlitis in transitu opposuissent, deleti à Saule, jubente Deo. 1 Sam. xv. 2, 3. Legitur Levit. xxvi. 38. hæc maledictio; *Peribitis in ipsis gentibus, et absumet vos terra inimicorum vestrorum; qui autem reliqui fuerint ex vobis, tabescent propter iniquitatem suam, etiamque propter iniquitatem patrum suorum cum ipsis tabescent.* Christus Matth. xxiii. 35. interminatur Judæis, superventuras iis pœnas eorum criminum, quæ ab ipsorum majoribus longè antea patrata fuerant. Imò hanc imputationem peccati parentum liberis, probat comminatio legis, quâ Deus *denuntiat se parentum peccata visitaturum in liberis*, Exod. xx. 4. quod non debet tantùm intelligi de filiis vestigia prava parentum sequentibus; contrarium enim pleraque exempla allata probant, ac rursus, si ita deberet intelligi lex illa, non visitaret Deus parentum peccata, sed filiorum.

IX. Nec hoc plane latuit ethnicos, unde Delphicum oraculum in Sybaritas ita habebat;

> *At scelerum auctores divinum persequitur jus,*
> *Nec pote vitari, non si genus a Jove ducant,*
> *Sed capiti ipsorum, quique enascuntur ab illis*
> *Imminet, inque domo cladem subit altera clades.*

X. Sane difficile est capere, quomodo Deus imputet peccatum Adami ejus posteris, qui nondum nati erant. Verùm longè difficiliùs intelligere, quomodo Deus patitur, ut posteri Adami corruptione illa infecti nascantur, quæ consecuta est peccatum primum, si illud peccatum ipsis nullatenus imputetur; corruptio enim illa omnium malorum maximum

est, siquidem est scaturigo omnium peccatorum, ac proinde causa æterni hominum exitii. Quis facilè capiat, Deum, qui poterat hanc propagationem peccati impedire, si voluisset, variis modis, voluisse tamen omnes ex uno homine corrupto corruptos nasci, et totum genus humanum per peccatum iníici, ac maledictionem æternam incurrere, nisi jam justitiæ actum in hominem propter peccatum aliquod antea ab Adamo commissum et posteris imputatum exerere voluisset; in hâc materiâ adorandum est Dei judicium, et obmutescendum, ô Profunditas!

XI. Huc non refero, quod à principibus solet fieri erga filios perduellionis reorum; notum enim quid ferat Arcadii et Honorii Sanctio C. Just. lib. ix. tit. 8 ad Leg. Jul. de Majest. *Filii ejus*, (ita Lex) *quibus vitam Imperatoria lenitate concedimus, (paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est hæreditarii criminis exempla metuuntur,) à materna vel avita omnium etiam proximorum hæreditate ac successione habeantur alieni: testamentis alienorum nihil capiant: sint perpetuò egentes ac pauperes: infamia paterna semper eos comitetur; ad nullos prorsus honores, ad nulla prorsus sacramenta perveniant; sint postremò tales, ut iis perpetua egestate sordentibus, sit et mors solatium, et vita supplicium.* Hæc, inquam, et alia non moramur, quia quum agitur de actionibus Dei exempla humana nihil probant.

CAPUT VI.

De Peccato originali.

I. ADAMUM per lapsum corruptum fuisse diximus, sed in eo tantùm non hæsit corruptio, ab eo ad posteros promanasse jam probandum; at prius observandum, hanc corruptionem, quam ab Adamo haurimus, dici *peccatum originale*, voce primùm ab Augustino inventa, ut aliquo termino adversus Pelagianos uteretur; ita autem dici, quia ab utero matris nobis inhæret, et à primâ nostrâ origine, scilicet ab eo momento, quo existere incipimus; *malum domesticum* vocavit Cyprianus. De eo primum inquirendum, *an sit*, et hoc probamus pluribus argumentis.

II. *Primum* argumentum ducitur ex Psalm li. 7. *in iniquitate conceptus sum, et in peccato fovit vel calefecit me mater mea*, in iis enim verbis David ascendit à consideratione peccati actualis, quod perpetraverat, ad primam mali

habem, et se ab utero corruptum fuisse coram Deo suo confitetur; jam qui in iniquitate se conceptum esse, et in peccato fotum vel calefactum fatetur, agnoscit se peccatorem nasci, atque ab utero peccatum attulisse, atque hoc est peccatum originale. Istud argumentum validius nobis videbitur, si attenderimus. 1. Davidem hæc dicere, peccatum suum confitendo, nequis dicat agi hîc de peccato alieno, ut patris et matris. 2. Verbum חללתי *conceptus sum*, referri non posse ad actionem gignendi parentum, sed ad corporis geniti formationem; imprimis si jungatur cum voce יחמתני, *calefecit me*, et fovit, quod dicitur de fœtu jam formato.

III. *Secundum* argumentum deducitur ex Joh. iii. 6. *Quod natum est ex carne, caro est*, unde sic argumentamur; si, quicquid ex carne nascitur, caro est, nemo erit immunis ab innata vitiositate. At verum prius, &c. *Major* probatur ex sensu vocis *carnis*, quæ hîc sumitur pro nostra natura irregenita, quo sensu sumitur Rom. viii. 6. Gal. v. 19. Agitur enim de *carne* illa, quæ regeneratione opus habet, et quæ à regno cœlorum excludit. *Minor*, scilicet quod ex carne nascitur, caro est, ex ipsis verbis Christi probatur.

IV. *Tertium* argumentum elicitur ex morte omnibus imposita; si enim mors regnet in omnes etiam infantes, peccatum debet iis necessariò inesse; at mors regnat in ipsos infantes. Major demonstratur ex eo, quod mors est *peccati stipendium* Rom. vi. 23. *Quâ justitiâ*, aiebat Fulgentius, *parvulus subjicitur peccati stipendio, si nulla est in eo peccati pollutio.* Non diffitendum equidem, infantes vocari *innocentes* variis Scripturæ locis, sed non ideò ita vocantur, quia omni peccato destituantur; at comparatè ad adultos, qui actu peccant, et quidem gravissimè. Ita dicuntur *sancti* 1 Cor. vii. 14. Non quasi ab omni corruptione sint immunes, sed quia in Ecclesia nascuntur, extra quam, qui vivunt, sunt profani et immundi.

V. *Quartum* argumentum petitur ex eo, quòd si infantes, non nascerentur peccato originali infecti, non opus haberent Redemtore aut Salvatore Christo: ubi enim non est peccatum, redemptione non opus est.

VI. *Quintum* argumentum à corruptione omnium hominum universali ducitur: nam, ista corruptio docet ipsam naturam, quam à primo parente trahimus, in ipso ortu laborare, alioquin in tantâ mortalium turbâ, vel unus inventus foret, quam nascentem benigniori sinu natura accepisset, quique sanctus esset.

VII. *Sextum* à Circumcisione olim, et Baptismo nunc

infantibus administrato, utroque sigillo justitiæ fidei et remissionis peccati, non certè *actualis* in infantibus, ergo *originalis*.

VIII. *Septimum* ab ipsa experientia, quæ latens illud vitium in infantibus ipsis esse docet. Unde enim fit ut in pueris vitia statim cum ratione, imò etiam ante rationem se exerant, et nullo volente ita pullulent, ut vix diligentissimis præceptorum curis amputari, nedum radicitus extrahi queant? De hâc naturæ obliquitate et depravatione aliquando conquesti sunt, qui nihil supra naturam sapuerunt; unde Cicero, Frag. de Rep. lamentatur, *hominem à naturâ novercâ in vitam edi, corpore nudo, fragili et infirmo; animo autem ad molestias anxio, ad timores humili, ad labores molli, ad libidines prono, in quo divinus ignis sit obrutus ingenii et mentis.*

IX. Atque ea fuit sententia sanæ antiquitatis, ut ex prolatis *Irenæi*, *Cypriani*, *Hilarii*, *Gregorii*, *Nazianzeni*, *Basilii*, *Ambrosii*, *Hieronymi*, &c. sententiis contra Julianum evicit *Augustinus*, et ut contra Pelagium, ac Semipelagianos defenderunt Concilia *Palæstinum*, *Milevitanum*, *Toletanum* VI. *Arausicanum*, &c.

X. Equidem Lex peccatum originale non vetat, sed non mirum est, quia lex supponit hominem sanctum.

XI. Postquam probavimus peccatum originale esse, jam ejus natura investiganda. Ut clarè illud doceamus, duabus propositionibus sententiam nostram exponimus. 1. Peccatum originale non situm est in ipsa substantiæ animæ corruptione. (1.) Quia omnis substantia creata est à Deo. (2.) Quia Scriptura distinguit naturam nostram, et peccatum ipsi adhærens. (3.) Quia, si peccatum esset in substantia hominis, Christus assumsisset peccatum, assumendo naturam nostram. (4.) Quia sic sequeretur hominem per sanctificationem, alium esse quoad essentiam, ab eo qui erat antea. 2. Peccatum originale non dicit tantùm meram carentiam, sive privationem justitiæ originalis; sed duo dicit, et *privationem justitiæ originalis*, et *inordinationem* universalem, quæ successit in locum *justitiæ originalis*, quæ homini debuit inesse; defectum sapientiæ in mente, rectitudinis in voluntate; cæcitatem ac errorem in intellectu, atque malitiam in voluntate, aversionem ab æterno et immutabili bono, et conversionem ad malum, et ad bona mutabilia: ineptitudinem ad benè agendum, et propensionem ad malè faciendum.

XII. Illud patet, tum ex eo quod Scriptura describit

illud peccatum vocibus, quæ non meram privationem insinuant, dum vocat *carnem*, *concupiscentiam*, *legem membrorum*, *peccatum inhabitans*, *corpus mortis*, *veterem hominem*, &c. tum ex innumeris effectis, quæ ipsi tribuuntur. Non minùs afficit suum subjectum *peccatum*, quàm *virtus*, quæ ab omnibus ut quid positivum habetur. Nec inde tamen sequitur esse à Deo; omne quidem ens physicum est à Deo, sed non omne ens morale, quod defectum aliquem habet.

XIII. Omnibus hominibus inhæret istud peccatum, solus ab hac labe immunis fuit Jesus Christus, qui ab Adamo non descendit viâ ordinariâ, sed extraordinariò et supernaturaliter conceptus est, virtute Spiritus Sancti. Non itaque beata virgo hujus peccati expers fuit, nullibi enim hoc legitur; et præterea se *Servatore* indiguisse agnovit, quod non agnovisset, si non fuisset peccatrix. Tandem ut aliæ peccatrices mortua est. Solum Christum à communi regula exceptum fuisse docuerunt veteres. Augustinus de peccatorum meritis et remissione lib. ii. 20. *Quartum restat; utrum, qui omnino nullum unquam peccatum habuerit, habiturusve sit, non solùm quisquam natorum hominum sit, verùm etiam potuerit aliquando esse?* Hîc locus erat excipiendæ Mariæ. Sed respondet: *Hunc præter unum Mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum, nullum vel esse vel fuisse, vel futurum esse, certissimum est.* Atque ita *Ambrosius* in Ps. cxviii. Ser. 6. *Cyrillus* Orat. de recta fide, *Clemens Alexandrinus* Pædag. lib. i. cap. 2. Tertullianus de Orat. cap. 7.

XIV. Toti homini inhæret istud peccatum, tum animæ, tum corpori; unde menti cæcitas, voluntati perversitas, affectibus inordinatio, et insani motus, membris corporis rebellio adscribuntur.

XV. *Voluntarium* non est illud peccatum, eo sensu, quo vulgò dicimus aliquid dici voluntarium, sed potest dici, quia afficit voluntatem, et inquinat eam. Nec necesse est aliquid à voluntate proficisci, ut sit peccatum, nam peccata multa sunt ignorantiæ.

XVI. Istud peccatum originale vocatur sæpissimè *concupiscentia*, quam ad tria capita reduxit Johannes 1 Joh. ii. 16. ad *concupiscentiam carnis*, *concupiscentiam oculorum et superbiam vitæ*. Ea in infidelibus non modo, et irregenitis peccatum est, sed et in fidelibus ac renatis, nec tantùm est *morbus naturæ*; ut illud evincitur ex eo, quod Paulus subinde ipsi tribuit nomen *peccati*. Rom. vi. et vii. capitibus, non solum quia ex peccato est, aut ad peccatum

inclinat, sed quia ipsa repugnat legi mentis ac legi primæ constitutionis rerum, et adversus Spiritum pugnat, quâ in re vera peccati ratio consistit; peccatum est et gignit peccatum Jac. i. 15. nec est à Patre. 1 Joh. ii. 16.

XVII. Hæc doctrina de *peccato originali*, in quo, vel cum quo nascimur, non parùm inservit ad superbiam nostram deprimendam.

CAPUT VII.

De Propagatione peccati.

I. PROBAVIMUS dari peccatum originale, ejus naturam investigavimus, jam modum, quo propagatur, indagare operæ pretium est; difficillima sanè quæstio est, in quâ enodandâ sudarunt semper theologi, et sudabunt semper, nec unquam sibi satisfacere poterunt; et nemo est qui cum Augustino dicere non cogatur: *Quid verum sit, libentius disco, quàm dico, ne audeam dicere quod nescio.*

II. Ut id, quod sentimus, explicemus, quædam fundamenta ponenda esse credimus. *Primò*, nos non trahere animam à parentibus, sed à Deo, ut illud docet tum Scriptura, tum recta ratio. Nec moramur difficultatem, quam movet toties Augustinus Ep. xxviii. et clvii. lib. i. de anima cap. 13. et lib. ii. cap. 13. et lib. iv. cap. 11. *si anima ex traduce non est, sed sola caro tantùm habet traducem peccati, sola ergo pœnam meretur. Injustum est enim, ut hodie nata anima non ex massa Adæ tam antiquum peccatum portet alienum. Secundò*, animam non creari impuram. Absit ut id dicamus, cùm nihil impurum è Dei manibus prodire possit. Hæc duo fundamenta probant non per animam propagari peccatum. *Tertium* fundamentum addimus, dum scilicet infans est in utero matris, cùm intimè ei conjungatur, objecta in ejus cerebrum et ejus cor easdem impressiones efficere, ac in matris cerebrum. Hoc patet ex eo quod contingit mulieribus pregnantibus; cùm enim avide inspiciunt aliquid, vel rubro, vel flavo, colore, vel pallido tinctum, contigit sæpissimè, ut infantes, quos in utero gestant, tali colore tincti nascantur. *Quartò*, ita intimè corpus et animam uniri, ut ad motum corporis, certæ oriantur in mente cogitationes, sicut vicissim ad certas cogitationes mentis, certi oriantur in corpore motus. *Quintò*, per corruptionem cordis ac animi matris contingere, ut objecta, quæ ipsi proponuntur, deprimant animam matris ad res

carnales, et illis quasi allegent. *Sextò*, motus qui fiunt etiam in cerebro infantium, et qui in id profundas impressiones efficiunt, idem præstare in illis, ac matribus, nempe eorum animam recens creatum rebus sensibilibus et carnalibus alligare: unde videmus infantium animas omnia ad se et ad suum referre corpus. Hoc potest illustrari exemplo. Si Deus verbi gratiâ collocaret corpus, in quod vult animam effundere, in medio cujusdam liquoris ardentis, antequam anima cum eo corpore uniretur, contingeret ut ex quo anima ingrederetur, gravissimum dolorem persentiret. Ita res planè contingit; corpus infantis in utero matris concepti, antequam animetur, eodem modo moveri diximus, ac corpus matris singulis momentis peccantis; movetur igitur modo apto ad inclinandam animam ad res carnales. Fit ergo ut ex quo anima subit hoc corpus ita affectum, in ea excitentur iidem affectus, qui excitantur in matre ad tales motus corporis; atque ita peccatum propagari censemus.

III. Hoc eò facilius concipietur, si duo hæc addamus. 1. Animam non creari cum illis viribus, quas habebat anima Adami in statu integritatis, 2. Intervenire justum Dei judicium, posteris Adami, hujus peccatum imputantis, et in pœnam illius, corruptionem in singulos derivari sinentis. Plura non addimus, præstat enim in hisce tacere quam loqui. Adjungam tantùm non unum videri debere, si homo, ex quo nascitur, statim ita magis ac magis corrumpatur: non nisi enim mala exempla videt, quæ illum undique obsident, et ad malum impellunt potentissimis illecebris; ipse nullis præsidiis munitus inermis, instar fœminæ raptori cuicunque expositæ, peccatorum omnium fit ludibrium.

CAPUT VIII.

De Peccato actuali et variis ejus speciebus.

I. Ex impuro fonte non nisi lutulentæ aquæ fluunt, et arbor mala fructus bonos non profert. Ex peccato *originali*, quod nonnullus τῆς κακίας μητρόπολιν dixit, fluit *actuale*, quod nihil aliud est quàm *deviatio vel aberratio à lege Dei*.

II. Variæ sunt ejus species, quæ sigillatim expendendæ. *Primò*, distinguitur peccatum, in *peccatum omissionis*, ac *commissionis*; illud quo omittitur bonum præscriptum, istud quo committitur malum vetitum: quamvis enim omissio actus præcepti non sit actus, atque adeo nec videatur esse

peccatum actuale, rectè tamen ita vocatur. I. Quia peccatum illud omissionis, vel conjungitur cum aliquo actu interno mentis nostræ, quo peccator vult ommittere præceptum, vel reducitur ad actum aliquem antecedentem, qui est aut causa aut impedimentum actus omissi. 2. Quia per illam omissionem homo aberrat à lege, et ejus maledictionem incurrit. Notandum autem hîc etiam, (1.) Peccatum commissionis esse sæpiùs causam omissionis, ut *crapula* potest esse causa neglectus cultus divini. (2.) In omni peccato actuali simul omissionem et commissionèm posse notari. (3.) Peccatum omissionis gravissimam mereri pœnam, *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excinditur, et in ignem mittetur.* Matth. iii. 10.

Secundò, aliud est *peccatum cordis*, aliud *oris*, aliud *operis*. Peccata *cordis* sunt cogitationes malæ. Matth. v. 28. Matth. xv. 19. Prov. vi. 18. Peccata *oris* sunt verba mala, ut *blasphemiæ, perjuria, mendacia, convicia, contentiones, sermones obscœni*, imò et verba *otiosa*, Matth. xii. 36.; peccata *operis* sunt *facta externa aliquà actione in sensus incurrente perpetrata*, hîc autem notandum sese mutuò sæpe includere, ita ut quæ opere patrantur, priùs corde concepta fuerint. Huc referri potest distinctio peccati in peccata *carnis* et peccata *spiritus*, quæ distinctio non ita est intelligenda, quasi peccatum carnis sola *carne* perageretur. *Caro* enim et *spiritus* hîc sibi præstant operas mutuas, et sine spiritu nullum carne peccatum peragi potest, sed peccata spiritus illa dicuntur, quæ potissimùm spiritu et corde hominis peraguntur, et ad quorum consummationem externa corporis membra necessaria non sunt, quamvis actionum carnalium causa sint, ut *ambitio, superbia, odium, invidia*, quæ ideò inter opera carnis censentur, Gal. v. 19. Peccata verò *carnis* sunt, quæ membris corporeis etiam peraguntur, et sine illis non perpetrantur, ut homicidium, stuprum, furtum, &c.

Tertiò, distinguitur à scholasticis in peccatum *per se* et peccatum *per accidens*. Peccatum *per se*, quod per se lege prohibetur. Peccatum *per accidens* est actio bona in se, sed quæ malè fit, ut eleemosyna facta per ostentationem; eò sensu virtutes Gentilium vocantur splendida peccata. Accuratius loquuntur, qui distinguunt peccatum in id, quod est peccatum, *quoad substantiam operis*, et in id, quod est peccatum, *quoad circumstantias operis*, nam cùm essentia rerum moralium præcipuè sita sit in circumstantiis, omne peccatum videtur esse peccatum per se,

Quartò, aliud est peccatum ex *ignorantia*, aliud peccatum *quod scientes perpetramus*. Peccatum ex *ignorantia* est, quod solam ignorantiam habet causam, quodque ab homine sciente non fieret. Levit. iv. 2. Num. xxxv. 11. tale fuit peccatum Pauli Ecclesiam persequentis, 1 Tim. i. 13. sed distinguenda *ignorantia;* alia enim est *ignorantia* rerum, quas scire debemus; alia est ignorantia rerum, quas scire non debemus. Alia est *invincibilis planè et involuntaria;* quum quis ignorat, quod scire non potest, quantumvis vellet, quia objectum illi non est revelatum; alia est *vincibilis*, et est vel *affectata*, quando homo de præceptis divinis institui non vult, ut securius in peccatum ruat; *scientiam viarum tuarum nolumus*, Job xxi. 14. vel ex *negligentiâ* orta, quando homo eam, quam debebat, et poterat, diligentiam non adhibet; ignorantia rerum, quas scire non tenemur, et ignorantia *invincibilis* à peccato excusat, nisi forte ignorantiâ sublatâ actum præstitum approbemus: sed ignorantia *vincibilis* seu *affectata*, sive ex *negligentia orta*, est peccatum, quamvis una altera sit magis culpabilis.

Quintò, aliud est *peccatum infirmitatis, quotidianæ incursationis*, quod oritur ex ignorantiâ, subreptione, vel gravi aliquâ passione subitaneâ, judicium antevertente, ut repentinus metus, ira, voluptas, dolor, diciturque *infirmitatis*, quia non tam voluntate, quàm naturæ nostræ imbecillitate, quæ ab affectibus abripitur, ad peccandum impellimur; quamvis certum sit nullum *peccatum actuale* posse dici absolutè *involuntarium;* nam voluntas aut non egit, quod debebat agere, aut egit, quod non debebat agere. Aliud *peccatum malitiæ*, quod ex malitiâ et contumaciâ, destinato animi proposito, ac pleno animi consensu perpetratur. Ps. xix. 14. Plenè autem consensisse voluntatem patet, quum is qui peccat, affectu vehementi non abripitur, ac tempus habet maturè deliberandi, et advertendi turpitudinem facti, quod meditatur. Hoc peccatum *malitiæ*, vocari potest peccatum contra *conscientiam*, sed duobus modis peccatur *contra conscientiam;* vel quando homo nullo conscientiæ dictaminis respectu habito, suis cupiditatibus indulget, et indulgere vult; tale est peccatum eorum, qui à Paulo dicuntur *peccasse* ἑκουσίως, *sponte*, Heb. x. 26. omniumque eorum, quos Deus reprobo suo sensui permittit; vel quando homo peccandi dulcedine inescatus, vehementi quodam affectu abreptus, contra conscientiæ dictamen peccato sese dat, non sine luctâ tamen, et ita peccant aliquando *regeniti*.

Sextò, aliud est peccatum *regnans*, aliud *non regnans*, et *habitans* tantùm; peccatum *regnans* est illud, quod inveteratâ consuetudine vires acquisivit, ut captivum hominem teneat, et cui peccator omnemodè servit; illud reperitur in illis, qui dicuntur *facere peccatum*, 1 Joh. iii. 8. *Non regnans* est, quod aliquando ex inadvertentiâ, vel subito quodam affectu committitur, cuique homo resistit, vel in ipso actu, vel post actum. Inter ea peccata, quæ regnantia dicuntur, reperiuntur, quæ *clamantia* vocantur à Spiritu Sancto, ut *effusio sanguinis innoxii*, Gen. iv. 10. *defraudatio mercedis operariorum*, Jac. v. 4. *Rapinæ*, Hab. ii. 11. *Concussio et oppressio pauperum, orphanorum, populi Dei, viduarum*, Exod. iii. 7. Exod. xxii. 23, 24. *Scelus Sodomiticum*, Genes. xviii. 20.

Septimò, aliud est peccatum *remissibile*, aliud *non remissibile*, Matth. xii. 31, 32. aliud peccatum ad mortem, aliud non ad mortem, 1 Joh. v. 16. Peccatum *irremissibile*, et ad *mortem* vocatur illud, quod nunquam à Deo remittitur, ut *finalis impœnitentia; peccatum in Spiritum Sanctum*, de quo sequenti quæstione dicemus. Peccatum *remissibile* illud est, quod remitti potest ex Dei gratiâ, quamvis mortem mereatur. Existimamus enim nulla esse peccata, quæ naturâ suâ morte non sint digna; *stipendium peccati mors est*, Rom. vi. 23. *Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis*. Deut. xxvii. 26. *Qui in uno impegerit, reus est omnium*, Jac. ii. 10. Omne siquidem peccatum gloriæ Dei adversatur, ordinem ab eo institutum perturbat, ac illibato amori Dei repugnat, legemque Dei violat, jubentem Deum ex toto corde diligi. Non inde tamen inferendum, nos peccatorum æqualitatem cum Stoïcis tueri, quasi crederemus tantundem peccare, qui teneros caules alieni fregerit horti, ac qui idolis thura adoleverit, aut qui paterno cruore dextram conspersérit. Inæqualia esse peccata concedimus; sed omnia morte esse digna credimus.

III. Quòd autem inæqualia sint peccata non potest negari. Sunt quædam peccata, quæ altius vulnerant et vastant conscientiam; quæ actum fidei justificantis impediunt, et quæ, si ita loqui liceat, præsentem ad regnum cœlorum habitudinem tollunt, ut illa de quibus 1 Cor. vi. 10. Col. iii. 6. agitur. Sunt alia, quæ operationem gratiæ non impediunt, nec spem de remissione peccatorum obtinenda adimunt; ut rebelles concupiscentiæ motus. Alia comparantur in Scriptura *trabi*, alia *festucæ*, Luc. vi. 41, alia *camelis*, alia

culici, Matth. xxiii. 24. *Leve* est peccatum, quod ex ignorantiâ committitur, *gravius* quod ex *contemtu Dei*. *Gravius* quod committitur contra Deum, quam contra hominem; verùm etsi alia aliis sint majora, alia minora, non inde inferre debemus, nobis licere ea perpetrare: nihil enim à Deo nobis vetitum leve aut parvum debet videri. Peccatum aliás levissimum, deliberato animo commissum, grave redditur, et intentio peccatum in se levissimum perpetrandi, nos magis reos reddit, quàm peccatum gravissimum, ad quod nos rapit impetus affectûs cujusdam; unde severissimè Deus animadvertit in ea, quæ nobis parva videntur peccata. *Homo* ob collecta sabbatho ligna, Dei jussu lapidibus obrutus fuit, Num. xv. 32, 36. *Moses*, quod virgâ rupem indignabundus bis percusserat, à terrâ Canaanis excluditur, Num. xx. 12. *Uza* manu arcam tangens illicò morte punitur, 2 Sam. vi. 6, 7. Rectè Augustinus: *In æstimandis peccatis non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus, et quomodo volumus pro arbitrio nostro dicentes hoc grave, hoc leve est: sed afferamus stateram divinam de Scripturis sacris, tanquam de thesauris dominicis, et in illa quid sit gravius appendamus, imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus.*

CAPUT IX.

De Peccato in Spiritum Sanctum.

I. DARI *peccatum in Spiritum Sanctum* clarum est ex Scripturâ, Matth. xii. 31. *Propterea dico vobis, quodvis peccatum et blasphemia remittetur; Blasphemia verò in Spiritum non remittetur hominibus, et quisquis locutus fuerit adversus filium hominis remittetur ei; quisquis autem fuerit adversus Spiritum Sanctum locutus, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Johannes vocat illud 1 Epist. v. 16 *peccatum ad mortem*, et de eo videtur loqui Paulus Heb. x. 26. *Si ultro peccaverimus post acceptam cognitionem veritatis, non adhuc pro peccatis reliqua est hostia, sed horrenda quædam expectatio judicii et ignis fervor, qui devoraturus est adversarios &c.* et dicit vers. 29. *eum conculcare Filium Dei, sanguinem fœderis, per quem fuerat sanctificatus, profanum ducere, et Spiritum gratiæ contumeliâ afficere.*

II. Quænam sit ejus natura decidere difficillimum est; ut ea à nobis investigetur, observandum est primò quid non sit, deinde facilius erit id, quid sit, reperire.

III. Ut quid non sit, ostendamus; dicimus, 1. Non peccare in Spiritum Sanctum, qui adversus legis moralis præcepta peccant, aliàs omnes homines hujus peccati rei essent, et nulla daretur veniæ obtinendæ spes. 2. Non peccare in Spiritum Sanctum, qui evangelicam veritatem rejiciunt per incredulitatem et ignorantiam: nam licèt peccatum illud sit gravissimum, nullam tamen legem sibi posuit Deus, ut, qui eo modo rejiciunt veritatem, sint extra omnem veniæ spem; imò patet sæpe Deum multos ex illis adducere ad veram fidem. 3. Non peccare in Spiritum Sanctum, qui falsas religiones profitentur, ut Paganos et Mahummedanos. Nam sub œconomia nova solos illos, qui evangelium agnoscunt, peccare in Spiritum Sanctum liquet evidenter. 4. Non peccare in Spiritum Sanctum, qui aliquod peccatum perpetrandi habitum sibi contraxerunt, et in eo sibi complacent; etsi enim hic habitus cum vera regeneratione sit ἀνίατος, gratia Dei potest eum vincere, et mutare, nec rarò evenit, ut tales convertantur homines. 5. Non peccare in Spiritum Sanctum, qui metu mortis vel magni alicujus mali impendentis, Christum abnegant, vel idolis thus adolent, et Baali genua flectunt: nam ille non propriè voluntariè peccat, sed ἐκὼν ἀέκοντι γε θυμῷ, partim *voluntariè* ἑκουσίως, partim ἀκουσίως *involuntariè*, ut qui merces in mare conjicit, vitandi naufragii causâ; unde si demas illi metum, sponte ad se redibit, et tunc quod admisit, pœnitentiâ deletur, quam divinæ misericordiæ sensus excipit; ita Petrus, qui Christum abnegavit, non potest dici in Spiritum Sanctum peccasse, unde eum statim peccati pœnituit, neque id prohibuit, quominus postmodum fuerit eximius Christi minister. 6. Non statim debere dici peccare in Spiritum Sanctum, qui propter spem lucri et bonorum mundanorum Christum deserunt, ut *Demam qui dilexit præsens seculum*, aut temporarios complures, in quibus fallacia divitiarum et solicitudo seculi suffocat bonum semen. Equidem ista abnegatio est aliâ atrocior, siquidem quæ metuimus, ut mors et cruciatus, ejus sunt generis, ut naturam nostram evertant; unde non mirum si ab illis natura nostra multùm abhorreat; at verò facilè carere possumus magnis divitiis, et honoribus, quos speramus et cupimus; tamen, quia non impossibile est tales homines, qui ita lapsi sunt, ad Christum redire, aut culpam suam abhorrere, ut experientiâ non semel comprobatur,

ideò peccatum in Spiritum Sanctum perpetrasse non credimus. 7. Peccatum illud non esse impœnitentiam finalem, ut credidit Augustinus; quia reprobi omnes in ea moriuntur, qui tamen non possunt omnes dici peccare in Spiritum Sanctum.

IV. Quid ergo est, inquies? *Hoc opus, hic labor est.* Si Scripturam sacram audiamus, patebit, 1. Illud peccatum committi ab iis, qui cognoscunt veritatem evangelicam, de illis enim dicitur, (1.) Illos fuisse *illuminatos*, Heb. vi. 4. id est cognitione Doctrinæ evangelicæ imbutos, ac in Christianâ religione institutos. (2.) *Gustasse donum cœleste.* (3.) *Participes factos esse Spiritus Sancti.* (4.) *Gustasse bonum verbum Dei et virtutes seculi futuri.* (5.) Heb. x. 26. Dicuntur *accepisse cognitionem veritatis*, quæ omnia probant ipsos ita cognoscere veritatem. ut de ejus bonitate convicti sint, adeò ut ne hiscere quidem contra eam possint, quamvis velint. 2. Illud peccatum committi ab iis, qui aliquam Spiritus Sancti gratiam acceperunt; et huc posset referri, quod dicit Paulus *participes factos esse Spiritus Sancti*, quamvis de donis miraculosis intelligi possit. Verùm hîc observandum, varias esse gratias Spiritus Sancti. Aliquando enim simpliciter coërcet affectus æstuantes peccatorum, ut à crassioribus peccatis abstineant, et intra certos honestatis externæ limites reprimit; ita coërcuit ex Paganis multos. Aliquandò magis corda penetrat, et ea convincit de veritate et bonitate evangelii, additis motivis variis, quibus adduci deberent ad illud vel amplectendum vel retinendum. Aliquando intimè persuadet, et ad veram sanctitatem ducit, solidaque consolatione perfundit. Gratiam autem convincentem accepisse illos, qui peccant in Spiritum Sanctum, patet ex descriptione Pauli, dum eos *gustasse bonum verbum* ait. 3. Peccatum istud esse *voluntarium*, ἑκουσίως peccare dicit Paulus, Heb. x. 26. ex corde contra lumen conscientiæ. 4. Esse defectionem totalem, et abnegationem veritatis, quam insinuare videtur Paulus, quum ait eos *conculcare Christum, profanum ducere ejus sanguinem, et Spiritum Sanctum contumeliâ afficere.* 5. Conjunctam esse hanc defectionem cum veritatis *contemptu*, unde comparat eos Paulus cum iis, qui aspernabantur Mosis legem, Heb. x. 28. et *Esavo* Heb xii. 16. qui ita primogenituram suam contemsit, ut cum edulio commutaverit. Ac nihil aliud designare videntur hæc verba jam citata de *conculcatione Filii Dei*, de *sanguinis ejus ut rei profanæ existimatione.* 6. Illum *contemptum* conjunctum esse ali-

quando cum *odio*, quum vident evangelium esse eorum affectibus adversum, unde non rarò fit, ut illud insectentur, et oppugnent eos, qui evangelii veritatem defendunt: ita Pharisæi, quibus à Christo impingitur peccatum in Spiritum Sanctum, ferali odio doctrinam Christi persequebantur; et nomen *blasphemiæ*, quo designari solet peccatum istud, hoc necessariò infert, ut et vox ὕβρεως *contumeliæ*, quâ dicit Paulus eos afficere Spiritum Sanctum. 7. Eos qui ita peccant, in hoc scelere perseverare et obfirmari, unde ait Paulus, Heb. vi. 6. *impossibile esse ut renoventur ad pœnitentiam.*

V. Hinc patet peccatum in Spiritum Sanctum esse propriè *malitiosam rejectionem et abnegationem totalem veritatis Evangelicæ cognitæ, cum pertinaci odio et contemptu, imo non raro cum persecutione conjunctam, idque non ad tempus sed in perpetuum, usque ad finem vitæ.*

VI. Sed variæ hîc quæstiones moventur.

Primò, Quomodo fieri potest, ut homo, qui cognoscit veritatem et bonitatem evangelii, illud tamen postea abneget, contemnat, odio habeat, et persequatur? Respondeo, id mirum videri non debere, quia isti temporarii, qui in hoc peccatum incidunt, amplectuntur evangelium, non tam sub ratione boni honesti, quàm ut bonum jucundum, quod vel novitate, vel suavitate, vel dogmatum majestate cor allicit, aut potiùs ut bonum utile, quod memorabile aliquod commodum potest iis conferre, unde patet eos magis suam quærere utilitatem quàm evangelium amare. Non est itaque mirandum, si deserant tale evangelium, quum vident se non posse veritatem, quam docet, profiteri, nisi affectus coërcendo, suis voluptatibus nuntium dicendo, sese persecutionibus objiciendo, multa mala perpetiendo, dignitates suas abdicando, opes relinquendo, variis opprobriis se subjiciendo. Agnoscunt enim gravissimè deceptos fuisse, quum evangelium amplectentes, existimarunt se posse servare Christum et mundum, evangelium et opes suas. Unde cùm persecutio ingruit, illi qui nihil prius, nihil antiquius habent, quàm commodis hujus vitæ litare, de futuris parùm solliciti, voluntariè deserunt Christum, idque cum furore et indignabundi, quòd parùm abfuerit, quin pro Christo amiserint suam quietem, sua bona, suos honores, suam gloriam, suum summum bonum, et alia quæ primum in eorum corde occupant locum. *Rursus* notandum non uno momento hæc fieri, sed sensim et pedetentim. Nemo enim fit repentè omninò malus.

Secundò quæritur, cur peccatum istud dicatur *peccatum in Spiritum Sanctum?* Respondeo, non ita vocari, quasi offendat simpliciter tertiam personam Sanctæ Trinitatis; nam omnia peccata offendunt tres adorandas personas; sed quia perpetratur adversus peculiarem Spiritus Sancti operationem, quæ illi competit in œconomiâ salutis, nimirum illuminandi mentes.

Tertiò quæritur, an in omnes homines cadere possit hoc peccatum? Respondeo, 1. Non cadere in electos et fideles, qui propter summum Dei erga eos amorem, non possunt in tam atrox peccatum labi; ut patebit, quum de perseverantiâ loquemur. Non negamus quidem multa ab iis peccata patrari; quæ, si per se æstimantur, digna sunt, ob quæ in æternam incurrant maledictionem. Verùm horum in Christo venia parata est, quum ad eum pœnitentes confugiunt. In iis Spiritus Sanctus tristitia afficitur aliquando, non extinguitur, et etsi isti surculi Christo insiti, ad aliquod tempus fructus producere desinant, vel ita langueant, ut propemodum siderati videantur, non tamen credendum, suecum; quem ex trunco trahunt, in iis plane exaruisse. 2. Non cadere in eos qui non cognoscunt evangelium, sed in eos quos vocamus temporarios, qui excipiunt cum gaudio evangelium, sed qui illud postea abnegant.

Quartò quæritur, an adhuc reperiantur homines, qui in hoc peccatum incidant? Ratio dubitandi est, quòd videatur tantùm Christus accusare hujus peccati eos, qui opera miraculosa, quæ præstiterat, adscribebant diabolo, cùm tamen illi, qui ita loquerentur, aut persuasi essent, non posse talia, nisi virtute divinâ fieri, aut saltem nulla experientia aut argumento verisimili id evincere possent, quod tanta cum audacia, atque impietate asserebant. Hoc sentiunt multi post Hieronymum, Athanasium, Ambrosium, Basilium, existimantque illi, non idem esse peccatum, de quo Christus, Matth. xii. 31. cum eo, de quo Paulus et Johannes. Credunt *peccatum*, de quo Apostolus, Heb. vi. et x. loquitur, esse peccatum Judæorum, qui post accepta in baptismo dona miraculosa, redibant in synagogam, et abrenunciabant Christianismo, Christum anathemate feriendo; et *peccatum*, de quo *Johannes*, esse peccatum eorum, qui manentes in Christianismo, saltem quoad professionem externam, perseverabant in aliquo peccato atroci, quod excommunicationem Ecclesiæ in eos trahebat, vel aliud peccatum simile. Verùm subtilis fortè magis quàm solida hæc opinio. De eodem peccati genere loqui Christum et

apostolos longè verosimilius nobis videtur; sed concedimus varias posse esse ejus peccati species. *Credimus* igitur, illud peccatum non à Pharisæis tantùm commissum, sed etiamnum hodiè multos in illud cadere, multi enim voluntariè peccant, post cognitam veritatem, ac profanum ducunt sanguinem Christi, quæ est descriptio peccati in Spiritum Sanctum à Paulo instituta. Confirmatur hoc ex eo, quòd istud peccatum, ut omnium gravissimum, proponitur; at certum est, peccatum Christianorum, qui veritatem agnitam abnegant, odio habent, contemnunt, et persequuntur, esse gravius peccato Pharisæorum, qui multis præjudiciis, ac livore suo et invidiâ excæcati, de miraculis Christi malè judicabant; ac longè magis peccare, qui denuò crucifigunt Christum, quem agnoverunt ut verum Messiam, quàm eos, qui primò cruci affixerunt eum, quem pro impostore habebant. Imo observamus, quamvis certum sit, præcipuè illud peccatum committi sub œconomiâ novâ, quia longè copiosius lumen affulget hominibus, potuisse tamen locum habere sub Vetere Testamento in iis, qui doctrinam Mosis aspernabantur, et obfirmato animo conspuebant.

VII. Istud peccatum dicitur *irremissibile; non remittetur*, inquit Christus, *nec in hoc seculo, nec in futuro*, id est *nunquam;* nec mirum. Nam 1. non datur remissio, ubi nulla est pœnitentia. At ut patet ex Paulo Heb. vi. 4, 6. non possunt illi *revocari ad pœnitentiam*. 2. Justitia Dei non patitur ut veniam consequantur. Hîc viri docti observant, dixisse apostolum ἀνακαινίζειν activa voce; ut significaret impossibilitatem illam non debere referri ad malitiam illam per se inemendabilem, quæ in hominibus est, sed ad Deum ipsum, qui, ut eam in istis hominibus corrigat et emendet, à se impetrare nequit. Qui patris leges violavít, remedium reperire potest in satisfactione Filii. Qui Filii personam per incredulitatem et ignorantiam læsit, illi spes aliqua superest in gratiâ Spiritus, qui potest ejus ignorantiam dispellere, et incredulitatem vincere. At qui Spiritum contumeliâ afficit, nullum ulterius expectare potest gratiæ remedium.

VIII. Peccatum istud nemini temere est impingendum, nec quilibet statim de eo accusandus. Non de *Juliano Cæsare* constat, an unquam de veritate evangelii convictus fuerit, imo contrarium potiùs videtur; multò minùs de Francisco Spiera dicendum, eum in hoc incidisse peccatum.

IX. Interim ut nemo repentè fit turpissimus, unusquisque tenetur atrox illud peccatum declinare, ac studiosè vi-

tare ea, quæ eò ducere videntur; cujusmodi sunt conscientiæ et Dei in eâ loquentis neglectus, veritatis ad res mundanas abusus, φιλαυτία et amor mundi ac rerum mundanarum; obfirmatio in peccato, licèt conscientiâ reclamante, et illud omne, quo sensim Diabolus homines præcipites agit, et quo Spiritus Sanctus tristitiâ afficitur.

X. Quanta sit hujus peccati pœna, patet ex Heb. x. 26, 27.

CAPUT X.

De Libero hominis arbitrio in statu Peccati.

I. De libero hominis arbitrio in statu integritatis diximus, et observavimus ejus Libertatem sitam fuisse in eo, quod agebat sponte cum judicio, à nullo ente externo coactus; hancque libertatem creaturæ rationali ita essentialem esse notavimus, ut sine ea ne concipi possit in quolibet statu; illam itaque libertatem peccator factus non amisit, siquidem amittere non poterat, quin desineret esse homo.

II. Verùm præter hanc libertatem *essentialem*, aliam habuisse adhuc dicere possumus, libertatem à servitute peccati, hanc amisisse pertendimus, quum à statu innocentiæ excidit. Duplex enim vulgo distinguitur liberum arbitrium, aliud *essentiale*, aliud *accidentale; essentiale* dicitur, quo homo agere potest sine coactione, cum prævio mentis judicio; *accidentale*, quo homo agere potest, quantùm ejus habitus ei permittunt; homo non perdidit *primum*, sed *secundum* tantùm *quoad bonum*, siquidem habitus ejus facti sunt mali. Unde ejus posteri nascuntur servi peccati; non carent quidem potentia naturali volendi, quæ homini est essentialis, sed illa ad peccandum tantùm abutuntur, et absoluta est eorum ad bonum impotentia.

III. Equidem circa res *naturales*, easdem vires nunc habet homo, ac habuit integer; pro lubitu potest eas vel præstare, vel non præstare, ut *edere*, *bibere*, *dormire*. Circa res etiam *civiles*, quæ ad vitæ civilis rationem pertinent, aliquas vires homini superesse confitemur, quamvis valdè imminutas, quia in illis mens multis modis cæcutit, et voluntas ex lapsu corrupta in eligendo et repudiando variè peccat, sed quoad bonum *spirituale* et *morale* existimamus, ita hominem esse naturâ suâ corruptum, ut nihil possit præstare, quod Deo sit gratum.

IV. Illud variis argumentis demonstratur.

Primò, ex illis locis, in quibus homini τὸ *posse* expressè negatur, ut cùm in Scriptura dicitur *non posse noscere ea, quæ sunt Dei*, 1 Cor. ii. 14. *non posse se subjicere legi* Dei, Rom. viii. 7. *nihil posse seorsim à Christo*, Joh. xv. 5. *non posse aliquid ex se ipso*, 2 Cor. iii. 5. *non posse ferre bonos fructus*, Matth. vii. 18. *non posse benefacere*, Jer. xiii. 23.

Secundò, ex illis locis, in quibus homo dicitur *servus* peccati et diaboli, et talis *servus*, qui concupiscentiæ constringitur laqueis, *servus corruptionis*, 2 Pet. ii. 19. qui in libertatem asseri non potest, nisi assertore Christo: servitus enim duo designat: 1. *Necessitatem obligationis perpetuam*, donec liberetur. 2. *Operum et actionum omnium accommodationem ad Domini utilitatem.* Inde igitur patet, nullas vires habere peccatorem; quibus à se ipso manumittatur, vel quibus aliquid efficiat, in quo non totus ab heri sui, peccati scilicet, nutu, pendeat.

Tertiò, ex illis locis, in quibus dicitur, intellectum esse *cæcum*, *obtenebratum*, imò nos esse *tenebras*, Eph. v. 8. *Cor pravum et fraudulentum*, Jer. xvii. 9. *clausum*, *incircumcisum*, *durum instar adamantis*, Zach. vii. 12. et *induratum*, *lapideum*, Ezech. xxxvi. 26. Quid enim hæ phrases denotant, nisi hominem nullas ad cœlestia vires, vel in intellectu, vel in voluntate habere, et peccatorem nihil veri spiritualis cognoscere, vel boni præstare posse sine divino auxilio? dum enim *lapideum* vocatur *Cor*, notatur illud esse *insensibile*, *inflexibile*, *resistens*, *terrestre*, *sterile*, *infrugiferum*, *mortuum et vitæ expers.*

Quartò, ex iis locis, in quibus dicitur mortuus, Eph. ii. 1. non propter *afflictiones* quibus exponitur, non propter *mortalitatem corporis*, non propter *angores conscientiæ*, sed propter *dissolutionem unionis cum Deo*, et *privationem sanctitatis*, quæ vera vita est, et ut pateat non plus posse ad sui conversionem peccatorem, quàm mortuum ad se vivificandum. Equidem non diffitendum, multum esse discriminis inter mortuum et peccatorem, in eo quòd in morte corporeâ, homo destituatur omnibus viribus ad agendum; in morte verò spirituali tantùm viribus ad bonum; in illâ tollantur facultates, in istâ rectitudo tantùm tollatur; in illa homo non teneatur ad sui vivificationem, in ista obligetur: sed manet tamen similitudo in hoc, quòd, ut mortuus vitâ naturæ, atque adeo omni sensu et motu privatur, ita peccator vitâ gratiæ destituatur, et omnem motum et sensum spiritualem amittit. Rursus observandum, magis mortuum dicendum esse peccatorem quàm hominem qui dicitur mor-

tuus. Nam iste tantùm moritur quoad corpus, manente animâ immortali, imò beatâ, si sit fidelis (reprobus enim dupliciter mortuus dicendus, quum animam efflat) at peccatoris anima moritur. Vita enim animæ est sanctitas. Observandum etiam, hîc tres hasce phrases distinguendas, *mori peccato*, *mortuum esse in peccato*, *moriturum esse in peccato*. *Mori peccato* dicuntur fideles, qui veterem hominem ita crucifigunt, ut aboleatur corpus peccati, nec ejus dominio ulterius subsint, ut leges in mortuum non valent. *Mortui in peccato* dicuntur peccatores, qui vita Dei destituti, in peccatis ambulant, et toti in iis jacent. *Morituri* dicuntur *in peccato* iidem peccatores, Ezech. iii. 18. Joh. viii. 21, 24. et tunc mors notat pœnam iis inferendam.

Quintum argumentum exurgit ex omnibus illis phrasibus allegatis, aliisque similibus simul conjunctis, inde enim oritur demonstratio. *Servum* Scriptura vocat peccatorem, sed talem *servum*, qui non potest fugâ sibi consulere, quia *captivus; captivum* qui non potest persolvere redemptionis *pretium*, quia *ære alieno* obæratus; *debitorem* qui non casu factus est *miser*, nam *reus est*, et criminibus coopertus; nec *reum* tantum, nam aliquando reus *valet* et *gaudet;* sed *lethali morbo correptum;* non *ægrum* tamen qui possit vocare *medicum*, sed *alto somno demersum*, nec *dormientem* tantúm, qui possit evigilare, sed *mortuum;* non talem mortuum qui non possit offendere quemquam, at mortuum qui est rebellis et inimicus Deo. Tit. iii. 3. Rom. viii. 7.

Sextum argumentum deducitur ex omnibus illis phrasibus, quibus utitur Scriptura ad describendum opus nostræ conversionis, dum *creationem*, *resurrectionem*, *regenerationem*, et *cordis novi productionem* vocat; illis enim eximiè adumbrat Spiritus Sanctus peccatoris summam impotentiam, quâ homo ad sui creationem, resurrectionem et regenerationem nihil conferre planè valet.

V. Hæc impotentia hominis neutiquam à peccato eum excusat, siquidem non est *involuntaria* et *mere physica*, quæ ex defectu potentiæ naturalis oriatur, ut in cæco impotentia videndi, sed est *voluntaria*, et quæ oritur ex depravata potentiæ constitutione; illa est *infirmitatis*, ista *malitiæ;* illa commiseratione, hæc vituperio digna. Nihil est extra voluntatem nostram, quod felicitati nostræ obicem ponat. Itaque dicere hominem non posse nisi malum præstare, idem est ac si diceremus hominem ita sibi placere in peccato, ut illud nolit fugere. Præterea hæc impotentia ab homine augetur, peccatum crebrò patrando contra suæ

conscientiæ dictamen: hinc enim ita assuescit peccato, ut hæc consuetudo sit altera natura; atque illa vera ratio est, cur peccatum *vetus homo* dicatur. Jure igitur ita impotentes Deus plectit. Sanè qui aliquem plectit, eo quòd ea non fecit, quæ nullo modo facere potuit, etsi voluisset, ille sanè iniquè plectit. At Deus plectit homines, quòd non fecerunt ea, quæ ab ipsis fieri debebant, sed quæ præstare noluerunt, et quòd innumera fecerunt, quæ facilè vitare poterant.

VI. Ex dictis patet, opera omnia, quæ absque gratiâ Dei præstamus, esse peccata, ac proinde opera Ethnicorum, quæ virtutes dicuntur, fuisse *splendida peccata*. Nam omne opus tres requirit conditiones, ut bonum sit, 1. Debet procedere ex corde purificato per fidem; at ex corde purificato per fidem egisse infideles, qui falsa numina colebant, et qui Dei voluntatem ignorabant, quis dicat? 2. Juxta legem Dei debet fieri, non solum externo opere, sed etiam interna et spirituali cordis obedientiâ; at hoc ipsis defuit. 3. Debet ad gloriam Dei dirigi, sed et hîc etiam errarunt, quia *Deum non glorificarunt, nec ei gratias egerunt*. Sed *ambitioni suæ litarunt*, unde solenne illud:

Vicit amor patriæ, laudumque immensa cupido.

Quòd si aliquid boni in ipsis fuit, et alii aliis fuerunt æqui bonique retinentiores; si *Aristides* ob justitiam, *Scipio*, ob continentiam, *Socrates* ob sapientiam, *Alexander* ob fortitudinem celebrati; hoc Spiritui Sancto tribuendum, qui coërcuit aliquando quorundam ex illis affectus, ne ferventius ebullirent, dum alios Deus indulgere vitiis et quibusdam veluti furiis agitari passus est. Hinc post *Platonem* Cicero fassus est, nullam unquam virum magnum extitisse sine afflatu divino.

VIII. Atque hæc de peccato et statu hominis in peccato sufficiant, jam videndum, quomodo versetur circa peccatum Providentia, et hoc sequenti libro, postquam de Providentiâ in genere dixerimus, tractabimus.

CHRISTIANÆ THEOLOGIÆ

LIBER SEXTUS.

De Providentia.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit in genere et an sit?

I. DE rerum omnium creatione diximus. Verùm haud existimandum, Deum ea quæ creavit dereliquisse, ac de rebus sublunaribus minimè esse solicitum, ut aiebat Epicurus, qui μονόγραμμον quemdam Deum sibi finxerat, οὐτὲ ἀυτον πράγματα ἔχοντα, οὐτε ἄλλῳ παρέχοντα, aut, ut ille Ennius, cujus hæc verba recitantur:

Ego Deûm genus semper dixi, et dicam cœlitum;
Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.

Credendum potius, Deum res omnes à se conditas conservare, gubernare, et ad certos fines dirigere, *Nihil* ait Augustinus, et Prosper, *in ista amplissima quadam immensaque republica est, quod non de interiori atque intelligibili aula summi imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur.* Hanc rerum omnium curam vocamus *Providentiam*, de quâ quærendum, an detur?

II. Eam divinam rerum procurationem reapse dari, multis argumentis evincimus.

Primum petitur ex natura Dei, Entis perfectissimi; quis enim diceret *perfectum* illud Ens, quod otiosum ad mundi sederet gubernacula, et omnia arbitrio creaturarum permitteret? Saltem quis tali Ente aliquid perfectius non conciperet?

Secundum argumentum ducitur ex creaturarum naturâ. Cùm enim ipsæ ex nihilo sint eductæ, eo ipso in nihilum relaberentur, si non ab eadem vi, qua productæ sunt, con-

servarentur; nec mundus per momentum subsisteret, nisi Deus iret per omnes,

Terrasque tractusque maris, cœlumque profundum.

Creaturarum enim essentia nullam in suo conceptu involvit existentiam. Unde, ex eo quod hoc momento sint, non sequitur sequenti momento esse futuras. Atque hæc causa fuit, cur auctor Libri de Mundo, Deum comparat cum his lapidibus, quos Græci ὀμφαλους, Latini *umbilicos* appellant, qui totius operis arcuati compagem firmam tuentur, quia Deus totius universi cohærentiam sustinet.

Tertium argumentum elicitur ex miro rerum creatarum ordine et harmonia; cui enim fiet credibile, tantum creaturarum numerum, tam diversæ naturæ, per tot secula in eodem statu manere sine singulari numinis curâ? et quis crediderit, astrorum cursus et temporum vicissitudines, aliaque immutabili ratione semper recurrere, sine vigili opificis oculo, et potenti manu?

Quartum deducitur ex variis Scripturæ locis, in quibus dicitur, Christum *ferre omnia potenti verbo*, Heb. i. 3. *Deum dare cunctis vitam, halitum, atque omnia; in ipso nos habere vitam, motum atque existentiam*, Act. xvii. 25 et 28. *Deum servare homines ac belluas.* Ps. xxxvi. 7. *imbres atque nivem spargere*, Ps. cxlvii. 9. *cunctis animantibus escam suppeditare*, Ps. cxlv. 15. *ventos, mare, flumina regere, lilia et passerculos curare, homines in utero fingere*, aliaque ejusmodi.

Quintum petitur ex conscientiæ sensu; si enim omnia casui et fortunæ permittuntur, ac nulla sit Providentia, cur trepidat ad scelerum memoriam conscientia cur impii

..... ad omnia fulgura pallent,
Quum tonat exanimes primo quoque murmure cœli.

III. Datur itaque Providentia, et eam negare est negare Deum esse, et omnem pessundare religionem. Hoc agnoverunt complures inter Ethnicos. Lucilius Balbus Stoicus introducitur lib. ii. de natura Deorum, ita loquens: *Ut si quis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum veniret, cùm videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri judicare, sed esse aliquem, qui intelligat, qui præsit, et cui pareatur: multò magis in tantis motibus tantisque vicissitudinibus, tam*

multarum rerum atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immensa et infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari, Forte hæc causa fuit cur τρόπαια pro Dea in Delo colebatur, ac Latonam juvisse in partu dicebatur, quasi significare voluerint, *naturam* quæ per *Latonam* designabatur, nihil posse sine obstetrice Providentia, quæ illam veluti gravidam et parturientem in partu juvaret. Zeno definiebat Deum, ζῶον ἀθάνατον, προνοητικὸν κόσμου τι ἢ τινι ἐν κόσμῳ.

IV. Non de Providentia dubitare cogunt multa, quæ hîc inordinata videntur. Videntur quidem inordinata, sed non sunt, ut pateret, si Dei sacrarium penetrare daretur. At nostrum non est Dei consilia explorare ac scrutari, et angusto mentis modulo metiri.

V. Si omnia, quæ in hoc mundo præstat Deus, à nobis non intelliguntur, non ideò Providentiam negare debemus. Qui enim omnia ab Ente infinito præstita intelligerent finiti mortales, sed inde tantùm colligendum, noluisse Deum suarum omnium actionum detegere fines, quamvis sint sanctissimi, ac Ente perfectissimo dignissimi; quod longè minus mirandum, quàm quum principes multa præstant, quorum rationes nobis ignotæ sunt. Eximiè Salvianus de Gubernat. Dei, lib. iii. *Possum quidem rationaliter, et satis constanter dicere; nescio secretum, et consilium divinitatis ignoro. Sufficit mihi ad causæ hujus probationem dicti cœlestis oraculum. Deus à se omnia dicit aspici, omnia regi, omnia judicari. Si scire vis, quid tenendum sit, habes literas sacras, perfecta ratio est, hoc tenere quod legeris. Qua causa autem Deus hoc de quibus loquimur ita faciat, nolo à me requiras. Homo sum, non intelligo secreta Dei, investigare non audeo, et ideo etiam attentare formido; quin et hoc ipsum genus sacrilegæ temeritatis est, si plus scire cupias, quam sineris. Sufficiat tibi, quod Deus à se agi ac dispensari cuncta testatur.* Optimè etiam *Thomas de Bradwardina* lib. i. de causa Dei cap. 1. Corol. 32. *Erubesce Philosophe, et scientia superbiens dedignare tam parvum Deum habere, ut tu parvus per parvam mentem tuam ipsum totum scruteris, omnia ejus secreta rimeris, capias et cognoscas plenariè ipsum totum.*

VI. *Providentia* minimè etiam neganda quòd piis non rarò male esse videatur, quod impiis benè sit; quòd insontes, cum sontibus, iisdem sæpe malis involvuntur; et hoc facilè capiet, qui attenderit. 1. Multos pietatis larvâ improbam mentem gerere. 2. Pleraque mala videri, quæ

bona sunt. 3. Bona multa credi, quæ bona non sunt. 4. Neminem insontem esse coram Deo. 5. Deum sæpè suos eximere ex malis, quibus perdit malos, ut Noachum, Lothum, Christianos ante excidium Hierosolymitanum. 6. Deum non rarò impios in hac vita punire.

Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum
Absolvitque Deos, jam non ad culmina rerum
Injustos crevisse queror; tolluntur in altum;
Ut lapsu graviore ruant.

VII. Non existimandum quicquam decedere Dei felicitati, si circa regimen mundi occupetur, siquidem omnia solo actu voluntatis præstat, et solo nutu, unde ab Augustino appellatur *Deus, substantia creatrix mundi, sine labore regens, et sine onere continens mundum.*

CAPUT II.

De Objecto Providentiæ.

I. Versatur illa providentia circa omnia et singula, etiam minutissima, cœlestia et sublunaria, necessaria et contingentia, bona et mala. Sapientes Judæorum, referente Maimonide, statuunt Deum alere, vel sustentare omnia à cornu monocerotis usque ad ova pediculorum. Inter Arabas Muhammedanos, secta est Mutazalitarum, de quibus ex eodem Maimonide refertur, eos credere Deum scire cujusvis folii casum, et cujusvis formicæ reptatum. Nec hoc planè latuit Ethnicos, quamvis enim apud eos reperti fuerint, qui in sphæra lunæ Providentiam terminaverint, et qui dixerint, magna Deos curare; sed parva negligere; nec si uredo aut grando quidpiam nocet, id Jovi animadvertendum fuisse. Ita Cotta apud Ciceronem, longè aliter Socrates, quem *Arrianus in Epicteto*, credidisse refert, numen non latere, quando movemur, οὐδὲ σελήθω κινούμενος.

II. Sanè nihil est tam vile ac minutum, quod non cognoscatur et regatur ab eo. Quid vilius pilis in capite, passerculis in aëre, agri floribus et herbis, ranis et pediculis, ricino, locustis, coturnicibus, corvis? et tamen circa hæc versari Providentiam docet Scriptura, Matth. x. 29, 30. *Nonne duo passerculi assario veneunt, et tamen ne unus quidem ex iis cadit in terram sine Patre vestro? Vestri verò eti-*

am pili capitis omnes numerati sunt. Ps. civ. 13,14. *Irrigat montes à cœnaculis suis, ut à fructu operum suorum satietur terra, faciens ut germinet fœnum ad jumentum, et herba ad hominis usum, educendo cibum è terra.* Luc. xii. 24. *Considerate corvos nec serere, nec metere, quibus non est cella neque horreum, et tamen Deus alit eos.* Alia loca non refero.

III. Nihil est tam contingens ac fortuitum, quod non cadat sub Providentiam. Quid magis contingens *cæde hominis*, à lignatore præter intentionem interempti? illa tamen Deo tribuitur, Exod. xxi. 12, 13. Quid magis fortuitum *sortibus?* illarum tamen decisio in ipsum refunditur Deum, Prov. xvi. 33. *sors projicitur in gremium; sed à Domino est tota ratio ejus.* Procul itaque facessant impiæ et blasphemæ ethnicorum voces, qui fortunam cæcam et volubili globo insistentem in totâ mortalium ratione, utramque paginam facere statuebant, quibusque non una fortuna sufficiebat, sed variam illam effingebant, quarum una *primogenita*, quia eam omnium rerum principium esse credebant; altera *mammosa*, ad ejus fœcunditatem denotandam; tertia *barbata* à juvenibus adorata, ut eorum barba cresceret. Quam tamen vocabant *malam, cæcam* et *inconstantem*, imò templum fuit Romæ in Esquiliis, *Fortunæ detestatæ.*

IV. Nihil ita à voluntate pendet, quod non à Providentiâ regatur. *Hominis sunt dispositiones cordis, sed à Domino pronunciatio linguæ*, Prov. xvi. 1. *Multæ cogitationes sunt in corde viri, sed concilium Domini hoc stabit*, cap. xix. 21. *ut rivi aquarum, cor regis in manu Domini*, cap. xxi. 1. Exempla hujus rei in *Esavo*, *Ægyptiis*, *Bileamo*, *Saule*, aliisque demonstrare pronum esset.

V. Versari circa mala, docet etiam Scriptura in iis locis, in quibus dicitur, Deum *indurasse Pharaonem*, Exod. iv. 21. *uxores Davidis Absalomo filio traditas esse à Deo*, 2 Sam. xii. 11. imo Deum per Absalomum in conspectu Israëlis palam fecisse, quod David clam fecerat; *Deum præcepisse Semeo ut malediceret Davidi*, 2 Sam. xvi. 10. mittere *Spiritum erroris*, Is. xix. 14. *indidisse spiritum mendacii in os omnium Prophetarum*, 1 Reg. xxii. 23. &c.

VI. Non mirum est, si minima Deus curet; si enim Dei majestate indignum non fuit res vilissimas et minimas condere, cur ejus gloriâ indignum esset ea conservare? ut infra gloriam solis non est loca fœtida radiis suis illustrare. Si res minimas Deus negligeret, quia sunt minime et viles, omnia negligeret, quia omnia respectu Dei sunt minima, ac vilissima.

VII. Nec credendum, Paulum 1 Cor. ix. 9. negare bo-

ves Deo curæ esse, patet enim ex hujus loci inspectione scopum Pauli esse ostendere Deum jubentem in lege *bobus triturantibus non esse os obligandum, et pabulum subducendum*, non id solum habuisse propositum, ut bobus prospiceret, sed multò magis id, ut hominibus fideliter laborantibus in vocatione suâ, tantò majorem curam impendi debere ostenderet, quantò illi bobus omnibus præstantiores sunt.

VIII. Quomodo Deus versetur circa contingentia, et ea, quæ ab hominum voluntate pendent, illæsa eorum libertate; et quomodo Deus versetur circa mala, illæsa ejus sanctitate, in sequentibus demonstrabitur.

CAPUT III.

De Providentiæ Actibus.

I. DIXIMUS in genere, quid sit *Providentia*, et de ejus objecto verba fecimus, jam paulò distinctiùs videndum, quid importet Providentia? Observandum itaque, 1. Providentiam esse actum liberrimæ Dei voluntatis, quo circa res omnes sapientissimè occupatur. Observandum 2. Providentiam non notare tantùm præscientiam Dei, sed duo dicere, *primò, Conservationem rerum; secundò, Earum gubernationem.*

II. Conservationem rerum docet Scriptura, Ps. xxxvi. 7. *Tu Deus hominem et animal servas.* Act. xvii. 25. *In ipso vivimus, movemur, et sumus.* Ps. civ. 28, 29, 30. *Aperis manum tuam, satiantur bono, occultas faciem tuam, consternantur; aufers spiritum eorum, exspirant, et ad pulverem suum redeunt. At mittis Spiritum tuum, creantur, et innovas faciem terræ.*

III. Conservationis hujus necessitatem duo adstruunt, 1. Imbecilitas creaturarum, quæ per se ipsas subsistere non possunt, ne momento quidem; ex eo enim quod nunc sunt, non sequitur mox futuras. Pari passu hæc ambulant, à se ipso non existere, et à se ipso non conservari. Cùm igitur nulla entia finita eo ipso quo talia sunt, à se ipsis esse queant, repugnat quoque ea à se ipsis conservari. 2. Earum summa dependentia à Deo; cùm enim ab eo dependeant, impossibile est capere, quomodo ad momentum subsisterent, sine Dei conservatione, tunc enim per istud momentum essent independentes.

IV. Hæc conservatio non debet ita concipi; ut Deus dicatur conservare, quod simpliciter non vult destruere; sed est actus ille voluntatis Dei, quo vult manere creaturam, in statu in quo erat. Unde rectè dictum est, *hanc conservationem* esse *continuam creationem;* nam eadem voluntate, quâ omnia creavit, omnia conservat. *Creatio* à *conservatione* in eo tantùm differt, quòd quando voluntatem Dei sequitur rei existentia, dicitur *creatio*; quando res eadem per eandem voluntatem durat et permanet in sua existentia, eadem dicitur *conservatio.*

V. Unde sequitur, quòd si Deus vellet annihilare aliquam creaturam, sufficeret, ut juberet rem aliquam subsistere tantùm per certum aliquod tempus, quo elapso res desineret, non per novam Dei actionem, sed per cessationem actionis prioris.

VI. Facilè hæc omnia conciperentur à nobis, si ad Dei ideam attenderemus, ut par est; sed quia solent homines Deum respectu mundi concipere, ut architectum in ordine ad domum ab eo constructam, existimant creaturas, ex quo è Dei manibus egressæ sunt, non magis ejus auxilio indigere, quam domus indiget architecti ope, postquam ab ipso planè absoluta est; verùm hac in parte toto aberrant cœlo; dum planè dissimilia inter se comparant. Architectus nihil quicquam domui confert, quàm partium inter se aptam dispositionem, sed eas partes non format; invenit, non efficit; hinc non mirum, si eæ partes, quæ ab architecto suum esse non habent, sine ipso, imò ipso defuncto subsistant, juxta hanc legem naturæ; *Quod res quævis in eo statu maneat in quo est, donec ab alio deturbetur.* Si humana cum divinis conferre liceret, mallem comparare creaturas cum lumine, quod à sole continuò pendet; quamvis hîc dissimilia multa sint.

VII. Secundus actus providentiæ est *Gubernatio*, quæ est actio Dei voluntatis, qua omnia sapienter administrat, et non solum concurrit (si ea voce uti licet, quamvis incommoda) aut cooperatur cum causis secundis, et actionibus earum, sed et deducit res omnes ad fines suos, omnibusque ad sui gloriam utitur.

VIII. Non tantùm Deum *conservare* creaturas, sed *gubernare*, imò *concurrere* cum actionibus creaturarum, probatur, 1. Ex omnibus illis locis, in quibus actiones causarum secundarum tribuuntur Deo, quod absurdè diceretur, si tota providentiæ ratio in rerum conservatione consisteret. Loca sunt innumera; verbi gratiâ, dicitur Deus *misisse*

Josephum in Ægyptum, Gen. xlv. 7. *Cor regis habere in manu suâ, et inclinare quocunque voluerit*, Prov. xxi. 1. *Uti improbis tanquam securi, serrâ, virgâ, baculo*, &c. Is. x. 15. et xiii. 3. Quæ instrumenta non operantur ex se ipsis, nisi concurrente et manus admovente homine. Omnes istæ locutiones, si nihil aliud quàm conservationem facultatum denotarent, frigidæ admodum essent. 2. Illud idem evincitur, ex eo quod creaturæ non minùs dependent à Deo *in operari*, ut loquuntur scholastici, quàm *in esse*, nec minùs ejus auxilio indigent. Quod patebit evidenter, si observetur multas esse creaturas, quarum essentia consistit *in operatione*, verbi gratiâ spiritus, cujus essentia consistit in *cogitatione*. Quomodo enim quis conciperet spiritum perpetuò indigere concursu Dei ad suæ essentiæ conservationem, et non egere eo concursu ad suarum cogitationum productionem, quandoquidem ejus essentia, et ejus cogitationes ita arctissimè connexæ sint, ut non possint subsistere una sine alia?

IX. Verùm, quandoquidem hæc materia de *Concursu* difficillima est, quibusdam propositionibus nostram sententiam explicamus.

Prima propositio est, *Concursum* Dei non concipiendum esse, ut aliquam virtutem à Deo in creaturas transeuntem, sed nihil aliud esse quàm ipsam Dei voluntatem, quâ vult ut causæ secundæ agant, tali et tali tempore, et cum talibus circumstantiis. Omnia enim Deus facit solo actu voluntatis, *dixit et res facta est.*

Secunda propositio, Motum qui producitur in creaturis et in causis secundis Dei voluntate, non esse motum diversum à motu causarum secundarum. Non enim concipiendum est, actionem Dei concurrentis, et actionem causæ secundæ admittentis concursum, esse duas actiones diversas, ut actionem duorum hominum trahentium aliquem funem. Sed observandum, actionem seu motum qui a primâ causâ in secundâ producitur, esse eandem cum actione causæ secundæ. Concursus enim nihil aliud est quam actio causarum secundarum, quæ in iis producitur, non propriis viribus independenter à Deo; sed vi hujus actûs voluntatis, qui est in Deo, per quem dicit, *Volo*, ut talis actio fiat à tali creaturâ.

Tertia propositio, Concursum illum non esse tantùm *generalem*, atque *indifferentem*, qui à causâ secundâ determinetur, ut quidam sentiunt, qui sententiam suam explicant exemplo solis, qui indifferenter concurrit cum inferioribus

juxta eorum naturam, ita ut ab actione inferiorum operatio solis indifferens et communis determinetur; unde ejus actio uno eodemque tempore, alia indurat, alia liquefacit, quædam dealbat, alia denigrat: Nam 1. Si hoc esset, causa prima dependeret à secundâ, non secunda à primâ. 2. Decretum Dei redderetur incertum, et præscientia ejus fallibilis, quia illud et hæc penderent ab humanâ voluntate mutabili. 3. Plus ageret creatura quàm Deus, determinatio enim specialis est potior generali concursu. 4. Non magis Deus causa boni esset, quàm mali. 5. Non potest concipi, quis sit ille Dei *concursus* sive *influxus indifferens* et *communis*. Iste influxus debet habere aliquod subjectum, istud aliud non esse potest quàm voluntas; jam in ista voluntate ille influxus, vel producit aptitudinem ad agendum, vel actum ipsum. Quicquid dicatur, influxus iste non erit indifferens.

Quarta propositio, Concursum Dei prævenire voluntatem nostram, quod probatur. 1. Quia actus voluntatis Dei præcedunt actum voluntatis nostræ, siquidem Deus decrevit ab æterno quid fieret in tempore. 2. Cùm voluntas nostra ex naturâ suâ sit indifferens ad talem motum, sanè non posset certò prædici eventus, nisi à Deo moveretur voluntas.

Quinta propositio, Concursum illum nullatenus libertatem hominis evertere, ut patebit ex sequentibus, quando de modo, quo Providentia res gubernat, agemus.

CAPUT IV.

De Modo, quo Providentia res omnes gubernat.

I. Modus, quo Providentia res omnes gubernat, diversus est pro ratione objectorum, circa quæ versatur: alia enim sunt *inanimata*, alia *viventia*, alia *ratione prædita*. Quoad *inanimata* et *viventia irrationalia* nulla est difficultas; illis enim Deus talem indit naturam certis proprietatibus præditam, ut hoc vel illo objecto proposito determinatos effectus necesariò edant, ut *sol lucet*, *ignis urit*. Sic facilè concipitur à Deo gubernari, quatenus Deus eorum essentiam et vires per creationem inditas in iis conservat ac fovet, et objecta suppeditat, ad quorum appulsum vis à Deo indita, pro gradu qui inest, se exerit.

II. Quod ad homines spectat, res difficilior, sed observandum, 1. *Tria actionum genera* fieri in homine, *actiones naturales*, *actiones animales*, *actiones rationales*; circa actiones *naturales* ac *animales* versatur Deus eadem ratione, quâ diximus versari circa res inanimatas, aut circa animalia bruta quamvis fatendum, Deum peculiari modo rebus humanis consulere. De *rationalibus* aliud judicium; et observandum est circa eas, 2. *Tres species actionum rationalium* fieri ab homine, *indifferentes*, *bonas* et *malas*, Quod ad *indifferentes*, existimamus Deum ita versari, (1.) Naturam ac vires hominis conservat. (2.) Objecta offerri procurat. (3.) Objecta alia avertit, quæ possent impedire, quominus homo se applicaret ad objecta, quæ oblata sunt. (4.) Objecta ejusmodi qualitatibus vestit ac offert, ut ad agendum hoc vel illo modo determinent. (5.) Agit in animam et corpus, et utrumque, si necesse est, vel alterutrum ad agendum impellit.

Quoad *bonas actiones* eodem fere modo agere credimus. (1.) Enim etiam naturam et facultates conservat. (2.) Objectum excitandæ facultati aptum offerri curat. (3.) Verbo suo jubet ac præcipit ita agere. (4.) Spiritu suo agit in animam, et perversam ejus dispositionem emendat, redditque idoneam ad benè agendum. (5.) Quicquid posset etiam à bono proposito averterè, dispellit et removet. (6.) Flectit et movet facultates animæ ut agat. (7.) Certâ quâdam voluptate animam perfundit, dum ita agit, ut pergat agere, et ad finem suum actum perducat.

Quoad *actiones malas* peculiari capite agemus.

III. Si quæratur nunc, quomodo Providentia cum libertate nostrâ consentiat, ad id duo respondeo, 1. Etsi hoc à nobis ignoraretur, non minùs tamen credi deberet à nobis, Providentiam nos regere, et nos esse liberos, quia scimus certò nos dependere à Deo, et sumus conscii libertatis nostræ. 2. Optimè conciliari Providentiam cum libertate nostra, ut patebit, si observemus, Providentiam movere causas secundas secundum earum naturam, nec adimere ipsis suum cujusque proprium agendi modum; non cogit voluntatem invitam ad agendum, non determinat physicè, ut rem brutam et cæcam absque ullo judicio, sed rationaliter flectit voluntatem, modo ipsi convenienti. *Omnia*, inquit Augustinus, *quæ creavit Deus, sic administrat, ut etiam ipsa proprios exercere et agere motus sinat.* Lib. vii. de Civit. Dei.

IV. Rursus si quæratur, quo modo Providentiæ doctrina

cum rerum contingentiâ consentiat: respondeo uno verbo, non implicare, ut aliquid respectu causarum secundarum contingens dicatur, quod necessarium est, siquidem omnia Deus determinavit. Quod si aliquid contingens nobis videatur, id fit quia nescimus, quid Deus decrevit, et nexum rerum, quas vocamus contingentes, cum aliis.

V. Observavimus modum Providentiæ diversum esse pro diversitate objectorum. Sed præterea notamus modum illum esse diversum, quia aliquando Deus absque intercedentibus causis secundis, aliquid in mundi regimine operatur. Aliquando utitur causis secundis, inanimatis, et animatis, hominibus et angelis, non quod iis indigeat, sed quia ita placet. Aliquando juxta naturas et vires rebus per creationem inditas, et juxta ordinem semel institutum; aliquando illum ordinem non servat, sed vel inhibet, vel opera præstat miraculosa, naturæ vires superantia.

CAPUT V.

De Providentiâ Dei circa peccatum.

I. VERSARI circa peccatum Dei Providentiam, ignorare non possumus; nihil enim in mundo fieri vel inscio omniscio Deo, vel invito Omnipotente, extra controversiam positum est. Sed quomodo versetur, res paulò difficilior, imò difficillima.

II. Deum esse peccati auctorem, ut à *Simonianis*, *Florinianis*, *Priscillianistis*, *Manichæis* assertum, absit ut cogitemus, nedum dicamus cum Agamemnone Homerico, ad excusanda scelera; ἐγω δι ὐκ ἄιτιος ἐιμὶ ἀλλὰ Ζεὺς, hinc Jupiter ita conquerens introducitur de mortalibus ἐξ ἡμέων γὰϱ φᾶσι κακ' ἔμμεναι. Hoc repugnat tum *ideæ Dei*, quem ut sanctissimum Ens concipimus, tum *Scripturæ docenti*, Deum odio habere iniquitatem et sanctissimum esse. *Quomodo esset auctor eorum, quorum est ultor, nec enim Deus punire vellet, quæ ipse faceret ac probaret, nec juste punire posset, siquidem auctorem sibi Deum inscriberet*, ait Basilius.

III. Ut rectè intelligatur modus, quo Deus versatur circa peccatum, distinguemus in Peccato, ejus *initium*, *progressum*, et *finem*: hisce enim tribus temporibus cadit sub Providentiam.

IV. Circa *initium* peccati versatur Deus variis modis, *primò, permittendo.* Hoc docet *Scriptura,* Ps. lxxxi. 13. *permisi eos ambulare, ex sententia animi sui*; et Act. xiv. 16. *Deus in præteritis ætatibus sivit gentes suis ipsarum viis incedere;* et res ipsa docet, nihil enim invito Deo fit. Verùm hîc accuratè observandum, *permissionem,* non denotare approbationem; absit ut hoc dicamus de Deo. Rursus non esse concipiendam, quasi esset mera cessatio voluntatis Dei, et quasi Deus vel inscius, vel invitus, vel otiosus permitteret, quod permittit; hoc enim repugnat, et scientiæ Dei et potentiæ ejus; nihil quippe est magis Deo indignum, quàm ut vel conniventibus oculis omnia fieri patiatur, vel omnia conspicari dicatur quidem, sed brachiis complicatis torpeat. *Permissionem* hanc non esse meram non impeditionem, probatur hoc unico argumento; Quum Deus *permittit* peccatum non impediendo, vel *vult non impedire,* vel *nullum actum volitionis exerit; si nullum actum volitionis Deus exerit,* tum vel nolente Deo, vel incogitante res contingit, quod impium est. Si *Deus velit non impedire,* tum illa permissio non erit tantùm mera non impeditio, sed volitio Dei efficax, hominem sinendi uti libertate suâ, et peccato impedimentum non afferendi. *Permissio* hæc includit conservationem facultatum, et vitæ hominis, ejusque virium, quas Deus posset adimere, si vellet impedire peccatum, ut ademit vitam *Pharaoni, Sennacheribo,* 2 Reg. xix. 37. Militibus Achasiæ, 2 Reg. i. 10, 11. et ut abstulit vires ac potentiam Sodomitis, Gen. xix. 10, 11. Jerobohamo, 1 Reg. xiii. 4. Bileamo, Num. xxiii. 12, 26. et xxiv. 13. Militibus Syris, 2 Reg. vi. 18, 19. Includit quoque hæc *permissio* non oppositionem majorum virium et majoris potentiæ. Hic est *primus actus Dei* circa peccatum. Ne quæras, cur Deus permisit, nostrùm enim non est, hæc arcana rimari: permisisse certum; ratio cur permiserit ignota; hoc tantùm novimus Deum ex peccati tenebris lucem gloriæ suæ elicere.

Secundus actus, quo Deus versatur circa peccatum, est ille, per quem deserit peccatorem, eum sibimet ipsi derelinquendo, illi auferendo lucem, quâ abutebatur, et Spiritum, qui eum coërcebat retrahendo, quo fit, ut, obice remoto, ruat velut effusis habenis. Ita dicitur Deus tradidisse Gentiles cupiditatibus ipsorum, Rom. i. 24. et 28. εἰς ἀδόκιμον νοῦν, *in reprobam mentem;* ita 2 Chr. xxiv. 20. dicit Zacharias filius Jehoiadæ ad populum, *Quia dereliquistis Jehovam, vicissim dereliquit vos.* Ita legitur Deus *percutere homines amentiâ, cæcitate, et stupore cordis, aures aggravare,* &c.

Tertius actus est ille, quo offert occasiones et objecta, quæ ex se non mala sunt, sed quæ ab homine corrupto in malum convertuntur; illa autem objecta proponi procurat, sive non impediendo res, quæ sponte et naturali ordine homini se offerunt; sive peculiari quadam actione; illas autem occasiones aut illa objecta, non naturâ suâ ad malum impellere patet, quòd sæpissimè eadem objecta diversos effectus producant in diversis subjectis, ut unus idemque cibus huic suavis, alteri ingratus; huic salubris, alteri noxius, propter diversam constitutionem corporis. Sic videmus Davidem solo Bathsabeæ conspectu, ad adulterium sollicitatum fuisse; Josephum verò, ne continuis quidem heræ suæ precibus; ad id permoveri potuisse. Ad hunc actum referendus ille, quo Deus non removet peccati occasiones, et illa objecta, circa quæ peccati actum committeré vellent homines; ut impedivit, ne Saul Davidem, Achab et Jezabel prophetas, et quadraginta Judæi Paulum interimerent. 1 Sam. xix. 11, 12. 1 Reg. xviii. 4. Act. xxiii. 12.

Quartus actus est ille, quo Deus peccatori iratus, habenas diabolo laxat, qui ita solutus operatur in filiis rebellionis. Eph. ii. 2. Quomodo autem agat, peculiari tractatu, si Deo placet, explicare conabimur

Quintus actus ille est, quo Deus cogitationes quasdam in mente excitat, quæ in se bonæ sunt, sed quibus abuti possunt mali; sic vult ut Josephi fratres cogitent, eum à Patre amari; quæ cogitatio eos præ invidia macrescentes, ad funesta adduxit consilia.

V. Hæc satis clarè ex Scriptura elici possunt; sed quæritur, annon Deus aliquid ulterius præstet? hoc insinuare videntur loca multa Scripturæ, in quibus, verbi gratiâ, Deus dicitur, *indurasse cor Pharaonis, uxores Davidis Absalomo tradidisse, præcepisse Simei ut malediceret Davidi, mittere spiritum erroris.* Sanè ut meam sententiam ingenuè aperiam, dicam me illud ignorare. Plerique theologi illud explicare annituntur, dicendo Deum esse auctorem substantiæ actionum hominis per suum concursum, non verò malitiæ actionum. Ut id probent, hæc observant; 1. Non novum esse ut una et eadem actio duas habeat causas; verbi gratiâ, anima hominis claudi est principium et causa motuum illius hominis, quando ambulat, quum scilicet mittit è cerebro, ubi residet, spiritus animales in nervos, aut in musculos crurum hujus hominis; si claudicat tamen homo, anima non est causa claudicationis, quamvis sit causa incessus, ut ita loquar, sed vel cruris, vel ipsius ho-

minis mala dispositio; ita Rex est causa mortis, quæ infligitur reo à carnifice, non est tamen causa crudelitatis, quam in illa cæde exhibet, aut odii, cum quo carnifex reum antea suum inimicum occidit. 2. Actiones non posse dici essentialiter bonas vel malas, sed pro variis circumstantiis esse bonas vel malas (quod sanè saltem de quamplurimis negari nequit) verbi gratiâ, occidere, potest esse actio bona et actio mala: actio bona, si jubeatur à magistratu; mala, si ab homine privato fiat. 3. Plerosque affectus per se nec esse bonos, nec malos, ita *amor*, *cupido*, *odium*, &c. per se nihil habent mali. Deum igitur posse excitare hos affectus, nec tamen eos determinare ad malum. 4. Multas esse actiones, quæ quoad substantiam actionis sunt bonæ, sed quæ vitiosæ dicuntur, quum non actio attenditur, sed modus, quo fit actio, qui abesse potest, et qui actionem aliàs bonam, à Deo præceptam vitiat, *ut precari, jejunare, eleemosynam dare, ut ab hominibus videaris*. In iis capi potest nullo negotio, quomodo actio sit à Deo, at vitiositas ab homine. 5. Posse hæc duo distingui in ipsis peccatis omissionis. Falsum enim est, in talibus peccatis nullum esse actum. Omnis omissio vel antecedentem, vel concomitantem actum voluntatis habet, qui causa est illius omissionis.

VI. Verùm quia proponuntur certæ actiones, quæ videntur intrinsecè malæ, ut *odium Dei*, &c. in quibus est difficillimum est, distinguere actum quoad substantiam, à malitia actûs. Respondent æquè facilè in illis actionibus posse distingui actum à vitio actûs. At quia multos novi, qui hoc non possunt capere, aliquando existimavi dici posse, in iis actionibus Deum esse auctorem illorum motuum, qui eas præcedunt; verbi gratiâ, motuum, qui præcedunt odium Dei, non verò auctorem esse illius actus odii. Duo observabam ad meæ sententiæ probationem. 1. Ut odium Dei excitetur in mente mea, necesse esse ut priùs excitentur certi quidam motus in corpore, et in anima certæ cogitationes, quibus feratur ad odio habendum, quod sibi proponetur. Illi motus, et illæ cogitationes, ex se neutiquam malæ sunt, sed determinatio illarum adversus Deum, quæ sequitur, et quæ fit à nostra voluntate, est omnium peccatorum gravissimum. 2. Observabam nihil impedire, quominus Deus, sive agendo in sanguinem, sive in humores, sive in mentem, excitet illos motus, imò affectum quem vocamus *odium*. Verùm quia affectus sibi semper seligunt quædam objecta, et ut plurimùm feruntur in objecta oblata, fit ut homo corruptus, in quo affectus odii excitatus est,

de Deo cogitans, Deum, horrendo crimine, odio habeat. 3. Ne quis diceret se non capere, quomodo affectus odii possit excitari, absque ulla determinatione ad objectum; observabam, (1.) Sæpissimè contingere, ut in eo statu simus, in quo omnia nobis displicent; et quascunque res offerendas odio habere parati sumus; quamvis nihil præcisè menti nostræ obversetur. (2.) Nunquam in odium Dei cadere posse hominem, nisi multa priùs præcesserint, quæ longum nimis foret explicare.

VII. Quando quærebatur à me, cur Deus excitabat in homine talem affectum odii, ex quo novit oriturum gravissimum peccatum; quærebam vicissim, cur Deus aliquando permiserit peccatum, quod poterat impedire, cur proponi patitur objecta, quæ novit ad peccatum impulsura hominem, cur conservat facultates hominis, quibus abusurum præscit. Præterea respondebam, Deum culpari nullatenus debere; (1.) Siquidem illi affectus, illæ occasiones, illa objecta, per se non impellunt homines ad peccandum, sed per accidens tantùm, propter corruptionem hominis, cujus Deus nullatenus auctor est. (2.) Quia ad perpetrandum peccatum nequaquam cogit, imò interdicit peccatum, pœnam legem transgressuro denunciat; sed homo liberè in illud fertur, nativâ propensione. Ita aliquando nostram exponebamus sententiam; fortè quibusdam satisfaciet; sin minus in iis subsistant, quæ jam indicavimus. Atque hæc circa initium peccati.

VIII. Actus Providentiæ divinæ circa peccatum, quando fit, tres sunt. *Primus* est ille, quando Deus peccatores inscios dirigit, præter mentem illorum, ita ut in hoc potius objectum peccent, quàm in illud; non quòd malam peccandi voluntatem hominibus impiis inspiret; sed quòd ipsos ad peccandum pronos dirigat, ut malitiam suam, circa objectum, quod Deus punire destinavit, exerant: hoc patuit in Rege Assyriorum, quem Deus in Judæos ad plectendam eorum impietatem mittere volens, sortes ejus, quas consuluit, incertus, utrum in Ammonitas, an in Judæos bellum esset moturus, ita direxit, ut omissis Ammonitis, Judæos peteret.

Secundus actus est ille, quo Deus facit, ut peccatum non tendat ad finem, à peccatore intentum, sed in alium longè à Deo destinatum, quemadmodum peccatum fratrum Josephi ita direxit, ut, qui intendebant ejus exaltationem impedire, illam acceleraverint.

Tertius est ille, quo Deus limites ponit peccato, ne in

immensum excrescat, ne latiùs serpat, aut ne diutiùs duret, et illud præstat variis modis. Tum mentem illuminando. Tum cupiditates refrænando. Tum malas occasiones amovendo et aliis modis. Ita Deus non passus est, ossa J. Christi frangi, Joh. xix. 36. Josephum à fratribus, Petrum ab Herode, et Jobum à diabolo morte affici.

IX. Actus Providentiæ divinæ circa peccatum patratum varii sunt. *Primus*, est directio ad bonum finem, ut *crucifixio Domini J. C.* ad redimendum genus humanum, venditio Josephi ad conversandam familiam Jacobi. Sic *judex* leonibus et feris ad pœnam reorum, *medicus* hirudinibus non missuris cutem nisi cruore plenis, ac viperis ad curationem ægrorum utitur.

Secundus, est *punitio* hujus peccati, tum in hâc vitâ, tum in futurâ; vel *remissio* et *condonatio*. Atque hæc de hâc materiâ satis, addere tantum placet explicationem quorundam locorum Scripturæ, in quibus peccati efficientia Deo adscribi videtur.

CAPUT VI.

De variis Locis Scripturæ, in quibus peccati efficientia videtur Deo adscribi.

I. NIHIL ampliùs superest, nisi ut pergamus ad eorum locorum expositionem, quæ videntur probare Deum esse auctorem peccati (absit blasphemia dicto.)

II. Deus *primò* dicitur *excæcare*, et *indurare* homines; loca sunt notissima. Is. vi. 8, 9, 10. Matth. xiii. 14. Joh. xii. 40. Exod. vii. 3. Ut hoc intelligatur, observandum, hanc *excæcationem* et *indurationem* hominis, tribus adscribi. 1. *Homini* ipsi, Ezech. xii. 2. Jer, v. 3. Zach. vii. 11, 12. *Noluerunt attendere et averterunt scapulam recedentem, et aures suas aggravaverunt, ne audirent, et induraverunt cor instar adamantis.* Pharao se dicitur *indurasse*, Exod. vii. 13, 14. et viii. 15, 18, 32. 2. *Diabolo*, 2 Cor. iv. 3, 4. 3. Ipsi *Deo*, unde jubet prophetam excæcare cor populi, Is. vi. 9, 10. coll. cum Joh. xii. 40. *indurasse* dicitur *Pharaonem* et *Judæos*.

III. Verùm diversimodè admodum hæc excæcatio, seu induratio, tribuitur *Deo*, *Diabolo*, *et Homini*.

Homo se ipsum *excæcat* et *indurat*, cùm verbum sibi

annuntiatum audire et intelligere non vult, aut illi obedire, et se totum suis affectibus mancipat; cum duritie naturali natus est, sed ita agendo novam acquirit.

Diabolus ut *carnifex* excæcat hominum mentes objecta affectibus, quibus excæcatur mens nostra, ciendis idonea offerendo, spirituum animalium concitatione ideas peccati in cerebro excitando, at alia id genus. Quum autem dico diabolum ut *carnificem* indurare, non id volo quasi diabolus induraret tantùm homines, ut obsequeretur Deo jubenti ad instar carnificis; sed hoc volo tantùm, Deum permittendo diabolum indurare homines, eo uti tanquam carnifice, cui reus committitur; eodem ferè modo, ac dicitur *Assur virga furoris Dei.*

Deus verò ut judex iratus hominem ob præcedentia peccata, vel præsentia excæcat et indurat; quomodo autem illud præstet, si quæratur, respondemus id fieri. 1. Non *illuminando*, vel non *emolliendo* cor hominis. 2. Gratiam suam quâ abutebatur homo substrahendo, ut lucem adimit servis herus, quum videt luce ad crapulam abuti servos; ut enim, lumine subtracto, sequuntur tenebræ, tenebras comitantur cæcutientia, lapsus, offensio, cæspitatio, ita lumine rationis obscurato, et lumine qualiscunque gratiæ extincto, sequuntur tenebræ in intellectu, aversio in voluntate, pessimi in affectibus motus; mens cæcutit, conscientia sopitur, homo induratur. 3. Tradendo ipsum Satanæ, qui eum variis modis adorítur. 4. Fræna laxando cupiditatibus ejus, nec eas coërcendo. 5. Occasiones, objecta et media subministrando, quæ essent apta illi ad saniorem mentem reducendo, sed quæ ab ipso in abusum trahuntur, ut omnia in venenum convertit aranea, ac quibus cupiditates excitantur, ut aqua frigida in calcem, incidens ejus calorem magis ac magis excitat. 6. Ipsi multa beneficia corporea concedendo; ab externâ enim hâc felicitate judicans se à Deo amari, cupiditatibus mundanis implicatur magis ac magis. 7. Diu in impietate eum tolerando, aut puniendo leviter. 8. Non procurando, ut conscientia ipsius remorsu aliquo stimuletur ad pœnitentiam, hinc dicuntur peccatores, Eph. iv. 19, ἀπηγκότες, *omni sensu sive conscientiæ morsu destituti.* Ex his patet, rectè dici Deum ut Judicem indurare homines; nec dicas judicem teneri unicuique suum tribuere; nam quum Deus hominem deserit, et ipsius sensui reprobo permittit; quum tradit Satanæ, quum gratiam datam substrahit; homini malo quod suum est, et quod meretur tribuit.

IV. Exemplum hominis indurati suppeditat Pharao,

immensum ex
et illud præst
Tum cupidita
vendo et alii
Christi frangi
ab Herode, e
IX. Actus
varii sunt. *I*
cifixio Domi
ditio Josephi
leonibus et
non missuris
tionem ægro
Secundus,
in futurâ ; ve
materiâ satis
dam locorun
adscribi vide

De variis I

I. NIHIL a
locorum expo
auctorem pec
II. Deus *pr*
loca sunt notiss
xii. 40. Exod. v
hanc *excæcatione*
scribi. 1. *Homini* ip
12. *Noluerunt atte*
tum,et aures suas ag
nerunt cor instar adam
Exod. vii. 13, 14. et vi
iv. 3, 4. 3. Ipsi *Deo*, un
populi, Is. vi. 9, 10. coll. cu
Pharaonem et *Judæos*.
III. Verùm diversimodè a
induratio, tribuitur *Deo*, *Diabo*
Homo se ipsum excæcat et *i*

ed *Dei misereutis*. Etsi enim hæc ultima
faciunt, de vocatione explicares, manebit
umentum à vocatione ad electionem.
itur *quintâ* nostrâ observatione, *elec-*
ex *mero Dei beneplacito;* non enim
ribit Paulus, Eph. i. 4. et in aliis locis
Christus agit gratias Patri, Matth. xi.
sua arcana parvulis, occultaverit verò
evelatio est executio electionis) non
nisi quia Deo ita placuit.
est, Deum eligentem, duplicem res-
tris misericordis, qui miserorum mi-
omini, qui miseretur cujuscumque
quod libet; itaque si à me petatur,
ines elegerit? Respondebo hanc
misericordiæ Dei erga genus hu-
Deus noluit perire omnes, qui
o ulteriùs à me quæratur, cur
ligatur? id ita factum reponam,
im Domino, ut si aliquis petat,
as ad decus, et vas ad dedecus
in luti massâ, sed in opificis
igitur quod admiremur sum-
homines, quòd voluerit qui-
nt à Deo aversi, ac filii iræ,
næ suæ iræ telis confixos,
re posset, sed est etiam
suas creaturas dominium.
nem duo dicere, 1. Des-
onem mediorum salutis,
ejus *incarnatio*, *mors*,
1 Thess. v. 9. qui
m salutem per Chr
um exequendæ el
(2.) *Christi bene*
ustificatio, sanct
m perseverantiæ,
illis donis, nulla
ne fide neminem
tione, neminem
on suspendi à
ini decretam

quem Deus induravit. 1. Iis cumulando beneficiis, quorum mox in eo secutus est abusus; ad fastigium regiæ dignitatis evehendo. 2. Non mitigando ingenium, à naturâ ferox, natum mancipandis Israelitis, ac premendis durissima servitute. 3. Mittendo ad eum Mosem subditum Pharaonis; grave enim fuit mandatum à Deo ignoto in proprio regno per subditum. 4. Non priùs ad cognitionem sui adducendo eum, unde petebat; quis est Jehova? 5. Jubendo ut populum demitteret, quæ dimissio erat damnosa Regi avaro. 6. Signa patrando percellentia magis quàm impellentia, ut virgam in serpentem versam, vel, imitabilia à magis, vel noxia et infesta toti regno, unde indignatio regis. 7. Removendo illas plagas, quibus, si durassent, cor emollitum parùm fuisset, accidente gratiâ Dei. 8. Tradendo ipsum suis cupiditatibus, aliisque modis, qui ex supra dictis satis colligi possunt.

V. Ut hæc magis capiantur, observanda sequentia; 1. In Pharaone fuisse summum amorem idololatriæ, superstitionis et magicarum artium; hinc non poterat alium Deum colere, quàm eum qui à majoribus cultus fuerat. Ideò, cùm Moses et Aaron primùm ad eum omnipotentis Dei mandata detulerunt, existimavit superstitiosus Princeps, non ex divino numinis instinctu fuisse profecta, sed vel à Mose, et Aarone excogitata, vel à Deo minorum gentium prodiisse: in qua cogitatione confirmatus fuit, quum vidit magos suos prima signa Mosis imitari. 2. Ad secundam plagam ranarum visum fuisse Pharaonem emollitum parumper, quia sensit solum Deum Israëlis posse hoc malo eum liberare; ac proinde esse suis diis potentiorem, sed iterum statim fuisse induratum, quia ablatæ sunt ranæ. 3. Plagam pediculorum, quam magi imitari non potuerunt, illius cor non emollivisse, quia hoc malum ipsi minus visum est, quàm præcedentia, unde credidit, se quoque eo faciliùs liberatum iri. 4. Sequentes plagas potiùs indurasse eum quàm emollivisse, quia ab iis liberabatur; ita idem ei contigisse ac torrenti, qui aquarum objectis obicibus magis intumescit, at remotis repagulis majori vi exundat, vel incudi, quæ crebris mallei ictibus magis indurescit. 5. Ultimâ plagâ visum fuisse planè expugnatum, sed tamen eventum comprobasse, ne tuno quidem plane emollitum Pharaonem, quum audivit quam viam secuti erant Israëlitæ quia speravit se posse adhuc ad pristinam servitutem reducere populum hunccce, Deumque ita permisisse, quia perdere Pharaonem volebat, et ad maris rubri voragines adducere, in quibus superbus iste Rex juxtà et avarus miserè periret.

Secundò de Deo dicitur tentare homines, Gen. xxii. 1. Deut. viii. 2. Sed duplex distinguenda est tentatio, alia *bona*, alia *mala*, alia *probationis*, alia *seductionis*, *prima* tribuitur Deo; *secunda* de Deo negatur. Jac. i. 13. *Tentare* dicitur Deus, quando hominibus ea præcipit, quæ ipsorum fidem et constantiam explorant, ut quum ab Abrahamo exegit ut immolaret filium.

Tertiò, dicitur *seducere et decipere* prophetas, Ezech. xiv. 9. et *populum*, Jer. iv. 10. Sed id dicitur tantùm, quando Deus permittit homines seduci, eos tradit ipsorum tenebris, et spiritui erroris aut impostoribus, ac nullatenus eorum mentem illuminat. Locus, Jer. xx. 7. ubi propheta dicit, *seduxisti me Domine, et seductus sum*, potest meliùs verti, *pellexisti me*, vel *persuasisti mihi*; id est, ad obeundum et suspiciendum munus me traxisti. Unde simpliciter hisce verbis docet propheta, sibi divinitùs hoc injunctum munus, ista mala, Judæis vaticinandi, quamvis propter hæc vaticinia tam diras ferret persecutiones. Verba sequentia illud evincunt, nam ait, se, cùm noluisset illud eloqui, quod præscriptum fuerat, à divina Providentia eò adactum, et coactum. Et dicebam, *non recordabor ejus, neque loquar amplius in nomine ejus: et factum est in corde meo tanquam ignis ardens inclusus in ossibus meis, et laboravi sustinere, et non potui.* Vel dicendum, Jeremiam hæc protulisse ex perturbatione mentis, et ex infirmitate carnis, judicantis se à Deo deceptum, quia ex verbis Dei malè intellectis longè alia expertus fuerat, quàm existimaverat. Vel hypotheticè hæc intelligenda, quasi dixisset sacer vates; si deceptus sum, ut decipiam alios, prout calumniantur Judæi, Deus ergo me decepit; sic omnes Judæorum calumniæ in Deum recidunt. Si apud Jobum dicatur, quòd *ipsius Dei est qui errat, et qui in errorem inducit.* Job. xii. 16. &c. nihil inde concludi potest; docet enim his verbis vir sanctus, omnia à Deo pendere, neminem à viâ rectâ exorbitare, neminem alterum decipere citra Dei permissionem, nec minus conservari à Deo, *qui errat, ac qui in errorem inducit.*

Quartò dicitur Deus *dixisse* Semeï maledicere Davidi, 2 Sam. xvi. 10, 11, 12. Sed hæc verba ad literam non sunt explicanda, nec ita intellexit ipse David. Si enim credidisset, Deum jussisse revera Semeïum, sibi maledicere, non credidisset Semeïum, maledicto isto peccasse, nec injunxisset moriens Solomoni, ut in eum animadverteret. Hæc igitur verba significant Deum luculentam Davidi maledicendi occasionem occurrere fecisse, quâ Semeïus ita invitatus fuit

ad maledicendum, non aliter ac si dixisset Deus, *maledic Davidi*. Infensus erat Davidi Semeïus; nam Benjaminita ex familia Saulis erat, unde ægrè ferebat ad Davidem regnum priùs à Saule administratum devolutum fuisse; sed odium suum occultè fovebat, paratus tamen ad odium illud exerendum quacunque occasione oblata. Deus providentiâ suâ occasionem ipsi exhibet bilem suam evomendi, objiciendo ei hunc Davidem, quem oderat, in eo statu, in quo eum dicteriis proscindere absque periculo poterat, omni honore et dignitate exutum; sic non ejus malam voluntatem correxit Deus, sed in pœnam Davidis direxit, ut humiliaretur David. Quod agnoscens rex ille, hanc Providentiæ gubernationem intuitus est, quasi mandatum aliquod divinitùs datum, quòd adeò efficaciter Deus istius hominis usus fuerat operâ, non secus ac si mandato aliquo jussisset hoc modo in se animadvertere.

Quintò dicitur Deus 1 Reg. xxii. *mittere Spiritum mendacem ad decipiendum Achabum*, sed patet evidenter id ita non intelligi, quasi spiritui mendaci mentiendi libidinem indiderit. Absit; sed denotat 1. Deum in pœnam Achabi permisisse, ut à multis pseudoprophetis deciperetur, et ab iis deceptus prælium contra Syros apud Ramoth iniret, atque ibi jaculo transfixus suorum peccatorum pœnas lueret. 2. Spiritui mendaci mentiendi cupido, et operam suam *offerenti* habenas laxasse. Hæc non ad vivum resecanda patet ex variis, quæ in eo loco de Deo dicuntur.

Sextò Deus dicitur *tradidisse uxores Davidis Absolomo filio*, 2 Sam. xii. 11, 12. Verùm duo observanda sunt 1. Distinguendam esse traditionem uxorum Davidis in potestatem Absolomi, et Absolomis cum illis concubitum; prius esse à Deo, posterius ab impii et scelerati Achitophelis impulsu. 2. Non mirum si hæc tribuantur Deo: Deo placuit Davidem ob commissum adulterium punire; filio Absolomo voluit hunc in finem regni insignia tradere, Davidemque iis spoliare, hinc quòd filius potestate illâ instructus fuit, quodque Davidi vere in pœnam cadebat, Deus sibi adscribit, ut alibi sibi tribuit persecutiones contra Ecclesiam suam excitatas, quæ tamen non sine summo persecutorum peccato fiebant.

Septimò, quum 2 Thess. ii. 11, 12, 13. Deus dicitur *mittere efficaciam erroris, ut homines credant mendacio*, hoc denotat, quid Deus præstet respectu illorum, qui veritatem suam tot miraculis confirmatam relinquunt, et spernunt. Respectu enim illorum, Deus permittit ut ipsis prædicetur

doctrina falsa, concupiscentiis carnalibus blandiens, signis mendacibus confirmata. Rursus Deus permittit, ut argumenta, quæ ad mendacii patrocinium undique exquiruntur, ipsos planè à veritate divina abstrahant, nullamque gratiam ipsis confert, imò lumine concesso, quo abusi sunt, privat, traditque in sensum improbum, atque ita sibimet relicti credunt mendacio. De aliis Scripturæ locis facile ex dictis judicare.

VI. Cæterum antequam huic de Providentia loco finem imponamus: observandum, 1. Nobis esse sedulò cavendum, ne unquam adversus Dei Providentiam fremamus, et eam tanquam injustam criminemur, sed potiùs ejus vias ut sanctissimas adorandum cum Jobo, Davide, et aliis; atque ei acquiescendum humillimè. 2. Nunquam esse accusandam Providentiam, quasi esset nostrorum criminum causa, cum illo Plautino, qui dicebat, *Deus impulsor fuit;* sed nostram tantùm depravatam voluntatem, quæ nos ad omne nefas impellit. 3. Sub prætextu certitudinis eventuum à Providentia præstitutorum, ignaviæ ac torpori non esse indulgendum, aut temerariò pericula quævis adeunda; sed media à Deo ipso instituta non negligenda, quamvis nimiùm causis secundis adhærere non debeamus, quasi Deus absque mediis nos servare non posset. 4. Neutiquam nos esse debere sollicitos de rebus nostris. Matth. vi. 31. Sed in paternam Dei curam nobis esse recumbendum; media humana nec securè negligendo, nec temerè iis confidendo, et hoc Abrahami symbolum frequenter meditando, *Dominus providebit.*

VII. Liceat huic loco finem imponere hisce Arnobii lib. i. verbis, et ita Deum compellare. *O maxime, O summe rerum invisibilium procreator! O ipse invise, et nullis unquam comprehense naturis! dignus es verè, si modo te dignum mortali dicendum est ore, cui spirans omnis, intelligensque natura, et habere et agere nunquam desinat gratias: cui totâ conveniat vitâ genu nixo procumbere, et continuatis precibus supplicare. Prima enim tu causa es, locus rerum ac spatium, fundamentum cunctorum quæcunque sunt, infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus, quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circumscriptio, qualitatis expers, quantitatis, sine situ, motu et habitu, de quo nihil dici et exprimi mortalium potis est significatione verborum: qui ut intelligaris, tacendum est.*

aut sacrum; ita Judas dicitur *electus ad apostolatum*, Joh. vi. 10. vel *cooptatio* populi alicujus ad *fœdus* Dei, quo sensu populus Israeliticus dicitur *electus* à Deo, vel *discretio* illa quæ fit certarum personarum, quibus Deus dat gratiam, et quas ad gloriam ducit. *Æternum* autem esse decretum electionis dubitare non patitur Paulus, Eph. i. 4, 5, 6. ubi dicit, Deum *elegisse nos ante fundationem mundi;* non aliis enim terminis solet Scriptura *æternitatem* designare.

Secundò, observandum illam *electionem* esse certæ quorundam hominum multitudinis, ne quis omnes electos esse existimet. Non omnium autem electionem esse docet vox ipsa *electionis*, et Scriptura confirmat.

Tertiò, observandum certum esse ac definitum electorum à Deo numerum, Deo ab æterno cognitum: hoc Scriptura docet, quum ait *quorundam nomina scripta esse in cœlis in libro vitæ*, Luc. x. 20. Phil. iv. 3. *Quorundam è contra nomina non esse scripta in libro vitæ agni à fundamentis mundi*, Apoc. xiii. 8. et xvii. 8.

Quartò, observandum Deum decrevisse dare salutem quibusdam hominibus in eadem miseriæ massâ jacentibus ex merâ gratiâ: ne quis credat Deum elegisse tantùm eos quos prævidit esse aliis vel meliores, vel digniores, credituros, et bona opera præstituros. Quod autem nec fides nec bona opera prævisa sint causa electionis; probatur, 1. Quia et fides et obedientia sunt effectus electionis, non ergò possunt dici causa; esse autem effectus evincitur, (1.) Ex Rom. viii. 29. *Quos prædestinavit eos vocavit*, vocatio autem est ad fidem. (2.) Ex Eph. i. 4. *Elegit nos ut simus sancti*, non ergò quia eramus. (3.) Ex Actor. xiii. 48. *Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam*, non ergò ordinati fuerant qui prævisi fuerant crediturι. Nullibi enim vox τεταγμένος significat in Scriptura *aptos* et *dispositos*, ut patet ex aliis locis. His addi potest locus iste Pauli 2 Tim. i. 9. ubi dicit Apostolus, *Deum nos vocasse vocatione sancta, non secundùm opera, sed secundùm proprium propositum.* Si enim vocati sumus non *secundùm* opera, sed *secundùm* propositum Dei, multò minùs, *electi* sumus secundùm opera. 2. Quia, si electio esset ex prævisâ fide, aut prævisis operibus, non difficile esset respondere quæstioni, cur Deus eligat hunc, non alium? scilicet quia ille crediturus prævisus est, alius in incredulitate mansurus; quod tamen nullibi legitur apud Paulum, nec apud alios sacros scriptores, imo contrà dicitur expressè Rom. ix. 16. *non volentis neque*

currentis esse, sed Dei miserentis. Etsi enim hæc ultima verba, ut quidam faciunt, de vocatione explicares, manebit tamen semper argumentum à vocatione ad electionem.

Hoc confirmabitur *quintâ* nostrâ observatione, *electionem* pendere ex *mero Dei beneplacito;* non enim aliam causam adscribit Paulus, Eph. i. 4. et in aliis locis innumeris, et quum Christus agit gratias Patri, Matth. xi. 25. *quod revelaverit sua arcana parvulis, occultaverit verò sapientibus,* (quæ revelatio est executio electionis) non aliam causam affert, nisi quia Deo ita placuit.

Sextò observandum est, Deum eligentem, duplicem respectum induere, 1. Patris misericordis, qui miserorum miseretur, 2. Liberrimi Domini, qui miseretur cujuscumque voluerit, et de suo facit quod libet; itaque si à me petatur, cur Deus quosdam homines elegerit? Respondebo hanc electionem esse effectum misericordiæ Dei erga genus humanum, quâ misericordiâ Deus noluit perire omnes, qui perire meruerant. Si verò ulteriùs à me quæratur, cur Petrus potiùs quàm Judas eligatur? id ita factum reponam, quia ita placuit rerum omnium Domino, ut si aliquis petat, cur ex eadem luti particula vas ad decus, et vas ad dedecus conficiat figulus, nulla certe in luti massâ, sed in opificis voluntate tota est causa. Est igitur quod admiremur summam Dei misericordiam erga homines, quòd voluerit quibusdam parcere, etsi omnes essent à Deo aversi, ac filii iræ, et quamvis omnes Deus justissimæ suæ iræ telis confixos, in æterni exitii barathro relinquere posset, sed est etiam quòd suspiciamus summum Dei in suas creaturas dominium.

Septimò, observandum est electionem duo dicere, 1. Destinationem ad salutem, 2. Destinationem mediorum salutis, et illa media sunt, (1.) *Christus,* ejus *incarnatio, mors, satisfactio,* &c. Hæc docet Paulus, 1 Thess. v. 9. quum ait *Deum nos constituisse ad obtinendam salutem per Christum.* Christus igitur est *primum* medium exequendæ electionis, ut est causa meritoria salutis. (2.) *Christi beneficia, ut donum Spiritus, efficax vocatio, justificatio, sanctificatio, donum fidei, spei, charitatis, donum perseverantiæ,* quæ omnia sequetur *æterna gloria;* sine illis donis, nulla *salus* obtineri potest; unde dicit Paulus, *sine fide neminem placere Deo,* Heb. xi. 6. et *sine sanctificatione, neminem visurum Deum,* Heb. xii. 14.

VII. Hinc colligimus *electionem* quidem non suspendi à fide et operibus nostris, sed tamen salutem nemini decretam, nisi sub conditione fidei et pœnitentiæ: nam qui elegit nos

ad salutem, decrevit nos salutem non consecuturos, nisi priùs crederemus, et ejus mandatis obsequeremur.

Deus itaque neminem eligit, qui non sit crediturus, antequam consequatur salutem, ad quam destinatus est, sed non inde concludendum Deum elegisse tantùm quos prævideret crediturós.

CAPUT II.

De Electionis Immutabilitate ac Certitudine.

I. *Electio* est *certa* et *immutabilis*, quod evincitur tribus hisce argumentis:

Primum petitur ex nexu, qui datur inter electionem et gloriam, ut quotquot electi sunt, iidem etiam sint gloriâ donandi. Nexum autem hunc notat aurea salutis catena, quæ ab Apostolo nectitur Rom. viii. 29, 30. *Quos Deus præcognovit, eos prædestinavit conformandos imagini Filii sui; quos verò prædestinavit, eos vocavit; quos vocavit, eos etiam justificavit; quos justificavit, eos etiam glorificavit.* Jam si electio non esset certa, fieri posset, ut quos Deus præcognovisset non gloriâ æternâ bearet.

Secundum argumentum deducitur, ex eo quod eadem est ratio *decreti electionis*, quæ *aliorum* Dei *decretorum*, quæ sunt immutabilia, Is. xlvi. 10. *Consilium meum stabit, et perficiam omne beneplacitum meum.* Num. xxiii. 19. *Non est homo ut mentiatur, nec filius hominis ut eum pœniteat.* Jac. i. 17. *Apud eum ne umbra est mutationis.* Paulus Hebr. vi. 17. tribuit consilio Dei ἀμεταθετον *immutabilitatem. Deus volens magis ostendere immutabilitatem consilii sui, hæredibus promissionis, fidejussit jurejurando.* Si dona Dei sint ἀμεταμέλητα, Rom. xi. 29. ut ejus *vocatio*, quidni et ipsa electio. Sanè si Deus decreta mutaret, id fieret, vel quia prævidere nesciverít, quod eventurum erat, ex *ignorantiâ;* vel quia exequi non potuerit, ex *impotentiâ;* vel quia perficere noluerit, ex *levitate.* Nullum horum dici potest de Ente sapientissimo, potentissimo, et optimo, ac fidelissimo et constantissimo; μετατίθεσθαι καὶ μεταγινώσκειν πρόσεστι μὴ θεῷ, ἀλλὰ δὲ ἀνθρὶ ἀγαθῷ, ait *Maximus Tyrius.* De se Deus dicere jure meritoque potest, quod Jupiter apud Homerum; ὃ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλὸν, οὐδ' ἀτέλευτητον, ὅτι κεν κεφαλῇ κατανεύσω.

Tertium argumentum deducitur, ex eo quod nomina electorum *scripta in cœlis et in libro vitæ* esse dicuntur, Phil. iv. 3. Apoc. xiii. 8. Heb. xii. 23. Hac autem inscriptione solet Scriptura firmitatem, et infallibilem decretorum Dei executionem denotare. Hinc Christus jubet discipulos summopere lætari ; quod *eorum nomina in cœlis scripta* essent, Luc. x. 20. jam non esset tantum gaudii argumentum, si inscriptio illa facilè deleri posset ; observandum est tamen hîc, aliquem posse deleri è libro vitæ, qui antea scriptus non fuerat, quando scilicet ostenditur eum non esse scriptum qui scriptus credebatur. De fidelibus in libro vitæ scriptis, nusquam legitur eos deletum iri ; sed Deus dicit se ablaturum partem è libro vitæ illius, qui abstulerit verba Prophetiæ, Apoc. xxii. 19. *Delebitur* ille, non *qui scriptus* erat, sed qui *putabatur scriptus*, secundùm hominum existimationem ; ita dicitur pars ejus auferenda ex sancta civitate, non quam habuerat, vel habiturus fuerat, sed quam habere existimabatur. Ideò à quibusdam observatum, esse duplicem *inscriptionem*, aliam merè *humanam*, ab hominibus factam, qui pro Ecclesiæ veris membris multos hypocritas habent ; aliam *divinam*, quæ æterno, et immutabili Dei decreto facta est : qui primo modo tantùm, et ab hominibus solùm scripti sunt, delentur non rarò ; qui à Deo, nunquam. Huc quoque referendum, quod ab Hebræis notatur, observante Kimkio, *deleri* dici, qui *non scribuntur*. Nisi malimus aliam interpretationem afferre, nempe Deum interminari fideli, quòd si fieri posset, ut fidelis auferret aliquid de Prophetiæ verbis, delendum certò foret ejus nomen de libro vitæ ; sed neutrum dici posse.

II. Ex occasione hujus libri vitæ, in quo sunt inscripti fideles, non pigebit notasse. 1. Multorum librorum Dei meminisse Scripturam ; *Libri providentiæ*, de quo Ps. cxxxix. 16. *In libro tuo hæc omnia scripta sunt. Librorum judicii*, in quibus conscripta sunt singulorum hominum facta. *Libri vitæ*, Apoc. xx. 12. 2. Triplicem posse distingui librum vitæ. (1.) *Librum vitæ naturalis*, de quo Moses loquitur, Exod xxxii. 32. cùm petebat, ut *deleretur ex libro Dei*, id est ut intempestiva occumberet morte. (2.) *Librum vitæ illius, quæ consistit in communione cum populo Dei*, de quo Ezech. xiii. 9. *In concilio populi mei non erunt, et in descriptione domus Israëlis non conscribentur.* (3.) *Librum vitæ æternæ*, de quo Philip. iv. 3. Luc. x. 20. Apoc. xiii. 8. xx. 12. 3. Libros Deo tribui, metaphorâ ductâ vel à *re militari*, ubi belli Dux milites delectos

in libro consignat, vel ab *albo*, ad quod amicorum nomina referimus; vel ab *usu civili*, juxta quem nomina civium describuntur. Sed de hisce satis, è diverticulo in viam redeamus.

III. Tribus argumentis à nobis allatis pro electionis immutabilitate adjungi solet locus Pauli. 2 Tim. ii. 19. *Firmum stat Dei fundamentum, habens hoc sigillum; Deus novit qui sui sunt.* Intelligunt enim Theologi ferè omnes per *fundamentum*, electionem Dei, in qua salus tota nostra fundatur. Verùm quamvis non negemus rectè dici posse, electionem esse fundamentum Ecclesiæ et omnium fidelium, qui ad instar domûs nobis describuntur; existimamus tamen per *fundamentum* non intelligi hîc electionem, sed *verum fidelem*, qui opponitur illis temporariis, de quibus meminerat Paulus, *qui circa veritatem aberraverant à scopo, dicentes jam resurrectionem esse factam, et quorundam fidem subverterant.* Vocatur autem verus fidelis fundamentum, per allusionem ad locum Prov. x. 25. ubi dicitur *justus fundamentum perpetuum*, quia scilicet firmus manet supra petram positus; non concutitur, nec vacillat, non dimovetur ullis mundi vel Satanæ insultibus; durat quamdiu mundus, et est quasi *fundamentum mundi*. Unde Judæi dicebant στερεὰς ψυχὰς αἵτινες ἐστήκασι πεπηγυῖαι, καὶ ἀκίνητοι. Sed quamvis per *mundum stare ob justos*. Ita Chrysostomus explicat per *fundamentum*, electionem non intelligamus, putamus ex hoc loco invictum exsurgere argumentum pro immutabilitate electionis; ideo enim fidelis *fundamentum* dicitur quia electus est, et quia ejus electio est firma atque immobilis. Istud fundamentum *habere sigillum* dicitur, per *allusionem* ad id, quòd solebant antiqui fundamentorum lapidibus, sententias quasdam inscribere, boni ominis causâ; id *signum* vocabant Latini, Græci ἀποσφράγισμα; vel per *allusionem* ad id, quòd solent sigillo homines confirmare scripta quæ rata esse volunt. Istud sigillum duplex quasi emblema exhibet ad plenam confirmationem, *unum* à parte Dei, *alterum* à parte hominis; si enim fidelis caderet, illud contingeret, vel quia Deus eum desereret, vel quia fidelis impius fieret; at neutrum eventurum docet Paulus. Non *primum; novit enim*, inquit, *eos qui sunt sui, id est amat et protegit, ab æterno novit et præcognovit.* Non *secundum*, quia idem Deus curat, ut *quisquis profitetur nomen Christi*, et est ex numero suorum, *recedat ab iniquitate.* Aliam expositionem hujus loci afferre quoque possemus, sumendo vocem *fundamenti* pro *fœdere* vel *pacto* Dei; vox enim quæ apud Hebræos significat *fun-*

damentum, observantibus doctis, sumitur aliquando pro contractu. Sed de hoc loco satis.

IV. Impossibile itaque credimus, ut electus pereat, non sanè quod perire non posset, si sibimet relinqueretur, sed quia sustinet eum semper manus Omnipotentis; patitur quidem aliquando, ut in gravia peccata cadat, quæ mererentur, ut planè à Deo desereretur, sed in iis peccatis eum mori non sinit, et mirum in modum erigit.

CAPUT III.

An fidelis possit esse de suâ Electione certus?

I. Non tantùm certa est et immutabilis fidelium electio, sed et certi esse possunt se esse electos, non sanè in cœlum ascendentes, ut librum vitæ evolvant, sed in se descendentes, ac librum conscientiæ versantes, et fructus electionis in se observantes. 1. Ac revera, si fideles possunt agnoscere se habere fidem, possunt esse certi de suâ electione, quia *fides* est *electionis* effectus; at possunt agnoscere se habere *fidem*, ut locus iste Pauli 2 Cor xiii. 5. in quo explorare jubet fideles, *an sint in fide*, illud sufficienter evincit; frustra enim explorare juberet Apostolus, si id nosse esset impossibile. 2. Si fideles possunt agnoscere se esse filios Dei, tunc sequitur eos posse esse certos de electione suâ; at verum prius, &c. *major* clara est, omnes enim filii Dei sunt electi; *minor* extra controversiam posita; siquidem Paulus docet *Spiritum Sanctum testari cum spiritu nostro, nos esse filios Dei, ac proinde hæredes*, Rom. viii. 16. Annon crederet fidelis testimonio Spiritus? At si credit testimonio Spiritus, agnoscit se esse filium Dei, si se agnoscit filium, ergò de electione suâ certus est. 3. Idem confirmatur ex locis illis, in quibus dicimur, *obsignari Spiritu Sancto in diem redemptionis*. Eph. iv. 30. Quomodo enim fieri posset, ut Spiritu Sancto obsignaremur, nec tamen preciperemus? Sane tam dulcis Spiritus Sancti operatio tanto gaudio animas perfundit, ut fidelem latere nequeat; hinc dicit Johannes 1 Ep. c. iv. 13. *In hoc cognoscimus, quod manemus in ipso, et ipse in nobis, quia de Spiritu suo nobis dedit.* Jam quomodo fieri posset ut cognosceremus nos Spiritu Sancto donatos, et tamen nostram electionem ignoraremus, cùm Spiritus Sanctus non detur nisi electis. 4. Nec parùm hanc certitudinem probant

exempla sanctorum, qui de salute et electione suâ certi, omnes res creatas, non eos posse ab amore Dei separare, ne mortem quidem, constanter et maxima cum confidentiâ asseruerunt. Rom. viii. 38.

II. Varia tamen hic sunt notanda;

Primò, fidelem non semper certum esse de sua electione, nec æqualiter singulis momentis certum; certitudo enim illa sæpe concutitur in cruce, in tentationum paroxysmis, hinc querulæ voces sanctorum ad Deum, quasi eos planè deseruisset, et *dextra excelsi mutata esset.*

Secundò, multos in ecclesia certitudinem hanc malè jactare, et usurpare fiduciæ voces, quibus valdè abuti solent; unde præstat nonnunquam gemitus audire lugentis fidelis, quàm cachinnos, non tam fide quàm opinione exultantis; et sæpe fit, ut qui præsumunt, se ipsos fallunt; qui vero suspirant, et cum publicano oculos attollere reformidant, rem tamen, quam non sentiunt, habeant: alii, quod putent se habere vanâ præsumptione sibi postea eripi sentiant, justo Dei judicio.

Tertiò, non statim desperandum esse de fideli, etsi per singula momenta non sentiat Spiritus Sancti testimonium; quia ita se habet cum fidelibus divinus iste Spiritus, ut sæpius sui amoris sensu privet per aliquot intervalla, quò demissè de se cogitantes, de peccatis perpetratis ingemiscere incipiant.

Quartò, nullum esse verum fidelem, qui aliquando de suâ electione et salute non sit certus; quamvis enim ad tempus in filiis Dei sopiatur sensus gratiæ præsentis, et spes futuræ, eluctatur tamen ex illa abysso anima fidelis, quum reddit ei Deus gaudium salutis suæ, hinc si aliquando gemit, luctatur, suspirat, fluctuat, timet, paulò post canit, confidit, lætatur, et quasi prostrato hoste triumphat, hoc patet in *Davide*, in *Asapho*, in *Paulo*, et in aliis. Saltem credimus rarissimos esse illos veros fideles, qui dubitantes de salute sua moriantur.

Quintò, certitudinem illam non posse in actum exire, extra studium sanctitatis; quasi homo in peccatis perseverans, posset aut deberet sibi persuadere, se ad vitam æternam esse electum, ac certò servandum; inani enim spe se lactaret, qui talia de se cogitaret: imò è contra homo qui carnis libidinibus indulget, et in peccatum pronus ruit, se in damnationis esse statu, ac sibi æternum imminere exitium, nisi statim ad meliorem frugem redeat, existimare debet.

Sextò, certitudinem illam non esse ἀσυγκριτον cum timore illo, cum quo jubemur nostram salutem operari, Phil. ii. 12.

Timor enim non est *servilis, diffidentiæ, desperationis*, sed *filialis, humilitatis, reverentiæ* et *piæ solicitudinis*. Duæ sunt animi pestes, quæ fidem corrumpere solent, *securitas carnis*, et *animi superbia*, utrique malo medetur timor: superbiæ, *timor humilitatis et reverentiæ;* securitati *timor solicitudinis*, ad usurpanda omnia media necessaria. Ex *primo* discit fidelis humiliter de se sentire, et magnificè de Deo; ex *altero* colligit non segnescendum in via salutis.

Septimò, cautè et prudenter doctrinam istam de certitudine proponendam, ad conscientiarum afflictarum solamen, non ad profanarum securitatem, nec unquam urgendam esse, quin subinde sanctificationis et pœnitentiæ studium injungatur. Si quis quærat, quomodo de sua electione poterit esse certus; responsum hoc habeat; Deum duos libros concessisse, ex quibus illud colligi potest: *librum Scripturæ, librum Conscientiæ*. In *libro Scripturæ* delineati sunt electionis characteres; in *Conscientiæ libro* legere quis potest, an illos apud se inveniat characteres. Hi sunt 1. *Fides vera*. 2. *Odium et fuga mali*. 3. *Sincerum sanctitatis studium*. 4. *Amor Dei non fucatus*, et quidem in mediis ærumnis. 5. *Amor proximorum, etiam inimicorum*. 6. *Cor mundum fastidiens, et cœlum anhelans*.

CAPUT IV.

*De Reprobatione.**

I. DIXIMUS quibusdam destinatam fuisse salutem, et quosdam electos fuisse, non omnium itaque Deus misertus est. Illi autem, quorum non est misertus, dicuntur *reprobati*.

II. Dari *Reprobationem* quorundam hominum docet tota Scriptura; Rom. ix. 22. Meminit Paulus *vasorum iræ ad interitum aptatorum*, et Judas vers. 4. ait *subintrasse homines impios, olim ad hoc judicium scriptos*.

III. Hanc reprobationem fuisse ab æterno probatur, 1. Quia nulla est ratio, cur aliter de reprobatione ac de electione judicemus. 2. Quia repugnat Dei summæ perfectioni, aliquid fieri in tempore, de quo non statuerit ab æterno, et talia illi consilia affingere, quæ in tempore demum capta essent, et à causis secundis essent suspensa.

* Hæc vox Reprobationis, à defensoribus hodiernis compositarum in hoc codice doctrinarum, repudiatur. *Ed.*

IV. *Reprobatio* itaque est æternum Dei consilium, quo ex voluntatis suæ beneplacito quorundam hominum in eadem cum aliis corruptionis massâ jacentium, misereri noluit, sed eos in eâ, in qua jacebant, corruptione, relinquere, et propter peccata, quæ patraturi sunt, justissimo judicio, æterno exitio mancipare decrevit.

V. Duplex *Reprobationis actus* concipitur. *Primus* est ille, quo Deus quosdam negligere decrevit, et in suâ miseriâ relinquere; quod non ita intelligendum, quasi omni gratia eos privare decernat Deus, sed tantùm salutari et vivifica. *Secundus* est ille, quo Deus homines in suâ miseriâ relictos, aut naturæ, aut evangelii lumine suâ sponte abusos, meritis pœnis statuit afficere; qui dicitur *prædamnatio*, quæ duo includit, tum destinationem ad ultimum judicium, tum destinationem ad judicia intermedia, qualia sunt *induratio*, *excæcatio*, &c.

VI. Deus sub duplici respectu consideratur in decreto reprobationis, pro duplici illo actu; sub respectu *supremi Domini*, qui de suo potest facere quicquid lubet, quique figulo ex eadem massa vas ad decus, et ad dedecus adornanti comparatur: et sub respectu *summi judicis*, qui pœnam debitam jure irrogare potest. Quando Petrum præterit eligendo Jacobum, agit ut *supremus Dominus*: uterque enim meruerat relinqui; sed quando Petrum, quem in corruptione dereliquit, in omnia peccata lapsum æterno addicit exitio, agit ut *Judex*.

VII. Itaque peccatum quidem est causa, propter quam Deus quosdam præterivit homines; si enim nullum fuisset peccatum, nullus homo fuisset derelictus; sed si quæratur cur hic potius quàm ille prætereatur, dici non debet peccatum esse in causâ hujus discriminis, cùm ambo sint ex æquo peccatores, ideoque ex æquo reprobabiles, sed ad solum Dei beneplacitum recurrendum.

VIII. Non ita ratiocinandum de *secundo actu* reprobationis, quem *prædamnationem* vocavimus. Nam si quæratur, cur Antonium gravissimorum peccatorum reum impœnitentem damnat? Causa in promptu est; gravissima scilicet ejus peccata, quæ Deus ut justus Judex punit, nec punire non potest.

IX. Non eodem igitur modo judicandum de *reprobatione*, ac de *electione*; *electio* nihil supponit in homine nisi miseriam, et est *actus misericordiæ* sed *reprobatio* est actus justitiæ, quæ supponit necessariò peccatum.

X. Non est quod de Deo conquerantur homines, nodum

ut eum injustitiæ, et crudelitatis, immani blasphemiâ insimulent : non possunt conqueri quod non omnium misereatur, et aliquos in suâ corruptione relinquat, dum aliorum misereturet ex abysso peccati educit. Liberrimum enim est Ens, quod nihil debet creaturæ, nedum creaturæ peccatrici. Non habet igitur quisquam, quod jurè obganniat, et obmurmuret. *O homo, quis tu es qui respondeas Deo.* Roman. ix. 20.

XI. Non possunt conqueri quod aliquos damnet, et æternis pœnis addicat ; neminem enim actu damnat nisi peccatorem, proptereaque id jurè commeritum.

XII. Rectè Prosper super hâc materiâ fatur. *Cùm aliqui pereunt, non dubitamus ipsorum meritis deputare quod pereant, quos utique posset. Deus misericorditer liberare si vellet, et cùm aliqui liberantur non audemus definire quòd digni fuerint liberari, quos utique posset Deus justè damnare si vellet. Quare autem non omnes, aut quare illo potius quam illos liberet, nec necessarium est quærere, cùm omissis discretionis istius causis scire sufficiat, quod nec misericordia justitiam, nec justitia auferat misericordiam apud eum, à quo nemo nisi justè damnatur, nemo nisi misericorditer liberatur.*

CAPUT V.

Dexter usus Electionis et Reprobationis Doctrinæ.

I. DOCTRINAM explicuimus electionis et reprobationis, jam dexter *usus* hujus doctrinæ explicandus.

II. Duo sunt hominum genera, qui hâc doctrinâ abutuntur. Alii enim ex hâc doctrinâ desperandi occasionem hauriunt, quum aiunt, *Si non sum electus, quicquid agam perinde erit, æternum exitium me manet.* Alii peccandi licentiam sibi concedi existimant, quia arbitrantur, *quamcunque vitam vixerint, sive benè, sive malè, sortem suam nihil deteriorem fore ; si sint ad salutem destinati.* Sic hæc doctrina, duplici nomine traducitur, quasi homines à curâ sanctificationis averteret, et in abyssum desperationis deturbaret.

III. Multa sunt quibus hanc invidiam amoliri possumus.

Ac *Primum* quidem observamus adversus primum hominum genus, malè ex hâc doctrinâ ansam desperationis ar-

ripere : *De nullius salute desperandum, quem Dei patientia sinit vivere*, ut loquitur Augustinus, *ac sui ipsius minimè omnium*. Tametsi enim ante fidei et sanctificationis conscientiam, nemo potest electionis suæ certus esse, tamen multa sunt, ex quibus de electione suâ malè ominari non debet, quem Deus in evangelio quotidiè vocat, et cujus cordis ostium Spiritu suo pulsat, quæ media quantumvis non sufficiant electioni probandæ, sufficiunt tamen ad id, ut nemo se, aut alium reprobatum affirmare debeat, dicique miser aut reprobatus *ante obitum nemo supremaque funera debet.*

Secundo, observamus, malè eos dicere, si sum reprobatus, etsi credam, et sanctimoniæ incumbam, peribo. Nullum enim est hujusmodi decretum de damnandis hominibus, etiamsi credant, vitamque sanctè instituant; imò, contrarium in evangelio edictum promulgatur, *quicumque crediderit, habebit vitam æternam*, Joh. iv. 19.

Tantùm abest ut doctrina Prædestinationis, ad desperationem compellat, ut è contra suavissimus hujus doctrinæ fructus redeat, tum in *tentationibus*, sive oriantur à corruptelis seductorum, apostatarum scandalis, persecutorum furoribus; sive ab infirmitate carnis et peccatorum conscientia, tum in *afflictionibus*, sive cum Ecclesiam tyranni vexant, sive cùm necessaria vitæ præsidia deficiunt.

IV. Ad aliud hominum genus venimus, qui doctrinâ prædestinationis abutuntur ad lasciviam et socordiam carnis; dum aiunt, *si sum electus quicquid agam servabor*. Varia autem observamus;

Primò, cogitationem, non in alium quàm scelestum profanumque cadere posse: *Sum prædestinatus; ergo carni fræna laxanda:* electus Dei filius nunquam id à se impetrabit, ut quia se fuisse à Deo dilectum suspicabitur, idcirco Deum offendere velit, vel quia fuerit ad cœlestem vitam prædestinatus, ideo terrestrem ac carnalem vitam instituat.

Secundo, falsum esse electum, quicquid agat, salvatum iri. Nam idem Deus qui destinavit ad salutem, idem destinavit ad media ducentia ad salutem. Paulus vas electionis erat et ἀφωρισμένος ab æterno, itaque certò servandus erat; si quis tamen diceret, Paulum sive ad Christum conversus fuisset, sive in blasphemiis et persecutione, quam Ecclesiæ intentabat, perstitisset ad extremum vitæ spiritum, nihilominus servandum fuisse, is dubio procul falsum proferret. Quamvis igitur verum sit quemlibet electum servatum iri, falsissimum tamen est, quovis modo salvum fore. Nam quàm necessarium est electum servari, tam necessarium

salvari hâc viâ; est igitur absurdum dicere, electum servatum iri licèt impœnitentem, quia non modo electus est ad salutem, sed ad sanctitatem.

Quod confirmatur hac *tertia* Observatione, hominem non salvandum esse quia electus est, sed quia credidit in Christum, et vitam suam pro infirmitate sua, sanctè instituere conatus est, ac quantùm potuit fœderis conditiones implevit.

Tantùm abest ut hæc Doctrina ad peccatum impellat, ut è contra varia nobis ad studium bonorum operum incentiva suppeditet. Hæc doctrina amorem Dei necessariò accendit, ad sanctitatem incitat, humiles reddit, firmam in Deo fiduciam ingenerat, et sollicitudinem studiosam producit, ut pluribus evinceremus, si hujus scripti angustiæ paterentur.

CAPUT VI.

De Electione et Reprobatione Angelorum.

I. ELECTIONEM et Reprobationem angelorum, etsi Scriptura taceret, ratio ipsa doceret satis superque. Cùm enim nihil eveniat, nec eventurum sit in tempore, quod ab æterno à Deo non sit præstitutum; necesse est glorificationem bonorum angelorum, et malorum pœnam, quæ in tempore cœpit, ex aliquo Dei decreto et consilio æterno processisse.

II. Electionem angelorum non expresse docet Scriptura, nisi eò referre velimus locum. 1 Tim. v. 21. ubi angelorum *electorum* mentio fit, non tam ob eorum naturam eximiam, quàm quia à Deo, è reliquorum numero selecti sunt. Sed reprobatio malorum angelorum ex iis locis colligitur, ubi legimus ignem æternum illis præparatum, Matth. xxv. 41. Nec enim dubitare fas est, eos justo Dei judicio ab æterno esse reprobatos, quibus in pœnam peccati, Tartari supplicium infligere decrevit, cùm *reprobatio* nihil aliud sit, quàm liberum, justum, æternumque Dei decretum de creatura lapsa in lapsu suo relinquenda, abdicanda in æternum, et pro merito plectenda.

III. Super hoc argumento præstat tacere quam loqui, ne accusemur ἐμβατευειν ἃ μὴ ἑωράκαμεν, *invadere in ea quæ non vidimus*. Interim, ut dicamus, quid nobis magis probabile videtur.

Observamus *primo*, Deum non considerasse omnes angelos in eodem statu, ut consideravit omnes homines in eadem massâ corruptionis, sed eos angelos, qui electi sunt, spectatos esse, ut *stantes*, qui verò reprobati sunt, ut *lapsos*.

Secundo, electionis bonorum angelorum duos esse actus, 1. *Decretum eos confirmandi in bono.* 2. *Destinationem ad vitam et felicitatem supernaturalem.* Dico 1. *Electionem* angelorum dicere *decretum eos confirmandi in bono:* et hîc notandum angelos bonos, priusquam confirmarentur, stetisse per eas vires, quas acceperant omnes in suâ creatione; sed post lapsum malorum angelorum, in præmium perseverantiæ confirmatos ita fuisse, ut qui anteà labiles erant, amplius labi non possint. Novi quidem, quibusdam Theologis displicere, dici bonos angelos *confirmatos* fuisse à Deo, quia de hoc Scriptura silet; existimantes tamen angelos fuisse confirmatos *exemplo aliorum*, quod eos valde perculit, et *propriâ experientiâ*, quippe qui plures actus edit bonos, in iis maximè confirmatur; sed ignoscant si in eorum sententiam non eam: si non fuissent à Deo confirmati angeli, essent adhuc in statu naturali, ac proinde in statu mutabili, quia quod naturale est, mutabile est. At dicere angelos mutabiles esse, nobis non probatur. 2. Dico *Electionem* angelorum dicere *destinationem ad felicitatem et vitam supernaturalem.* Nihil enim obstat cur non eodem modo de prædestinatione angelorum judicemus, ac de prædestinatione hominum, quamvis super hac materia aliquid audacter definire sit temerarium.

Tertiò, electos non dici posse, aut confirmatos à *Christo Mediatore*, quia ubi non est peccatum, ibi non locus est mediationi. Mediator omnis supponit partes dissidentes, at nullum dissidium fuit inter Deum et angelos. A Christo ut *Deo* electi sunt, non ut *redemptore.* Nunquam vocatur Christus *mediator angelorum*, sed *hominum* tantùm, et quamvis rectè posset dici caput angelorum, quia ipsi mediatori subsunt angeli, tanquam Domino et regi, nunquam tamen id legitur, sed Christus dicitur tantùm datus Ecclesiæ soli in *caput.* Omnia, fateor, *reconciliata* dicuntur *Deo per Christum, pace per sanguinem ejus facta.* Col. i. 20. sed *omnia tantùm quæ reconciliatione indigebant*, et quæ à Deo per peccatum divisa, quod de *angelis* dici nequit. Aut si de *angelis* hoc explicare malis, hîc docebit tantùm Apostolus Christum pace facta, angelos cum hominibus reconciliasse, sic ut posita seditione, boni cives et rebelles reconciliantur, ut sub eodem principe tranquillè vitam transigant.

IV. *Reprobationem* malorum angelorum duobus etiam actibus contineri. *Primus* actus est ille, quo Deus decrevit eos derelinquere in lapsu, et ita deserere, ut non tantùm excludantur ab omni veniæ spe et salutis, sed et ab omni gratiæ participatione. In hoc actu duo observanda, 1. Deum severiùs egisse cum angelis quàm cum hominibus, nonnullos enim hominum à lapsu erigere Deus voluit, sed angelis parcere neutiquam placuit, si rationem quæras, occultam esse discito, non injustam. 2. Deum egisse severiùs cum angelis malis, quàm cum reprobis hominibus, qui, etsi à salute excludantur, non omni tamen Dei gratiâ privantur.

Secundus actus est ille, quo Deus decrevit eos severissimé plectere, et pœnas æternas ipsis infligere, ac in Tartarum detrudere. *Primò*, puniti fuerunt statim post peccatum, dejecti è cœlo sublimi; quod fortè odorati sunt Ethnici, dum Ἄτην, id est noxam, dixerunt à Jove, capillitio arreptam, de cœlo in terram deturbatam fuisse, aditu in cœlum interdicto. *Secundus* gradus punitionis angelorum, fuit tempore adventus Christi, tum enim Christus *destruxit eum qui habebat imperium mortis*, Heb. ii. 14. *Princeps mundi condemnatus est*, inquit Christus Joh. xvi. 11. *Tertius* gradus fuit, per prædicationem evangelii Apostolorum. *Contemplabar*, ait Christus, *Diabolum cadentem de cœlo*, Luc. x. 18. *Ultimus* gradus pœnæ erit, quando projicientur in stagnum ignis et sulphuris, Apoc. xx. 10, 14.

CHRISTIANÆ THEOLOGIÆ

LIBER OCTAVUS.

De Mediis exequendæ Electionis, ac primò de Christo Mediatore, et Fœdere gratiæ.

SUPERIORI Libro videmus Deum generis humani misertum, quibusdam hominibus destinasse salutem, aliis derelictis; simulque observavimus Deum decrevisse media salutis; ac *primùm* quidem *mittere Filium suum*, qui assumtâ naturâ humanâ, *Mediator* fieret inter Deum et hominem, et Deo pro homine satisfaceret: jam videndum, quomodo hoc Decretum executus sit.

Ut hæc materia ordine pertractetur, sequentes quæstiones attingemus. 1. An necesse fuerit Deo satisfieri, ut scilicet salutem nobis impertiretur? 2. An necesse, ut ipsi peccatore satisfacerent? 3. An necesse Deo satisfacere personam divinam, et quomodo id fieri potuit, cum omnes essent ex æquo offensæ? 4. Cur statim post lapsum non miserit Filium Deus? 5. Quibus oraculis promissus iste Filius? 6. Cur legem promulgari voluerit Deus ante Filii adventum? 7. In quo statu erat Ecclesia vetus ante adventum Christi? 8. An revera venit Christus et quando? 9. Cur et quomodo assumsit naturam humanam, et an sint in Christo duæ personæ? 10. Quinam fuerunt ejus status? 11. Quomodo conceptus et natus? 12. Quænam præcipuè observanda sunt in ejus vitâ? 13. Quænam fuerit ejus mors, resurrectio, ascensio, et sessio ad dextram Patris? 14. Quodnam fuerit officium Christi mediatorium, et quænam ejus munera? 15. Quale fœdus Deus inivit cum hominibus per Christum, et cur vocatur fœdus gratiæ? 16. An fœdus gratiæ jam obtinuit sub V. Testamento? 17. An Lex *moralis*, *ceremonialis*, et *politica* Judæorum locum habere debeat apud Christianos. Atque hisce quæstionibus absolvetur iste liber?

CAPUT PRIMUM.

An necesse fuit Deo satisfieri pro peccatis?

I. OBSERVAVIMUS libro superiori Christum esse primum medium exequendæ electionis. Verùm ut capiatur ratio, cur necessarium fuit Christum venire in mundum, ut nobis compararet salutem à Patre destinatam, tria sunt probanda; 1. Necesse fuisse satisfacere justitiæ divinæ, et absque illa satisfactione non potuisse Deum homines salvare. 2. Non necesse fuisse tamen ut peccatores ipsi satisfaceret. 3. Oportuisse ut persona aliqua divina satisfaceret.

II. Verùm ante omnia verbum dicendum est de voce *satisfactionis*. Vox ista crebrò à Latinis usurpata est. 1. Cum aliquem alteri morem gerere, et ejus desiderium implere, significare volebant, eum *satisfacere*, teste *Ulpiano*, dicebant. 2. *Satisfacere*, quoque is dicebatur, qui vel facto, vel verbis testabatur sibi dolere, quod alterum læsisset, ultionemque deprecabatur, his verbis; *Nollem factum, jusjurandum dabo te esse hac injuriâ indignum.* 3. Quum quis solvebat debitum, et liberabat fidem; aut quum quis solvebat, quod alius debebat, vel æquivalens, dicebatur quoque satisfacere. 4. Apud Patres omnis peccatoris pœnitentis actus *satisfactionis* nomine veniebat, et ea voce designabant imprimis publica *pœnitentiæ* testimonia, quæ ab illis, qui in grave aliquod peccatum inciderant, publicè solebant, ad fidelium ædificationem, et offendiculi dati reparationem, exhiberi. 5. In hac materia, quam tractamus, *satisfacere* sumi, pro persolvere id, quod justitia divina à peccatoribus exigebat, pro peccatorum debitis. Respondet illa vox Latina vocibus Hebraicis פדה, כפר; et vocibus Græcis, λυτρον, ἀντίλυτρον, ἀπολύτρωσις, ἱλασμός, &c.

III. His positis, ut ad primam quæstionem propositam veniamus, sanè pluribus argumentis non opus esset, ad evincendam satisfactionis necessitatem; unicum illud sufficeret petitum à morte Christi. Nam si nullatenus necessarium fuit satisfacere Justitiæ divinæ pro peccatis, ac si Deus potuit nos servare absque tali satisfactione, sanè nemo potest capere, quî factum est, ut Pater voluerit dilectissimum Filium et innocentissimum, crudelissimæ et ignominiosæ morti objicere; nec ulla ratio tam stupendæ dispensationis reddi potest, præter satisfactionem, quæ pro nobis justitiæ divinæ pendenda erat. Si unico nutu peccata omnia nostra

delere, ac veluti nubem dispellere potuit Deus; cur Filium, in quo omnis ejus *beneplacita* reposita erat, citra necessitatem è cœlo dimittit, servili forma induit, diris cruciatibus exercet? An hoc summa Dei bonitas, ac sapientia passa fuisset?

IV. Verum præter hoc argumentum, aliud suppetit, deductum à *justitiâ Dei vindicatrice*, de qua locuti sumus, quum de Dei virtutibus egimus. Ac revera, si justitia vindicatrix sit Deo essentialis, et naturalis, tunc sequitur necesse fuisse satisfacere illi justitiæ, ut daretur locus misericordiæ. At justitia vindicatrix est Deo essentialis. *Minor* à nobis probata est in tractatu de Deo: *Major* est evidens, nam cum illa justitia nihil aliud sit, quàm voluntas constans puniendi peccatum, et cum illa voluntas in Deo irrita esse non possit, necessariò pœnæ inflictionem exigit à peccatoribus, nisi alter satisfaciat pro reis.

V. Necessariam hanc satisfactionem reddit legis divinæ sanctio. Cum enim Deus mortem interminatus sit peccatori, et cum Deus sit verax et mentiri nescius, necesse est ut impleatur comminatio Dei, nisi alter Legi satisfaciat.

VI. Nec credendum, potuisse Deum de illo jure dispensare: hîc enim non est considerandus Deus ut *creditor*, qui pro lubitu potest creditum remittere, aut simpliciter ut *pars offensa*, et Dominus, qui de suo potest facere quod vult, citra cujuspiam injuriam, sed ut *Judex* et *Rector* universi, qui non potest non punire peccatum, quin se ipsum abneget, et quin Majestas legum suarum lædatur.

VII. Equidem peccata nostra dicuntur *debita*, quia scilicet, ut debitum dat jus creditori agendi in debitorem, ita et peccatum dat jus Deo in nos animadvertendi. Verùm non inde sequitur æque facilè fuisse Deo condonare peccata sine satisfactione, ac creditori remittere debitum, quia nulla fit legibus injuria, si creditor debitum remittat; at maximè læduntur leges, si peccatum non plectatur. Sanè si ex eo, quod peccata dicuntur *debita*, necessariam non esse satisfactionem liceret inferre; pari modo probaretur posse Deum dispensare homines ab obedientia, quia *obedientia* vocatur *debitum*; et similiter inferri posset, Deum sine ullo respectu fidei et pœnitentiæ condonare posse peccata, quod nullus sani capitis asserere ausus est.

VIII. Non hîc comparandus Deus terræ principibus, qui non suas tantùm, sed et publicas in rempublicam injurias, non sine singulari clementiæ laude condonant. 1. Enim non rarò principes clementiam exercere coguntur; ne crudeles censeantur, addatque *sævitia plus timoris*, *quàm*

potentiæ, ac ne subditi in eos rebellent. 2. Principes plus sæpè sibi tribuunt de facto, quam quod de jure licet; quasi de legibus pro libitu dispensare possent, quibus tamen se alligatos esse meminisse deberent, juxta illud Theod. lib. iv. Cod. de Legibus et Constit. *Digna vox est Majestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri.* Licet principibus, debita subditorum condonare, quæ absque boni publici injuria, illibatâ manente legum auctoritate condonari queunt; alia ulcisci tenentur; gladius quippe iis est commissus ut *ad iram, eorum qui male fecerunt, sint vindices.* Rom. xiii. 4.

CAPUT II.

An necesse fuit, ut ipsi peccatores satisfacerent Dei justitiæ?

I. PROBAVIMUS necesse fuisse satisfacere justitiæ divinæ pro peccatis. Verùm quæritur secundo, an necesse fuit, ut ipsi peccatores satisfacerent? Respondemus, 1. Omnes peccatores pœnam mereri, et peccatorum ipsorum punitionem esse rerum naturæ et ordini perquàm convenientem. 2. Justitiam divinam potuisse exigere, ut peccatores ipsi luerent pœnas debitas, nec, si exegisset, eos de ea conquerendi locum habituros. 3. Justitiam tamen posse de hoc dispensare, et pati ut alius in locum reorum subrogetur.

II. Ut hoc rectè capiatur, observandum est duo hæc distinguenda esse, *peccatum non punire*, et *peccatorem non punire*; repugnat justitiæ et sanctitati Dei, ut peccatum non puniatur, sed non repugnat Justitiæ, ut peccatori parcatur. Deus utpote sanctus et justus non potest non odisse peccatum; non potest autem odisse, quin puniat, quia odisse in Deo est velle punire; ergo repugnat justitiæ et sanctitati Dei, ut peccatum non puniatur; sed nec sanctitas, nec justitia Dei læditur, si peccato punito, peccatori condonetur, quia per punitionem peccati, satisfit justitiæ Dei.

III. Hic modus puniendi peccatum, et condonandi peccatori, convenientissimus est sapientiæ Dei; sic enim datur locus misericordiæ, et fit satis tamen justitiæ, si enim omnes peccatores satisfacere debuissent justitiæ divinæ, æternæ morti mancipandi fuissent, ac proinde misericordiæ nullus locus datus esset; at patiendo ut aliquis in peccatorum locum cedat, et justitiæ et misericordiæ suus locus est: justi-

tia punit peccatum,et admittit satisfactionem pro peccatore; misericordia remittit peccatori debitum propter satisfactionem justitiæ oblatam à vade, sic *satisfactio* et *remissio* in hâc re minimè sibi opponuntur, satisfactio enim fit à vade, remissio nobis fit.

IV. Non necesse itaque fuit, ut peccatores ipsi satisfacerent. Verùm quia videtur contrarium justitiæ, ut innocens pro reis plectatur. Respondemus, 1. Nec verbo Dei, nec inter gentes inauditum, ut alter peccati alterius pœnam ferat, quod probavimus, quum de peccato Adami diximus. 2. Hanc substitutionem totum cultum Leviticum docere, in quo peccatoris locum subire solebat victima, luitura pœnam mortis ei debitam. Huc pertinet solemnis ritus à peccatore usitatus, manus victimæ imponendi, et ille qui in festo propitiationis usurpabatur, in quo summus sacerdos *ambabus manibus nitens super caput Hirci Hazazel, confitebatur super ipsum omnes filiorum Israëlis iniquitates*, quas hircus ille portare dicebatur. Levit. xvi. 21, 22. 3. Illud contrarium minime esse justitiæ, si modo hæc observentur. (1.) Ut peccatum puniatur, pœna peccato *proportionatâ*. (2.) Ut ille, qui plectitur, consensum suum præbeat liberè, nec ad id ullatenus cogatur, et ut volens ultrò se in vadem offerat. (3.) Ut ille sit vitæ suæ auctor et Dominus, qui possit de ea pro libitu statuere, et citra cujusquam præjudicium. (4.) Ut λύτρον, *pretium*, sufficiens præstare possit, pro iis, pro quibus fidejubet, alias inutilis foret substitutio. (5.) Ut non pereat in supplicio; sed propriis viribus ex iis emergere possit, aliàs summa fieret injuria mundo, si homine pio carere cogeretur. (6.) Ut possit sontem ad meliorem reducere frugem, nam aliàs peccandi licentia cresceret, et maximum respublica detrimentum pateretur, si, interemptis optimis civibus, scelerati superstites essent. (7.) Ut consentiat summus judex. (8.) Ut innocens sit ejusdem naturæ cum sonte, ut peccatum in eadem natura, quæ peccavit plectatur, et sic detur satisfactionis communio.

V. Positis his conditionibus nulla fit justitiæ injuria, sed inde patet, istas omnes conditiones in Christo repertas fuisse, unde infertur, eum potuisse esse vadem generis humani. Nam 1. Ut videbimus in sequentibus, peccatum in eo punitum, et quidem pœna *infinitâ*. 2. Dominus fuit vitæ suæ, Joh. x. 18. *nemo tollit animam à me, sed ego depono eam per me ipsum, auctoritatem habeo eam deponendi,et eam rursus assumendi*. 3. Ipse lubens se obtulit, Ps. xl.

8, 9. Heb. x. 8, 9, 10. 4. Potuit λύτρον sufficiens solvere, et solvit. 5. Potuit se à tumulo suscitare, et se suscitavit. 6. Potuit peccantes ipsos convertere, et convertit. 7. Summus Judex lubenter acquievit. 8. Nobiscum conjunctissimus fuit, et quidem triplici vinculo, (1.) *Vinculo naturali*, quum, ut videbimus, carnem nostram induit. (2.) *Vinculo*, ut ita loquar, *juridico* posito, tum in *consensione voluntatum*, tum in *summi Judicis ordinatione*, quâ Christus ut sponsor nobis datus est à Patre, et nos dati Christo. (3.) *Mysticò et spirituali*, quo nobiscum Christus in unum coalescit corpus, cujus est caput et nos membra.

VI. Illustrat hæc sententia Dei virtutum gloriam. Ejus *sanctitatem* patefacit; quis enim sanctum non diceret eum, qui nullum peccatorem ad sui communionem sine satisfactione admittit; *justitiam*, quæ inexorabili rigore, peccati pœnam exegit; *sapientiam*, quæ ita saluti hominum prospexit, ut gloriæ Dei propterea nihil decesserit; et ita misericordiam explicuit, ut justitiæ tamen nihil detractum sit. Tandem immensum Dei *amorem*, qui ut nobis parceret, unigenito suo non pepercit, justum pro injustis, insontem pro reis, Filium pro servis neci tradere non detrectavit; ut et infinitam Christi *caritatem*, qui ad abjectissimam servi formam se demittere nostri causâ non erubuit, cruci affigi, ut nos redimeret, peccatum fieri, ut nos absolveret, et mortem subire, ut vitâ, ac immortalitate donaret. Hæc eadem sententia pietatem promovet, peccati horrorem auget, Dei judicis terrorem incutit, et nostrum erga Deum amorem accendit.

CAPUT III.

An necesse fuit satisfacere Justitiæ divinæ personam divinam, et quomodo id fieri potuit, quum omnes personæ essent ex æquo offensæ?

I. VIDIMUS 1. Necesse fuisse satisfieri Justitiæ divinæ. 2. Non fuisse necesse tamen, ut satisfacerent ipsi peccatores, et dari locum substitutioni. Jam expendendum, an necesse fuerit, ut persona divina se offerret?

II. Unicum argumentum illud evidenter probat: peccatum meretur pœnam infinitam, quia scilicet infinitam majestatem læsit, ergò si perfectè satisfaciendum fuit, opus fuit satisfactione infinita; at infinitè satisfacere non potest, nisi qui infinitus est: hinc cum nemo vel ex angelis vel ex

hominibus, sed unus Deus infinitus sit, nemo etiam præter Deum *sufficienter* pro nostra redemptione satisfacere potuit.

III. Necesse itaque fuit, ut persona divina pro peccatoribus se offerret, sed quandoquidem omnes personæ erant ex æquo offensæ, capi non potest, quomodo una satisfacere potuerit: absurdum enim videtur eundem sibimet satisfacere. Observandum igitur, *primò*, absurdum quidem esse eundem sibimet satisfacere, quando agitur de satisfactione privatâ, quâ compensatur damnum privatum. Nam revera hoc scenam saperet, si aliquis de suo acciperet, et sibimet solveret, sed non esse absurdum, quando agitur de satisfactione publicâ; ut si quis incurrit in mulctam, potest magistratus mulctam pro illo solvere, ut legibus satisfaciat. Zaleuci legislatoris Locrensis factum est notissimum, qui pro altera parte pœnæ filio suo debitæ ultrò venit; atque ita *æquitatis admirabili temperamento, se inter misericordem patrem et justum legislatorem partitus est;* ut scitè Val. Max. Notum etiam, quod olim Menenius Agrippa præstitit inter senatum et plebem Romanam. Judex ipse potest fieri reus legis violatæ, ac semet ipsum damnare, tunc sibimet tanquam reus judici revera satisfaceret. Nihil ergò impedit, quominus aliquis sibimet satisfaciat. Ac proinde non mirum est, si dicamus personam divinam potuisse satisfacere sibimet ac Majestati divinæ, quia in hâc materiâ Deus non est spectandus ut persona privata, sed ut persona publica, ut Dominus et Judex, et ut Rector universi, cujus est majestatem legum sartam tectamque tueri.

IV. Præterea observandum, hæc duo non esse *idem*, esse *personam offensam*, et esse *mediatorem*, nisi quando persona offensa offendentis ultimum exitium poscit; at quum pars læsa hoc unum postulat, ut tantùm injuria illata reparetur, tunc pars offensa potest fieri mediatrix, et injuriam illatam reparando, veniam peccati offendenti procurare. Jam Deus hoc unum exigebat, ut injuria majestati divinæ illata repararetur. Fieri igitur rectè potuit, ut una ex personis divinis, licet offensa, media intercederet inter numen offensum, et homines offendentes.

V. Verùm, quia aliquis à nobis quærere posset, an necesse fuerit secundam personam satisfacere? Respondemus nos planè ignorare, an non alia persona potuisset satisfacere, sed nos certò scire convenientissimum fuisse, ut Filius mitteretur à Patre, et ut Spiritus applicaret salutem à Filio acquisitam.

CAPUT IV.

Cur statim post lapsum Deus non misit Filium, et quibus oraculis promissus?

I. NECESSE fuisse Deo satisfacere personam divinam ostendimus at non necessarium fuit, ut Deo hæc satisfactio offerretur statim post lapsum: et ut Deus mitteret illicò Filium, imò placuit sapienti Deo ad plura secula Filii incarnationem differre, ut homines præpararentur ad ejus adventum et longâ præconum serie, de re adeo stupendâ, monerentur, imò ut de peccatorum gravitate, ac de naturæ impotentiâ, mediorumque omnium humanorum inutilitate convicti, necessitatem remedii agnoscerent, et ad medicum clamarent. Decuit etiam tanto regi viam præparari, ut *tantò majorem in nobis generaret fidem ejus adventus, quanto prædicatio ejus antiquior et uberior præcesserat*, ut verbis *Leonis* utar.

II. At quamvis illicò post lapsum non venit Mediator, statim tamen post peccatum promissus est, et eò clariùs promissus est, quo propiora fuerunt ejus adventus tempora. Fore hominem istum mediatorem docuit *primum oraculum*, Gen. iii. 15. *Inimicitiam pono inter te et mulierem hanc, similiterque inter semen tuum, et semen mulieris, hoc conteret tibi caput, tu autem conteres calcaneum.* Ex *Abrahamo* nasciturum docuit promissio facta isti patriarchæ, Gen. xxii. 18. *Benedictæ erunt in semine tuo omnes gentes.* Ex *Jacobi* progenie, imò ex Judâ nasciturum, prædixit Jacobus, Gen. xlix. 10. *Non desistet sceptrum à Jehuda, neque legislator è pedibus ejus, usque dum veniat Scilo.* Ex *Davidis* familiâ oriturum prædixit Isaias xi. 1. *Prodibit virgula è trunco succiso Iischai, et surculus è radicibus ejus efflorescet*, et Jer. xxiii. 5. *Ecce dies venturi sunt*, dixit Jehova, *quibus excitabo Davidi germen justum, qui regnabit rex, secundabiturque, et exercebit jus et justitiam in terra, diebus ejus servabitur Jehuda, et Israël habitabit securè, atque hoc nomen ejus est, quo vocabit eum Israël, Jehova justitia nostra.* Ex *virgine* nasciturum dixit Isaias vii. 14. *Ecce virgo concipiet filium, et vocabitur nomen ejus Immanuel.* Bethlehemi id factum iri prædixit Michæas v. 2. *At tu Bethlehem Ephratæ, minima ut sis in ducibus Jehudæ, ex te mihi prodibit futurus Dominator in Israële; cujus exortus inde a diebus seculi sunt.* Passionem prænuntiavit Isaias liii. in

toto capite. Tempus adventus designavit Daniel ix. 23, 24, 25, 26. Cætera oracula non refero, quæ vel miracula Christi, vel ejus crucem, vel acetum et fel, quo potatus est in cruce, vel triginta nummos, quibus venditus est, vel divisionem ejus vestium, vel ejus resurrectionem præsignificaverunt, siquidem ubique prostant.

CAPUT V.

De Lege.

I. ANTEQUAM Deus mitteret Filium, voluit Legem suam hominibus dare. Equidem ex quo Deus condiderat hominem, legem naturalem in ejus corde indiderat. De qua lege locutus Cicero in Orat. pro Milone, dum dixit esse *quandam non scriptam, sed natam legem, quam non didicimus, accepimus, legimus: verùm ex natura ipsa accepimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* Eam legem vocabat M. Antonius Imp. lib iii. 16. τον ἔνδον ἐν τῳ στήθει ἱδρυμένον δαίμονα, *Genium intus in pectore situm* Verùm eandem legem iterum promulgari voluit Deus, partim ut lex ea naturalis magis ac magis confirmaretur, ac ne reliquæ, quæ supererant, notiones hominum malitia et vanitate diffluerent; partim ut clarius et distinctiùs hominis officium declararet; partim ut corrigeret eas notiones, quæ per peccatum corruptæ erant; partim ut renovaret eas, quæ obliteratæ erant.

II. Deus ipse voluit hanc legem promulgare, et quidem non aliam fuisse personam quàm Dei Filium, Angelum magni consilii, insinuare videtur Stephanus, dum Mosem ab *Angelo*, *Angelo* scilicet *fœderis* accepisse verba vitæ dicit. Act. vii. 38. Idem enim ille Angelus est, quem dixerat apparuisse Mosi in rubo vers. 35. quique se Deum Abrahami, Isaaci, ac Jacobi esse dixerat.

III. Administri fuerunt angeli; Act. vii. 53. Gal. iii. 19. quorum catervis stipatus ille cœlestis militiæ princeps, adhibito igne, fumo, procellis fulgetris præsentiam suam testatam fecit. Atque ita placuit Deo augendæ majestatis ac sanctitatis legis hujus commendandæ causâ, et ut doceret homines, legem esse mortis ministerium.

IV. Locus fuit mons Sinaï sive Horeb in Arabiæ arenis situs. Tempus fuit ab exitu populi, et celebrato paschate,

dies quinquagesimus; unde Pentecostis nomen; et Moses ille fuit, qui tabulas fœderis à Deo per angelorum ministerium exceptas, ad Israelitas detulit; apud eosdem Dei voce consternatos internuntii officio defunctus. *Lex per Mosem data est.* Joh. i. 17. Celeberrimus Huëtius observat ferri in memoriis Brachmanum, legis suæ codicem à Deo supra montem de nube traditum; sed alium legum codicem in prima mundi ætate Deum dedisse, notatque Brachmanes suum decalogum habere Mosaici planè consimilem, ejusque accuratas interpretationes; quibus inesse aiunt vaticinium illud, fore aliquando, ut unica lex ubique vigeat.

V. *Lex* non tantùm pronuntiata fuit, sed *scripta.* Scribere voluit Deus, ut non oblivioni traderetur. Plerique Theologi observant, Deum ipsum scripsisse, 1. Ut ostenderetur præstantia divinæ legis supra alias. 2. Ut innueretur solius Dei esse opus, legem mentibus insculpere, non hominis. Rursus iidem observant *sculptam* fuisse, ad notandum perpetuo obligare legem moralem homines: *In lapide sculptam;* non modò ut *fundamenta legis semper manerent incorrupta* quæ fuit *Abarbanelis* sententia; sed ad nos docendos lapideum esse cor hominum naturâ: tandem *ab utraque parte scriptam,* ut caveretur ne quid adderetur vel demeretur. Hæc verbo indicasse et retulisse sufficit.

VI. Lex per Mosem lata *triplex* fuit; *Moralis,* quæ agit de officiis erga Deum et proximum in duas tabulas divisa; *Cæremonialis,* quæ de cæremoniis seu ritibus circa sacra sub veteri Testamento observanda tractat; *Judicialis* et *Forensis,* quæ civilem populi Israëlitici gubernationem constituit.

VII. Triplici voce designant Hebræi has tres leges מצות *præcepta,* חקים *statuta,* משפטים *judicia,* LXX. ἐντολαὶ, δικαιώματα καὶ κρίματα, In novo Testamento, ἐντολαι καὶ δικαιώματα, Rom. ix. 14. De quibus tamen vocabulis notandum, ea sæpe esse synonyma, et promiscuè sumi.

VIII. Lex *Moralis* respicit populum Israëliticum quà homines; *cæremonialis* ut Ecclesiam V. T. expectantem Messiam promissum; *forensis* ut populum peculiarem. *Lex cæremonialis et forensis,* legi *morali* ancillantur. *Cæremonialis* primæ tabulæ, *forensis* secundæ præcepta determinat, ac proinde illa Deum immediatè; ista proximum respicit.

IX. Maximum discrimen est inter triplicem hanc legem: *Moralis* fundatur maxima saltem ex parte in jure naturali Dei: jus autem *naturale* vocamus, quod in naturâ ipsâ Dei

justissimâ et sanctissimâ fundatur; Ita verbi gratiâ hoc præceptum, quod est summa legis, *Amabis Deum tuum*, in ipsa natura Dei fundatur; alias posset Deus præscribere sui odium, quod implicat, implicat enim ut Deus jubeat summum bonum odio haberi. Sed aliæ leges in jure Dei positivo fundantur. Jus autem positivum dicimus, quod à solâ Dei voluntate pendet. De Morali dicebat Maimonides, si non scripta esset æquum fore ut scriberetur, de aliis verò, si lex non extaret, ea quæ iis adversantur, omninò mala non fore. *Moralis* naturâ notâ est, unde à Gentibus ipsis ignorata non fuit, quamvis longè purior a divino fonte manarit. *Cæremonialis* in naturalem hominis intellectum non cadit; et quoad *judicialem*, etsi in generalibus præceptis suis, naturali ratione nitatur, tamen quoad peculiares conclusiones à Dei voluntate unicè dependet. *Moralis* est immutabilis et æterna, quamvis omnia præcepta legis moralis non ejusdem sint generis. Quædam enim fundantur in natura ipsa et sanctitate Dei, cujus proinde contrarium velle aut præcipere non posset, quin se ipsum abnegaret. Ita Deus non potest præcipere, ut alium Deum pro vero Deo habeamus, ut idola colamus, ut ejus nomen profanemus, ut mentiamur. Quædam fundantur in ipsa natura rerum, juxta constitutionem à Deo factam, quæ potuit Deus immutare in certis casibus, sed quæ tamen ab homine mutari nequeunt, ut *occisio* hominis, et *contrectatio rei alienæ* possunt fieri licitæ accedente mandato divino. Ita de *obedientiâ* parentibus debitâ ratiocinandum; Deus enim jubet, ut si quid parentes legi suæ contrarium exigant, ipsis non obediatur. Quoad determinationem peculiarem diei septimæ, quæ mandato quarto legitur, notum est esse *juris positivi*. Lex *cæremonialis* et *politica* sunt *mutabiles* et *temporales*. Lex *moralis* vocatur decalogus, quia in decem præceptis continetur. Lex *cæremonialis* dicitur à Paulo, *Lex præceptorum in placitis*, Eph. ii. 15. Col. ii. 14. Lex *judicialis* simpliciter designatur per *Judicia*.

X. De lege *morali* dicemus, quum de sanctificatione nostrâ agemus, ac bonis operibus; hoc unum est observandum posse definiri. *Regulam morum cum sanctione præmii vel pœnæ.*

Verùm ut de *cæremoniali*, et *judiciali* verbum hic dicamus. Observamus 1. Legem cæremonialem datam fuisse, tum ut Israël ab aliis distingueretur populis, unde vocatur paries intergerinus, Eph. ii. 14 tum ut futura, et imprimis Christum adumbraret; tum ut ita tanquam freno coërceren-

tur Israëlis posteri, ne ad gentium superstitiones deficerent. 2. Generatim occupari circa res et personas sacras. Res autem *sacræ* dicuntur, quæ ad usus sacros destinantur, profanis usibus exemtæ; suntque vel *donaria*, vel *sacrificia*. *Donaria* erant oblationes, rerum vitæ expertium, quæ terrâ natæ, homini uel alimentum ad vitam, vel condimentum ad hilaritatem, vel medicamentum ad sanitatem subministrabant, ut *panis*, *vinum*, *oleum*, *sal*, *thus*. His adjungenda est *pecunia*, quæ solvebatur, in redemptionem vitæ, à maribus annum vigesimum superantibus. Ea tamen *capitatio* non perpetua, sed temporaria fuit ad instaurationem tabernaculi singulariter imperata.

XI. *Sacrificia* erant *oblationes* rerum animatarum, et duæ erant *species*, alia enim erant *hilastica sive propitiatoria*, quibus expiabantur *peccata* et *delicta*, quæ vel ab *imprudentibus* admissa, vel à *scientibus* contra conscientiam. Alia *eucharistica* sive *pacifica*, quæ pro beneficiis vel acceptis vel speratis offerebantur, et in *gratulatoria*, *votiva* et *voluntaria* distinguebantur.

XII. Quidam aliter in octo species distribuunt *sacrificia*; 1. *Holocausta*, quæ tota igne consumebantur. Levit. i. 10. vi. 9. xii. 6, 8. 2. *Munera*, quæ constabant ex simila, cui affundebatur oleum, addebanturque thuris odores. Levit. ii. 1, 2, 3. Illis mel aut fermentum admiscere nefas, sed sale salienda erant. Levit. ii. 13. 3. *Sacrificia pacifica*, Levit. iii. 1. vii. 11. in tres partes dividebantur, prima Deo, altera sacerdotibus, tertia offerentibus ad epulum in templi atriis cadebat. 4. *Sacrificia pro peccato*. Levit. iv. 3. [illegible]. Plerique offerebantur pro impuritatibus ceremonialibus, vel levioribus quibusdam noxis, aut etiam pro gravioribus, modò non ex superbia aut elata manu facta, sed ex ignorantia seu infirmitate, commissa essent. Numer. xii. 25. col. cum Levit. vi. 4, 6. 5. *Sacrificia pro delicto*, [illegible], Levit. v. 1. pro certis quibusdam peccatis. Horum sacrificiorum domini manus hostiæ imponebant, ac delictum coram Jehova ad templi ostium fatebantur, et si in proximum peccassent, ob illatam injuriam satisfacere debebant; pauperes turturum par offerebant, aut duos columbarum pullos, Levit. v. 7. Pauperiores decimam similæ sine oleo ac thure. 6. *Sacrificium consecrationis sacerdotis* in die electionis suæ, Levit. vi. 10. 7. *Sacrificium mundationis*, illis qui à variis immunditiei speciebus erant purgati. 8. *Thymiama, sive suffitus super altari aureo*, Exod. xxx. 7,

XIII. Rebus *sacris* accedunt *locus* et *tempus*. *Locus* ex Dei ordinatione, 1. *Tabernaculum* fuit, in quo ut coli se Deus præcepit, ita præsentiam suam signis adspectabilibus exhibuit; in eo erat *arca fœderis*, *altare holocausti et suffitus*, *mensa* cum *impositis panibus et acerris*, aliaque cultus cæremonialis instrumenta, 2. *Templum Solomonis*.

XIV. Ad *Tempus sacrum* pertinent, 1. Juge sacrificium quotidie mane et vesperi offerri solitum, inter duas vesperas. 2. *Sabbathi* sive septimæ Diei festivitas. 3. *Neomeniæ*, quæ singulorum mensium calendis celebrabantur. 4. *Anniversaria*, quæ quotannis recurrebant; *festum Paschatis* in liberationis à servitute Ægyptiacâ memoriam; *Pentecostis* ad recolendum beneficium datæ legis. Vocabatur *festum septimanarum* Exod. xxxiv. 22. quia septem septimanæ à paschate numerandæ erant, et festum *messis*, quia circa illud tempus fieri incipiebat in terra Canaan. Exod. xxiii. 16. *Festum tabernaculorum* in tuguriorum deserti commemorationem: in illud ultimum tria alia incidebant, *festum tubarum*, quod ab aliis neomeniis non differebat, nisi celebritate majore, propter novi anni initium. Levitic. xxiii. 24. Numeror. xxix. quod die primo septimi mensis, quô annus Judæorum politicus inchoabatur, celebrabatur. *Festum expiationis*, quod septimi mensis decimo die habebatur, quôque Pontifex Sanctum Sanctorum ingrediebatur. Tandem *festum collectæ*. *Primum* de anni civilis initio; *alterum* de condonatione idololatriæ circa aurei vituli cultum; *tertium* de vectigalibus sacris persolvendis commonebat. 5. Alia festa post certorum, annorum intervalla recurrentia, ut *annus Sabbathicus*, septimo quoque anno rediens, in quo culturæ dabatur intermissio, et *jubilæus* quinquagesimo anno recurrens, in quo manumittebantur servi, remittebantur debita, et bona vendita ad Dominos revertebantur.

XV. Præter hæc *festa* divino jussu instituta, alia accesere; ut *jejuniorum* quidam dies in memoriam exilii Babylonici, Zach. vii 3, 5. et viii. 19. Festum *Purim* seu sortium. Esth. ix. Festum templi *encæniorum* in memoriam repurgationis à Juda Maochabæo peractæ. 1 Macchab. iv. 59. Joh. x. 21.

XVI. *Personæ sacræ* illæ dicebantur peculiariter, quæ ex vocatione et consecratione peculiari ministerio sacro vacabant: et erant aliæ extraordinariæ, ut *Prophetæ*, qui vel ad constituendam Ecclesiam, vel ad eam collapsam restituendam divinitus excitabantur, ac futura prædicebant, et per visiones, somnia, aut internum Spiritus Sancti affla-

tum ad prophetandum excitabantur. Aliæ *ordinariæ*, quales primò *Sacerdotes*, quorum unus summus erat sacerdos, cujus singularis *consecratio*, singularis *ornatus*, singulare munus fuit, et qui quotannis tantùm semel et solus in sanctuarium ingrediebatur, ut sua et familiæ suæ, et totius populi peccata non sine sanguine expiarentur. Alii erant *inferioris ordinis*, qui sacra faciebant, lampadas in templi atrio instruebant et accendebant, aram emundabant, cineres everrebant, profanos, impurosque à templi limine arcebant, quolibet Sabbatho panes sacros recentibus permutabant, odores adolebant, manus populo cum benedictione imponebant, et una cum summo sacerdote perpetuæ successionis serie, ex Aaronis familiâ orti, per filios ejus Eleazarum et Ithamarum descendebant; in classes viginti quatuor fuere distincti, quarum singulæ per vices hebdomadum sacris operabantur. Secundò *Levitæ*, qui ejusdem tribus erant, et loco primogenitorum assumpti, sacerdotibus præstò erant, in vasorum sacrorum emundatione, mactatione pecudum et panum appositione. Tres familiæ Levitarum erant, *Kahatitæ*, *Gersonitæ*, et *Meraritæ*; *Kahatitarum*, curæ arca ac vasa omnia sacra erant tradita; *Gersonitæ*, tabernaculi vela, aulæa, et exteriora tegumenta servabant. *Meraritæ* asseres, columnas, reliquamque molem. Numer. iv. 4, 25, 26, 31, 32. Deo consecrabantur Levitæ, uno mense à nativitate impleto, Numer. iii. 15. coll. cum 40. Ubi ad vicesimum quintum annum pervenissent, manuum impositione initiabantur, Numer. viii. 24. Ubi trigesimum annum attigerant, transportatio tabernaculi ipsis permittebatur, Numer. iv. 47. Anno tandem quinquagesimo rude donabantur, id est à gravioribus tabernaculi ministeriis liberabantur, Numer. viii. 25, 26. Tertiò *Nazarei*, quorum alii *votivi*, alii *nati*, sive divinitùs imperati, qui ab omni potu inebriante abstinebant, capillum non tondebant, peculiaremque sanctimoniam observabant, Numer. vi. 5.

XVII. Quoad *Legem politicam*, instituta fuit 1. Ad directionem populi Dei; 2. Ad distinctionem ab omnibus aliis populis. 3. Ut vindicaretur lex moralis et cæremonialis à contemtu. 4. Ut regnum Christi spirituale adumbraret. Versatur etiam circa *personas*, et circa *res*. *Personarum* duo constitui possunt genera, *magistratus* et *subditorum*. *Magistratus* alii fuerunt ad tempus, alii perpetui; ad tempus ut *judices*, qui in Samuële defecerunt; *reges* stirpis Davidicæ, qui in *Zedecia* etiam desierunt. *Perpetui*, qui manserunt, quamdiu mansit politica Judaïca;

alii *superiores*, ut LXX. seniores, alii inferiores ut principes 1. *Tribuum*, 2. *Familiarum*, 3. *Civitatum*, in *chiliarchos*, *centuriones*, *pentecontarchos*, et *decuriones* subdistincti.

XVIII. Duplex erat *judicium*, aliud supremum, aliud subalternum. Illud erat seniorum LXX. Sanhedrim dictum, cujus sedes regni metropolis fuit. Cogebatur vel à rege, aut à duce populi, vel à pontifice. Hoc Synedrium judicabat de falsæ prophetiæ crimine ac perduellionis; delicto totius tribus, vel pontificis maximi. Subalternum fuit, tum *triumvirorum*, qui pecuniarum et injuriarum causas cognoscebant, tum *viginti trium*, qui de rebus capitalibus judicabant.

XIX. Pœnæ quæ decernebantur in judiciis erant, vel *capitales*, ut *lapidatio*, *combustio*, *strangulatio*, *decollatio*. Ita agebatur cum *incestuosis*, *sodomitis*, *filia Sacerdotis scortante*, *blasphemis*, *idololatris*, *adulteris*, *homicidis*. Nonnulli his pœnis addunt *demersionem* καταποντισμὸν; ita Drusius ex Hieronymo; alii pœnam *dimembrationis*, sit venia verbo, quam patriæ proditoribus et pactorum violatoribus inflictam volant; alii crucis ipsius supplicium, ut Galatinus, Baronius, Spondanus, Gretserus, Lipsius, negantibus Scaligero, Morneo, Casaubono, Drusio, Munstero, Gherardo, Grotio, aliisque; alii *scaphæ* pœnam ex voce סְפָה, Jer. xxix. 26. ut Junius, quam vocem tamen per compedes manicasque exponunt Rabbini. Aliæ pœnæ *non capitales*, ut membri alicujus amputatio, quadrupla restitutio, venditio, exilium. Testes in plectendis damnatis manum primi applicabant, et quando ad fustuarium damnabat judex, numerum plagarum quadraginta non licebat excedere.

XX. Res circa quas versatur lex forensis erant vel *ecclesiasticæ*, vel *œconomicæ*, vel *politicæ*; leges de his tribus continet *Lex forensis*. Leges *de rebus ecclesiasticis* spectant aut *ipsam religionem*, aut *bona ecclesiastica*; leges de *rebus œconomicis* agunt de *conjugiis*, *hæreditatibus*, *usuris*; leges de rebus *politicis* sunt vel *pacis* vel *belli*. Atque hæc de triplici lege satis.

De lege orali Judæorum figmento nihil hîc dicemus; ridetur et ipsa à nonnullis Judæis. Alii dicunt eam Mosem accepisse in monte Sinai præter duas tabulas, et fuisse propagatam ad posteros, à Mose ad Josuam, mox ad judices, mox ad Prophetas, tum ad Esram et viros synagogæ magnæ, hinc ad scribas et sapientes, Antigonum Sochæum, Josuam Perachiæ, Schemaiam, Hillelem et Schammai usque ad R. Jehudam compilatorem Mischnaioth.

CAPUT VI.

Cur Deus Legem suam dare voluit ante adventum Filii.

I. Si quæratur, cur Deus voluit dare legem suam hominibus, ante incarnationem Christi, respondemus id factum, non ut homines à reatu aut à servitute peccati liberaret, sed ut præpararet homines ad Filii sui adventum, et ejus adventus necessitatem doceret.

II. Dico, non id factum ut homines à reatu aut à servitute peccati liberaret; hoc patebit attendenti, 1. Cæremonias non potuisse homines purgare, erant enim externi et corporei ritus, qui carnem tantùm attingebant. 2. Non potuisse expiare peccata, siquidem nullam habebant proportionem cum peccatis patratis, cum Deo offenso, et cum homine peccante; observante Paulo, fieri non posse, ut sanguis taurorum et hircorum auferat peccata, Heb. x. 4. 3. Legem moralem nulli pollicitam esse peccatorum remissionem, sed et contrà transgredientibus maledictionem denuntiasse. 4. Legem destitutam fuisse idoneo auxilio ad dominium peccati infringendum, imò potiùs irritare cupiditates quam sedare.

III. Dico igitur legem potius datam, ut homines ad Christi adventum præpararet. Ut hoc capiatur, observandum est, ut homines ad Christi adventum præpararentur debito modo, et talem adventum expectarent avidi, necesse fuisse, ut cognoscerent. 1. Dei majestatem summam, quâ superat omnes res creatas. 2. Officia, ad quæ obligantur homines erga eam summam majestatem. 3. Pœnarum severitatem, quas interminatur legum suarum transgressoribus. 4. Gravitatem peccatorum, quæ patrarunt, et quibus se æternis pœnis dignos præstant. 5. Eorum impotentiam, tum in præstandis iis, quæ præstare debent, tum in placandâ justitiâ peccatis offensâ. Jam hæc omnia docebat lex. Erat *speculum*, in quo homo Dei judicis majestatem et justitiam contemplabatur, suam impotentiam, iniquitatem, et ex utraque maledictionem cognoscebat; *fulgura, tonitrua, flammæ, tubarum clangor, terrificus apparatus*, cum quo lex promulgata est *majestatem* legislatoris docebant. *Præcepta*, quæ lex continebat, officium homini demonstrabant, *fac hoc et vives;* et facilè dijudicare poterat, quid à Deo expectare debebat, ex his verbis, *maledictus qui non permanserit*, &c. hæc omnia arrogan-

tiam homini innatam deprimebant, et de suâ salute desperantem adigebant ad quærendum suis malis remedium. Hoc autem remedium Christus est; sic lex *pædagogus* ad Christum fuit, non per se, quia lex Christum ignorat, sed ita dirigente Deo.

IV. *Cæremoniæ* legales homines etiam ad Christum adducebant, et quidem variis modis, 1. Quia erant typi et umbræ Christi, ejus officiorum et beneficiorum. Quid summus sacerdos? imò quid sacerdotes omnes? quid Nazaræi? quid sacrificia, quid victimæ? quid arca? quid tabernaculum? sanè erant omnes Christi Salvatoris typi. Hæc non probamus, angusti enim, intra quos nos coarctamus, limites, illud non patiuntur; sola harum cæremoniarum inspectio docet, eum in finem à Deo institutas, non ut cultores suos occuparet in terrenis exercitiis, sed potiùs ut altiùs erigeret eorum mentes. *Quid enim* (verba sunt Calvini nostri) *magis inane aut frivolum, quàm homines, ut Deo se reconcilient, fœtidum nitorem ex adipe pecudum offerre, ut sordes suas eluant, ad aquæ vel sanguinis aspersionem confugere.* Scopus itaque Dei has cæremonias injungentis fuit ad altiora evehere Israëlitarum animos, nec enim suspicandum id factum, quasi hisce terrenis spiritualis Dei natura delectaretur; contrarium testatur per Prophetas, qui toties Judæos socordiæ arguunt, quòd putarent ullius esse apud Deum momenti quævis sacrificia, ita Psalm xl. 7. et Psalm l. 8. et apud Isaïam passim; neque mirari subest, quòd Deus voluerit hisce umbris sua obvelare mysteria. Istud conveniebat apprimè *infantiæ* Ecclesiæ, quæ hisce umbris erat instituenda, majoris lucis nondum capax, propter tenue Spiritus Sancti demensum; et *naturæ* populi Israëlitici, qui cùm esset duræ cervicis populus, et ad cultus profanos gentium pronus admodum, hisce veluti cancellis cohibendus fuit. 2. Istæ cæremoniæ ad Christum adducebant, quatenus erant, quasi totidem *confessiones* peccatorum et miseriæ humanæ, ac reatus per peccatum contracti, Col. ii. 14. Heb. x. 1, 2, 3. Quid enim *sacrificiis* aliud agebant, quam se mortis conscios fatebantur, qui in suum locum καθάρματα substituebant. Apud Ægyptios sacrificuli culter hominem pictum habebat, super altari jacentem, ad docendum bestias hominis vicem gerere, ipsumque mortem mereri. Quid *purificationibus*, nisi quod se immundos testabantur. Ita renovabatur subinde ab illis, et piaculi et impuritatis suæ chirographum, ac proinde desiderio summo flagrabant aliquem nancisci, qui

tale chirographum expungeret; ille autem solus est Christus, qui, ut docet Paulus, *delevit et cruci affixit.* 3. Istæ cæremoniæ ad Christum adducebant, quatenus erant jugum ἀβάστακτον, sub quo suspirans ingemiscebat gens Judaïca, et liberari gestiebat.

V. Ut adhuc clariùs pateat quantùm ex dirigente Deo ad Messiam adducebat homines, observandum est, Deum 1. Certâ quadam mensurâ Spiritus sui donasse Judæos; inutile enim fuisset rempublicam Israëliticam tam sanctis legibus rexisse, nisi Deus vim sui Spiritus qualemcumque exeruisset; frustra assiduè legem promulgasset, frustra justitiæ minas detonuisset, frustra benedictionibus mactasset durissimam gentem, nisi Spiritu suo eorum pectora subegisset. 2. Illum Spiritum Judæorum animos naturali veterno sepultos, officii repræsentatione expergefecisse, ut quantùm ab ea sanctimonia, quam Deus exigit, abessent, probè intelligerent, simulque ita terruisse legis anathematibus, ut de venia per legem obtinenda penitus desperantes, oculos in omnes partes circumferrent, sicunde aliquis liberator exoriretur; ideoque dictum *spiritum servitutis,* non modò quia servis dabatur, Judæi enim etsi filii, à servis non differebant, sed et quia servilem quasi terrorem incutiebat. Unde cum Mose toti expavescebant; his mediis via ad Christum præparata est.

CAPUT VII.

De Vario Ecclesiæ statu ante Christi adventum.

I. VARIÆ fuerunt Ecclesiæ vices ante Christi natales, ac varius status:

Primus fuit sub primis Patriarchis, qui decem ad Noachum, inclusum numerantur, et quos inter eminuerunt *Adamus, Sethus, Enochus;* ad cujus tempora referri solet publici cultus origo, Genesis iv. 26. *Enochus* vitæ sanctitate, ac spiritu prophetico conspicuus, miraculosè ad Paradisum translatus; *Mathusalah* omnium maximè longævus, ac *Noachus* illustris, tum pœnitentiæ præconio, tum arcæ stupendâ fabricâ, tum mirâ in diluvio conservatione, tum divini cultus instauratione, tum novi orbis propagatione: atque hæc sunt Ecclesiæ incunabula, et hoc primo intervallo jam cœpisse homines corrumpi cultu idololatrico,

Josephus et orientales, ac multi viri doctissimi pertendunt, ut et profligata quorundam impietate.

Secundò, conservata est in familia *Semi*, *Noachi* filii, et aliorum patriarcharum, ad Abrahamum usque; putâ in familiâ *Heberi*, à quo verisimiliter linguæ et genti nomen; *Sarugi* à Semo septimi, ad cujus ætatem simulachrorum et idolorum cultum religiosum inter Babylonios referunt nonnulli.

Tertiò, in Abrahami, Isaaci, Jacobi, trium insignium patriarcharum, ac ejus, posterorum familiis conservata fuit, et aucta; nec credendum est tamen in solâ Abrahami domo tunc fuisse, Ecclesiam; fuerunt extra eam viri pietate ac religione, in verum Deum insignes, in vocationis gentium præludium; et inter alios emicuerunt. 1. *Melchisedecus*, de quo varia quæruntur. (1.) Num is persona *creata*, an increata, ipsissimus Dei Filius. Num *Semus* idem, aut *Pelegus*, aut Pelegi filius, aut Chamus, aut alius Regulus. (2.) Quæ illa Salem, cui imperitasse memoratur, an Hierosolyma, an Salem altera. (3.) Qui idem sacerdos altissimi inter corruptos Cananæos. (4.) In quibus gesserit typum Christi. 2. *Jobus* vir calamitatum, pietatis, fidei, patientiæ, constantiæ, efficacissimarum precum exempio inclytus, ac de cujus persona, ætate, genere, patria, dignitate, religione, institutione, amicis, consulendus Magnus Spanhemius. In captivitate Ægyptiacâ, quantùm Jacobi posteri ingemuerint, nemo nescit, et quibus plagis afflicti Ægyptii eos detinentes, quas nonnemo ita descripsit;

Prima rubens unda, ranarum plaga secunda,
Indè culex tristis, post musca nocentior istis,
Quinta pecus stravit, anthracas sexta creavit,
Post sequitur grando, post bruchus, dente, nefando.
Nona tegit Solem, primam necat ultima prolem.

Quartò, sub *Mose* fuit in deserto, et sub *Josua*, sub quo in terram promissam, trajecto Jordane introducta est.

Quintò, fuit sub *Judicibus*, (*Josuâ* sublato de vivis) qui tredecim numero ad tempora Heli numerantur, et quibus non multùm erant absimiles Romanorum dictatores. Sub iis corruptissima fuerunt tempora, et cumprimis afflictus uterque status, politicus et ecclesiasticus. Id docent defectio, mox à morte Josuæ, Israëlitarum ad idololatricos cultus promiscua cum Cananæis conjugia et fœdera, pœnæ divinitus immissæ, frequens servitus, flagitia horrenda, civiles motus, cognataque bella.

Sextò, fuit sub Heli Pontifice et judice, ac sub Samuele. Corruptio eorum temporum fuit summa, filiorum Heli impietate, sacrilegio, effræna libidine, promiscuis adulteriis ac populi idololatriâ, unde Ecclesiæ fuit etiam afflictus status, clade per Philistæos illatâ, 1 Sam. iv. 10. et captâ arcâ Judaicæ gentis palladio. Verùm instaurata fuit per Samuelem divinitus excitatum, Levitam primùm et sacerdotem, tum prophetam Dei, mox judicem.

Septimò, fuit sub *Saule*, *Davide*, ac *Salomone*, sub quo solemne constructum est illud eximium templum, inter mundi miracula reponendum; sed etiam sub quo, vergente ad finem regno, corrumpi religio, et interpolari idololatria cœpit per mulieres Ægyptias, Sidonias, Tyrias, Ammonitas, Idumæas, I Reg. xi. &c.

Octavò, fuit sub regibus Israëlis et Judæ, ad deportationem Babylonicam usque, ab eo tempore, quo sub Roboamo Salomonis filio ætate non consilio maturo, decem tribus defecerunt, et sub Jeroboamo antea Salomonis servo schisma fecerunt. Tunc Ecclesiæ status admodum corruptus fuit imprimis in regno Israëlis, postquam Jeroboamus novum erexit cultum, et sacra immutavit, ne Hierosolymam ampliùs tribus confluerent: nec minor aliquando fuit corruptio in ipso Judæ regno, sub Athaliâ, Achazo, Manasse et Amone regibus; sub quibus templum spoliatum, arca loco mota, sacra contaminata, gentium idola culta, sanguine etiam humano litatum, et victa jacuit pietas; reformatio tamen suo tempore instituta fuit, tum impulsu prophetarum, tum auctoritate optimorum principum, in quibus tres præ cæteris excelluere, *Josaphatus*, *Ezechias*, *Josias*, à cujus excessu nulla amplius instauratio fuit. His addendum est, suffectis in terrâ Israëlis in captivorum locum novis ex Syriâ, Assyriâ, Babyloniâ, Persiâ colonis, novam religionem ex commixtione sacrorum et profanorum rituum exortam, Samaritanismi nomine, gentem novam Samaritanam, 2 Reg. xvii. 24.

Nonò, fuit in *Babylone* captiva, in qua captivitate Judæi quidam ad superstitiones defecerunt, ut ex Ezechiele patet, alii puri manserunt, prophetæ nonnulli conservati, *Daniel*, *Ezechiel*, *Jeremias*, præter viros plures sanctos, *Esram*, *Nehemiam*, et miracula multa à Deo præstita ad Ecclesiæ conservationem et solatium, sub *Nebuchadnezare*, *Balthazare*, *Dario Medo*.

Decimò, post captivitatem fuit sub *Ducibus* ac *Pontificibus*, sub Zorababele duce, non rege, cum Josua pontifice

Sed inter horum temporum antistites numerandus *Esras* scriba, cui institutio Synagogæ magnæ à nonnullis tribuitur, in qua erant Prophetæ, *Haggæus*, *Zacharias*, *Malachias*, *Daniel*, *Nehemias*, *Simeon justus*, aliàs *Jaddus* dictus, qui Alexandro magno ivit obviam. Sub illis viris reformata est Ecclesia, instauratum templum et altare, cultus divinus restitutus, impuri Cuthæi, seu Samaritani rejecti, aliaque multa præstita.

Undecimò, fuit sub *Hasmonæis* sive *Maccabæis*, dictis *Hasmonæis* à proavo Mattathiæ *Asmonæo*, voce quæ notat principes sive venerandos antistites; dictis etiam *Maccabæis* à Judâ Maccabæo, tertio ex Mattathiæ filiis belli duce in patris locum suffecto, tandem cum principatu summum sacerdotium adepto. An vox Maccabæi fuerit cognomen Judæ, an orta sit ex quatuor literis initialibus Judæ vexillo inscriptis מכבי Exod. xv. 11. disceptant docti. Sub iis Asmonæis crudelis fuit persecutio Antiochi Epiphanis in Judæorum gentem, non tenellis infantibus, non matribus, non ætati, non sexui parcentis, sacros libros comburentis, et omnia Judæorum instituta pervertentis. Sectæ etiam innumeræ exortæ sunt, 1. *Hasidæorum*, 1 Macc. ii. 42. vii. 13. An speciale nomen fuerit Sectæ inter Judæos legi addentium cultum voluntarium supra *justos*; an verò commune piorum omnium inter Judæos, his est inter eruditos. 2. *Pharisæorum*, quorum originem quidam arcessunt à viris Synagogæ magnæ, quorum fertur Esras præses; alii à temporibus Jonathæ Maccabæi fratris Judæ; alii à temporibus Aristobuli vel Alexandri Jamnæi Judæorum regis; alii à temporibus Hillelis et Schammai circa tempora Herodis. Legem oralem seu traditiones non scriptas defendebant; fatum seu Stoicum seu mathematicum tuebantur; liberi arbitrii vires ad bonum multùm extollebant, μετεμψύχωσιν animarum bonarum credebant; præcepta legis mirum in modum restringebant; affectabant cælibatum, jejunium hebdomadale repetitum, decimationem universalem, ablutiones superstitiosas, preces, eleemosynas in publico, dilatationem phylacteriorum, somnum superstitiosum super dodrantibus tabulis, substratis lapillis. Alii dicti *Sichemitæ*, alii *Truncati*, alii *Incisi*, alii *Contusi*, alii *Amantes*, alii *Timentes*, alii *Debiti solutores*, de quibus *Drusius* et *Lightfoot*, *Scaliger*, aliique consulendi. 3. *Sadducæorum* à Zadoco Antigoni Sochæi discipulo. Occasio sectæ fuit, quod malè Zadocus mentem præceptoris sui intellexerit; credebant Sadducæi nullam esse Providentiam Dei circa

mala, imò fortè planè nullam; nullas post hanc vitam pœnas esse, præmia nulla, animam non esse immortalem, non dari angelos, Act. xxiii. 8. nec resurrectionem corporum. An solam legem admiserint, an etiam alia scripta prophetica, non consentiunt docti? 4. *Essæorum*, vel *Essenorum*, qui paulo post Pharisæos exorti; non admittebant in societatem nisi viros senes et graves, probabant bonorum communionem, et cælibatum, nullum admittebant famulitium, nec ad iter viaticum, nullas artes exercebant, sabbathum superstitiosè observabant, studebant pietati, beneficentiæ, hospitalitati; quadriennio toto probabant discipulos, fugiebant lites, contentiones et alia plura præstabant. 5. *Hemerobaptistarum*, qui creduntur negasse resurrectionem, sed qui censebant hominem non posse sanctè vivere sine quotidiano baptismo. 6. *Dositheanorum*, à Dositheo, qui fertur se pro Christo venditasse, et adulterasse Pentateuchum Mosis. 7. *Herodianorum*, qui, si quibusdam credimus, Herodem habebant pro Christo, ipsi applicantes oraculum, Gen. xlix. 10. ut Josephus ad Vespasianum locum Mich. v. 2. traxit.

Duodecimò, fuit tandem sub Herode magno, sub quo Christus Redemptor nobis natus est. Corruptissimus fuit status Ecclesiæ sub tempus adventus Christi, et illud patet ex eo quod sectæ jam nominatæ, aliæque totam Judæam discerpebant, et inter alias sectæ *Pharisæorum*, qui legem suis interpretationibus pervertebant, et *Sadducæorum*, quorum impia dogmata toties impugnat Christus. De Messiâ venturo falsa putabant ferè omnes Judæi, dum existimabant eum triumphantis ad instar venturum, ac eos à durâ, quâ premebantur, servitute vindicaturum. Tristissima igitur fuit facies Judææ sub adventus Christi tempora; *Pompeius*, annis amplius 60. ante Christum natum, Judæos Romanis tributarios fecerat. *Gabinius Proconsul* Synedrium magnum in quinque conventus diviserat. *M. Crassus* templum Hierosolymitanum spoliaverat. Cæsar Antipatrum genere Idumæum, Judææ procuratione donaverat. C. Crassus Judæos exactionibus emunxerat, sub hastâ etiam divenditis Judæis. Antonius servitutem auxerat, Antigono rege ex Asmonæorum illustri sanguine securi percusso. Nec melior fuit eorum sors, sub Augusto, sub quo natus est hominum et angelorum rex.

CAPUT VIII.

An revera venit Messias? an Jesus Christus sit Messias, et quando venit?

I. REVERA venisse Messiam dubitare non possumus, siquidem omnia ea, quæ ante ejus adventum contingere debebant, evenerunt. Jacobi oraculum prædixerat adventum Messiæ conjunctum iri cum ablatione sceptri Judaïci Genes. xlix. 10. *non auferetur sceptrum à Judâ nec Legislator de medio pedum ejus, usque dum veniat Scilo.* De *Messia* enim intelligendum esse docent Judæi veteres, Paraphrastæ, et Thalmudistæ. At à longo tempore ablatum est sceptrum Judaïcum, templum destructum et urbs diruta. Unde Judæi dicunt se esse in diebus exilii, in potestate gentium, sine rege ac principe; Ita R. D. K. in Hoseæ iii. 4. שבט *sceptrum* de virga castigationis interpretari absurdum, 1. Quia hoc oraculum continet non comminationem, sed benedictionem. 2. Quia vox *legislator*, quæ sequitur, probat de sceptro intelligendum esse hunc locum; 3. Falsum est nunquam recessisse virgam à Juda, id est, *nunquam cessasse oppressionem;* cum à Davide ad Sedekiam floruerit per multa secula. Quibusdam placet שבט *tribum* interpretari, quasi prædiceret Jacobus, Judæ tribum distinctam fore usque ad Messiæ adventum, cùm aliæ tribus dispersæ essent.

II. Daniel cap. ix. 24, 25, 26 prædixit, *ab enuntiatione verbi de reducendo populo et de ædificandis Hierosolymis,* (An sit ab exitu Darii Nothi, an ab edicto ultimo A. 20. Artaxerxis, vel ab anno hujus septimo, disputatur; an à verbo Angeli Gabrielis, an à Cyri edicto;) *usque ad Messiam antecessorem fore septimanas septem,* (id est annos 49.) *deinde* 62. (id est 434. an.) *et post hebdomadas* 62. *occidetur Christus* &c. At has hebdomadas jamdiu effluxisse, undecumque exordium ducant, et quidem ante destructum templum, certum est, quicquid obganniat Judæus Apella.

III. Aggæus cap. ii. vers. 4, pollicetur *venturum Dominum* in *templum* suum, quod oraculum de Messia explicant Judæi. *Adhuc pusillum, et ego tremere faciam cœlos et terram,* &c. *et veniet desiderium omnium gentium, et implebo domum hanc gloria,* et vers. 10. *Magna erit gloria hujus novissimæ domus supra primam.* Et Malachias iii. 1. *Veniet ad templum suum Dominator.* At diu templum illud dirutum est; ergo Messias jam venit.

IV. Idem nobis confirmant, *casus* Reipublicæ Judaïcæ, confusæ tribus, irriti Judæorum conatus instaurandi rempublicam et templum, sub *Nerone*, *Trajano*, *Hadriano*, *Constantino*, *Juliano*, aliisque principibus; et per pseudo-Messias, Theudam, nec unum Theudam, Menahemum, Eleazarum, Andream, Barchocab, Mosem Cretensem, Dunaanem; et nostra memoria A. 1666. Sabathæum Zevi Smyrnensem, et R. Mardochæum Germanum. Idem confirmat vocatio gentium, quam prædixerant Prophetæ sub adventum Messiæ, quibus addi possunt Judæorum confessiones, et inter alia traditio domus Eliæ; quæ in tres periodos totam durationem mundi distribuit, *bis mille inanitas*, *bis mille lex*, *bis mille Messias*. Nec planè rejicienda horum observatio, qui notant, eo tempore, quo Christus venit in mundum Judæos expectasse Messiam, ut patet ex iis, quæ de Simeone, Anna et Samaritana leguntur.

V. Jam Jesum Christum esse talem Messiam qui venturus erat, facile est evincere, conferendo omnia, quæ de Messiâ dicta fuerunt. Natus est ex *muliere* juxta primum oraculum Gen. iii. 15. Ex *familia Abrahami*, juxta Gen. xxii. 18. Ex *tribu Judæ*, juxta Gen. xlix. 10. Ex *familiâ Davidis*, juxta Is. xi. 1. et Jer. xxiii. 5. Hæc omnia docet genealogia Mariæ, Lucæ iii. ut et illa Josephi, Matth. 1. Ex *virgine*, juxta Is. vii. 14. Natus *septimanis* annorum Danielis expirantibus, Daniel. ix. *Sceptro à Juda novissimè* translato in *Idumæum Herodem*, hinc ad *Romanos*. Natus *Bethlehemi* juxta Mich. v. 2. citatum et ipsis scribis ab Herode interrogatis. Matth. ii. 3. 6. Ingressus est in *templum secundum*, juxta Agg. ii. 4. Prodromum habuit, juxta Is. xl. 2. Malach. iii. 1. *Miracula* præstitit innumera, quod prædixerant Prophetæ. *Exinanitus*, et *exaltatus* juxta oracula Isaia lii. Psal. xxii. Psal. cx. Zach. ix. 9. vocatæ sunt gentes, quæ vocatio debebat esse Messiæ opus, ex oraculis propheticis Genes. xvii. 5. et xlix. 10. Psal. ii. 8. et xxii. 30. et lxviii. 32, 33. Isaia ii. 2, 3. et xi. 10. et xlii. 1, 2. et xlix. 6. et liv. 1, 2. Os. i. 10, 11. &c.

VI. Venit Christus in *plenitudine temporum* secundum vaticinia Prophetarum, quo tempore summa erat gentium idololatria, Judæorum corruptio, maximæ per totum orbem tenebræ quæ discussæ ortu solis illius justitiæ et orientis ex alto.

VII. Obtinente quartâ monarchiâ, sub Augusto Cæsare venit, et quidem eo tempore, quo ejus jussu descriptus orbis Romanus, sive census capitum in Tabulas relatus.

Atque hæc descriptio facta Cyrenio, vel Quirinio in Syriâ et Judæâ, non quidem *præside ordinario*, qualis fuit *Saturninus*, sed Cæsaris *procuratore, vel legato extraordinario*. Hæc descriptio dicta est *prima*, tum respectu Quirinii primò describentis, tum respectu Judææ, in quâ nondum census acti per Romanos; tum quatenus œcumenica fuit.

VIII. Sub Herode Magno natus est Matth. ii. 1. ac prodromum habuit Johannem Baptistam, Zachariæ et Elisabethæ filium; de quo plura Scriptura refert. 1. Conceptum sex circiter mensibus ante denuntiationem angelicam ad Mariam, Zacharia et Elisabetha effœtis, illo sacerdote, sed non summo, hinc sacris operato, in ordine suæ ἐφημερίας. 2. Habitasse in montanis Judææ, non in antris et resertis, ut fabulati quidam. 3. Fuisse ejus vietum et amictum singularem. 4. Pœnitentiam prædicasse, Matth. iii. 1, 2. quæ vera ad regnum Christi præparatio erat. 5. *Baptizasse* pro more Judæorum proselytos suos aquâ lustrantium; et baptizasse Christum, ut in sequentibus videbimus. 6. Illustre Christo testimonium præbuisse. 7. Prophetarum omnium maximum fuisse, Matth. xi. 9. 8. Ab Herode Antipâ in carcerem conjectum, quòd incestas ejus cum Philippi fratris conjuge nuptias improbaret. Eodem Herode jubente, capite truncatum regalu saltatriculæ, quam impura Herodias in hanc petitionem subornaverat, ne sanctissimi Johannis reverentiâ ductus Herodes, incestas rescinderet nuptias.

CAPUT IX.

An Christus assumsit naturam humanam, et cur assumsit?

I. CHRISTUM Deum cum Patre benedictum ab æterno, assumsisse naturam humanam ac veram carnem in tempore, docet expressè Scriptura sacra, *Sermo caro factus est*, Joh. i. 14. *Quia ergo pueri communem habent carnem et sanguinem, et ipse similiter particeps factus est eorundem*, Heb. ii. 14.

II. Corpus ipsi tribuit Scriptura; *Corpus aptasti mihi*, Heb. x. 5. et quidem corpus nostro simile, materiale, palpabile, cibi, potus, somni, quietis appetens, lassitudini ex itinere et labore, sudori ex animi angore, æstui et algori expositum.

III. Animam etiam ei adscribit Spiritus Sanctus, intelligendi et volendi facultate præditam, et omnes affectus naturales et inculpabiles, ut *gaudium*, *mœrorem*, *iram*, *amorem*, *zelum*, *metum*, Matth. xxvi. 38. *supra modum mœsta est anima mea ad mortem usque.*

IV. Verus itaque fuit homo Christus, non inane hominis simulachrum, ut somniabant *Marcionitæ*, *Manichæi*, cæterique *Docetæ* dicti aut *imaginarii* Christiani, ut eos alicubi vocat *Tertullianus*, qui externam hominis speciem tantùm corporisque spectrum Christo imposuere, quo impio commento tota salus nostra funditùs evertitur, et Scriptura in scenam commutatur.

V. Nostram naturam assumere necessarium erat. 1. Quia justitia Dei requirebat, ut peccatum in eadem naturâ puniretur, in qua perpetratum fuerat. Druidæ apud Cæsarem dicunt *vitam hominis vitâ hominis apud Deos esse redimendam;* de bello Gallico lib. vi. Si nullum fuisset peccatum, non opus fuisset incarnari personam divinam. *Si caro non haberet salvari, nequaquam Dei verbum caro factum esset*, ait Irenæus. *Tolle morbos, tolle vulnera, nulla est causa medicinæ*, ait Augustinus; sed supposito peccato, necessarium erat carnem nostram assumi à Mediatore hominum. 2. Quia mortem peccatorum aut eorum vadis exigebat justitia. At sola natura mortalis mortem perpeti poterat. 3. Ut facilem accessum ad eum haberemus, natura enim divina lucem habitat inaccessam mortalibus, necesse itaque erat ut mediator fieret homo.

VI. Deum et hominem esse mediatorem nostrum par erat; *Deum*, ut liberum aditum haberet ad Patrem; *hominem*, ut ad eum accederemus; *Deum*, qui omnia Patris arcana revelanda nosset; *hominem*, qui ea annuntiaret; *Deum*, qui suo Spiritu nos sanctificaret; *hominem*, qui suo exemplo nobis viam ad cœlum sterneret; *Deum*, qui satisfaceret justitiæ divinæ, vinceret diabolum, peccatum, et mortem; *hominem*, qui se ad instar victimæ offerret; *Deum*, qui maximum pondus adderet passionibus; *hominem*, qui paterentur.

VII. Ethnicis mirum videri non debet, Deum assumsisse naturam humanam; cùm illi sæpiùs de Diis suis inter homines obambulantibus, et versantibus loquuntur. Doctissimus Huetius observat, Brachmanum fuisse sententiam, Deum sæpe sub magnorum hominum specie et habitu delitescere, et Wistnavium, quem Dei trini et unius secundam personam esse aiunt, novies jam assumsisse corpus, et aliquando eti-

am humanum, ac semel adhuc ab eo idem factum iri; scriptum reliquisse quoque docet Sinicæ doctrinæ magnum antistitem, Confutium, *Verbum aliquando carnem futurum.*

CAPUT X.

Quomodo Christus assumsit naturam nostram in unitate personæ et quomodo unitæ sunt duæ naturæ?

I. Assumsit Christus naturam humanam in unitate personæ, hoc est, ita natura divina conjuncta est cum humana, ut non duæ inde sint ortæ personæ, sed una *persona* tantùm. Illud probatur ex tota *Scriptura*, quæ ubique de Christo tanquam de unâ personâ loquitur; ille idem qui dicitur *factus ex semine Davidis secundum carnem* vocatur *filius Dei secundum spiritum sanctitatis*, Roman. i. 3. idem qui dicitur *oriundus à patribus*, vocatur *Deus benedictus in secula*, Rom. ix. 5. idem *qui in forma Dei* dicitur fuisse, dicitur etiam *se exinanivisse assumtâ formâ servi*, Philip. ii. 6. *Dominus gloriæ* dicitur *crucifixus*, 1 Cor. ii. 8. *Deumque acquisivisse Ecclesiam proprio sanguine* asseritur, Actor. xx. 28.

II. Nec mirum videbitur nos asserere Christum assumsisse, non personam humanam, sed naturam tantùm; si hæc duo attendamus; 1. *Personam* esse *naturam rationalem, per se subsistentem, nec alteri unitam.* 2. *Personalitatem*, nihil propriè positivum dicere, nec quicquam substantiæ superaddere, sed illum tantùm substantiæ modum indicare, quo illa cum nulla re unitur.

III. Inde enim patet, non minùs verum hominem fuisse Christum, etsi non personam assumserit; nam *personalitas*, ut dictum, nihil est; humanitas revera persona fuisset, nisi cum personâ divinâ unita fuisset, et si sola substitisset. At ex quo humanitas assumta est, non potest esse persona. Hoc exemplo res clarius evadet. Sumantur duæ guttæ aquæ, si sint sejunctæ, erunt duo supposita; si conjungantur, fiet unum suppositum, ita si humanitas Christi sejuncta esset à divinâ personâ, tunc esset persona distincta à divinâ personâ, sed quandoquidem unita est cum divinâ personâ, non potest esse persona.

IV. Hanc sententiam defenderunt patres adversus Nestorium, quem damnarunt tria Concilia, *Ephesinum*, *Chalcedonense*, et *Constantinopolitanum.*

V. Modum, quo unitæ sunt hæ naturæ, sanè nemo explicare potest; observandùm tantùm, 1. Non concipiendam esse *unionem* illam naturarum factam esse eodem modo, ac animæ et corporis unionem, ex quâ tertium quid oritur, nempe *homo*, quanquam fatendum in multis similem esse, imprimis in eo quòd quæcumque utrique naturæ, humanæ et divinæ, conveniunt, ac propria sunt, ea de uno Christo dicuntur, et ei tribuuntur, ut de uno eodemque individuo, ea omnia dicuntur, quæ tum corporis, tum animæ sunt propria. 2. Non concipiendam illam *unionem*, ut unionem amicorum, quæ consistit in animorum et voluntatum consensu; si enim in hoc tantùm sita esset, frigidæ essent Scripturæ locutiones, quibus dicitur *Deus redemisse Ecclesiam suo sanguine*, ac *Verbum factum caro*, de amicis enim, quamvis inter se consentiant, nihil tale unquam dicitur. Quibus addendum, quod simplex consensus non suffecisset, ad dandum morti Christi pretium infinitum, etsi enim rex consentiret iis, quæ fiunt à servo suo et subdito, non tamen communicaret actioni servi eandam dignitatem, quam haberet actio regia. 3. Non concipiendam illam *unionem*, quasi λόγος carni Christi unitus esset, κατα παράστασιν per *assistentiam*, ut loquuntur Scholastici, id est, eodem modo, ac nauta est in navi, quam regit et movet, aut ut Spiritus Sanctus erat in prophetis, quos afflabat, nam sic exiguum esset discrimen inter prophetas et Christum, et præterea, si res ita se haberet, nunquam dixisset Christus, *Antequam Abraham existeret, eram;* nullus enim prophetarum tale quid se ipso dixisset, et nemo eas usurpavit locutiones, quæ de Christo usurpantur in sacro codice. 4. Modum hujus *unionis* non esse similem unioni personarum S. Triadis, quarum una est essentia, in hâc enim unione est una *persona*, sed duæ *naturæ;* multùm etiam differre ab *unione mystica* et *gratiæ* fidelium cum Christo. 5. Arctissimam esse illam unionem, nec unquam abruptam aut abrumpendam. *Quod semel verbum assumsit, nunquam dimittit;* ne confundamus cum unione angelorum cum corporibus assumptis. 6. Non concipiendas esse naturam humanam et naturam divinam ad instar duarum partium; sed concipiendum esse, personam divinam assumsisse sibi naturam humanam. 7. Per istam unionem naturas nullatenus confusas, sed unamquamque suas proprietates retinuisse; nulla enim est inter eas proportio; *homo* finitus est, mortalis, mutabilis; *Deus* infinitus, immensus, immortalis, immutabilis. Hanc sententiam probat frequens in Scriptu-

ris naturarum in Christo oppositio, ut duæ voluntates quæ ipsi tribuuntur; hanc defenderunt Patres Concilii Chalcedonensis adversus *Eutychem* et asseclas. 8. Per unionem alterutram naturam, in alteram non esse conversam, aut per eam abolitam; si enim hoc esset, vel Christus desiisset esse Deus, quod impium est asserere, nam natura divina mutari non potest; vel desiisset esse *homo*, quod Scripturæ contrarium est. 9. Nos planè assentiri Patrum Synodi Chalcedonensis, anno 451. congregatæ, decisionibus, quibus sancitum, factam unionem, ἀδιαιρέτως et ἀχωρίστως, *indivisibiliter* et *inseparabiliter*, adversus Nestorium et ἀσυγχύτως et ἀτρέπτως, sine *mutatione* et *confusione*, adversus Eutychem.

CAPUT XI.

De Effectis Unionis.

I. EFFECTA *unionis* sunt multiplicia, alia quæ humanam Christi naturam spectant, alia quæ Personam in utrâque naturâ subsistentem spectant.

II. Primum effectum *unionis*, quod spectat humanam Christi naturam, est summa illa dignitas naturæ humanæ supra alias creaturas, quæ per illam unionem proxime infra divinum fastigium collocata est.

III. Secundum effectum, sunt eximiæ illæ dotes, quæ in humanam Christi naturam fuerunt collatæ, quantùm capere potuit res creata; nam etsi summæ fuerint ac perfectissimæ, proindeque majores quàm in ullis angelis vel sanctis, siquidem Pater ei *Spiritum ad mensuram non dedit*; non fuerunt tamen infinitæ, sed pro capacitate recipientis. Hinc si Christus homo habuit scientiam; ea scientia incrementi fuit capax, ut docent verba Lucæ ii. 52. *Jesus proficiebat sapientiâ et staturâ, ac gratiâ apud Deum, et apud homines*; et illa Marci xiii. 32. ubi Christus de semet ipso profitetur, quod ignoret diem judicii. Non requirebatur, ut statim à primo momento existentiæ suæ, humanitas Christi iis prædita esset donis, quæ in eam cadere poterant; nec requirebat ejus officinm, cujus omnes partes statim exequi non debebat. Nec contrarium colligi potest ex verbis allatis Joh. iii. 34. ubi Deus *Christo Spiritum ad mensuram non dedisse* dicitur, illud enim tantùm significat non parcè, sed copiosissimè Spiritum Christo concessum phrasi usitata ita, Esr. vii. 22. Judith. vii. 2.

IV. Non existimamus itaque ullas proprietates naturæ divinæ fuisse communicatas naturæ humanæ; 1. Quia eodem modo judicandum est de proprietatibus naturæ divinæ, ac de essentiâ divinâ, siquidem *proprietates* cum *essentiâ* identificantur; at essentia divina neutiquam communicari potest creaturæ; quia res finita non potest fieri infinita, alias Deus esset. 2. Quia implicat, ut proprietates unius subjecti alteri subjecto sint communes; quod enim alicui proprium est, alteri communicari non potest, nisi proprium esse desinat.

V. Verum si nulla divinitatis proprietas ipsi naturæ humanæ communicata est, certum tamen, eam omnibus illis dotibus instructam, quibus ornari poterat. Quæritur hic à nonnullis, an Christus homo habuerit *fidem* ac *spem?* Ad hanc quæstionem satis inutilem uno verbo respondemus, 1. Christum habuisse, non eam *fidem*, qualis esse debet in omnibus hominibus salvandis, sed *eam* quæ nihil aliud est, quàm assensus adhibitus verbo divino, propter ejus infallibilem auctoritatem. 2. Habuisse quoque *spem*, gloriam enim sibi post labores promissam speravit.

VI. *Primum* effectum unionis respectu *personæ* in utrâque naturâ subsistentis, est communicatio illa, per quam Christi personæ alterutrius naturæ proprietates tribuuntur, idque fit variis modis: 1. Aliquando de persona à natura divina denominata, quæ sunt naturæ divinæ prædicantur, ut quum *sermo dicitur fuisse in principio apud Deum, et Deus;* Joh. i. 1. Ita de persona à naturâ humanâ denominata, quæ sunt naturæ humanæ dicuntur, ut quum dicitur filius hominis flevisse, edisse, bibisse. 2. Aliquando humanæ naturæ proprietas vel opus, enunciatur de divino subjecto, ut cum dicitur *Dei filius factus ex muliere, Dominus gloriæ crucifixus, Deus sanguine suo redemisse ecclesiam;* in iis enim locis tribuuntur Dei Filio, quæ hominis propria sunt, ita divinæ naturæ proprietas et opus, tribuitur Christo à naturâ humanâ denominato, ut cùm filius hominis dicitur *esse in cœlis*, eodem tempore quo erat in terris, hoc enim tantùm naturæ divinæ Christi competit. Hæc autem communicatio vocatur à Scholasticis *communicatio idiomatum.*

VII. *Secundum* effectum unionis respectu *personæ* est communio officii, per quam opera mediatoria spectantia ad salutem nostram, tribuuntur personæ secundum utramque naturam agenti, ut quum Christus vocatur, *novi Testamenti Mediator, Advocatus noster, propitiatio pro peccatis, pax nostra, sapientia, justitia, sanctificatio,* et *redemtio,*

hæc enim Christo conveniunt secundum utramque naturam; ita quum dicitur, nos sanctificari per oblationem Christi semel factam, et sanguinem Christi nos purgare ab omni peccato.

CAPUT XII.

De duplici Christi statu.

I. DUPLICEM Christi statum describit Scriptura, alterum *exinanitionis*, alterum exaltationis. *Exinanitionis*, statum docet *Scriptura*, quum dicit Jesum Christum *sese exinanivisse, assumtâ formâ servi.* Phil. ii. 7. *manifestatum fuisse in carne*, 1 Timoth. iii. 16. *minorem factum fuisse angelis*, Heb. ii. 7, 9. Psalm viii. 6. *formam assumsisse carnis peccatricis*, Roman. viii. 3. *Exaltationis* verò statum depingit, quum ait Deum *eum exaltasse*, Phil. ii. 9. *coronatum fuisse gloriâ et honore*, Heb. ii. 7, 9. *in gloriam ingressum fuisse*, Luc. xxiv. 26. et *ad dextram Dei sedisse.*

II. Utrumque *statum* prædixerant oracula, Ps. cx. 7. dicitur *de torrente bibiturus, et post caput exaltaturus* Psal. cxviii. 22. *Lapis, qui reprobatus est ab ædificantibus, positus* dicitur *in caput anguli;* et nihil clarius de utroque dici potest quam quod apud Isaïam liii. legitur. Unde Judæi quia non capiunt, quomodo adeò adversæ res eidem *Messiæ* contingere possint, duos *Messias* finxerunt, alium *egenum*, alium *triumphantem; alterum* filium Josephi, vel Ephraimi, *Nehemiæ* nomine, vilem eum, paucos reducturum ex captivitate, et occidendum in prælio contra *Gog*, et *Magog* ab *Armillo* duce filiorum Edom seu *Christianorum*, sed tamen postea à successore suo è mortuis suscitandum ac vicaria dignitate fruiturum; *alterum* filium Davidis, regia majestate conspicuum, cui duodecim tribus subjiciendæ veniunt, regesque omnes terrarum.

III. Necessarium fuisse, ut in utroque statu esset Christus, varia probant. Duo ad salutem nostram requirebantur, 1. Ut satisfieret justitiæ divinæ, et salus nobis acquireretur; 2. Ut Spiritus Sanctus in homines effunderetur, et salus nobis applicaretur. Ut primum fieret, necesse fuit Christum pati ac proinde exinaniri, et ad secundum necesse erat, ut exaltaretur. Per *primum* peccatorum nostrorum reatus deletus est; per *secundum* macula abstersa est. Christus ut *sacerdos* debuit *primò* sanguinem fundere, postea in sa-

crarium ingredi; ut *propheta* debuit *priùs* ministri circumcisionis inter fratres obire munia, antequam in cœlum sublatus, fieret doctor mundi, et ut *rex* debuit sibi ad thronum sternere viam per passiones ac certamina.

IV. Necessitas *exinanitionis* Christi patet evidenter, si attendatur, justitiam Dei non potuisse aliter placari, quàm per mortem peccatoris aut vadis, nec potuisse meliùs peccati mala reparari. *Adamus* superbiâ perierat, et summam miseriam in posteros accersiverat; *secundus Adamus* suâ humilitate nos salvare voluit. *Adamus* servus Dei, volens formam Dei induere, servus diaboli factus est; *Christus* ut eum liberaret servi formam induit, etsi formam Dei haberet.

V. Necessitas *exaltationis* Christi etiam non minùs evincitur, si attendatur, 1. Non potuisse manere in exinanitione æternum Dei Filium. 2. Justitiam Dei non potuisse pati, ut, qui plenè ei satisfecerat, suo præmio fraudaretur. Non mirum est si *exinanitio* præcesserit *exaltationem*, 1. Quia priùs satisfaciendum erat justitiæ, et priùs infernus claudendus, antequam aperiretur cœlum. 2. Quia gloria debebat esse æterna, necesse itaque fuit ut præcederent passiones. Sed ut *exinanitio* præcessit *exaltatio* sequi debuit; hoc postulabat non justitia Dei tantùm et sapientia, sed et opus salutis nostræ, et fides Ecclesiæ.

VI. *Exinanitio* Christi personâ divinâ minime indigna fuit, nam ejus passiones non fuerunt *involuntariæ*, sed *voluntariæ*; non *effectus* aut *sui peccati* aut *sortis infimæ*, sed *sapientis providentiæ*, et amoris infiniti; easque passus est ut esset Redemtor hominum, ut justitiæ divinæ fieret satis, ut fontes misericordiæ aperiret, et ut salutis æternæ generi humano auctor esset: per eas paradisi fores reseravit, vitam æternam meruit, justitiæ et majestatis divinæ gloriam extulit, sanctitati ac veritati suum pristinum restituit splendorem, ac toti orbi lucem, gaudium, et spem reddidit.

VII. Per hanc Christi exinanitionem, nullatenus imminuta fuit ejus natura divina, nec immutata, divinitas enim mutationis omnis est incapax, nec quicquam suæ gloriæ æternæ ac naturalis deperdidit, non enim desiit esse quod erat; id tantùm contigit, Christum Deum velo carnis radios divinitatis velasse, ac se sub velo mortalium oculis occultasse, et quidem sub velo carnis infirmæ, miseræ, omnibus opprobriis et doloribus, imò morti obnoxiæ.

VIII. Non ita tamen se occultasse credendum, quin subinde varios emiserit gloriæ divinæ radios, sive in mira-

culis, quæ patrabat, sive in rebus mirabilibus, quæ illi contingebant, quales vitæ sunt, non in nativitate tantùm ac vitæ curriculo, sed et in mortis confinio ac vitæ extremis.

IX. Ut per *exinanitionem* Christi nulla facta est imminutio ejus naturæ divinæ, ita nulla accessio in *exaltatione*: sed ut exinanitus est, quando sub velo formæ servi majestatem suam occultavit, ita exaltatus est, quando remotò velo infirmitatum carnis, ejus gloria, quam habuerat ab æterno, et quæ ad tempus latuerat, in eo refulsit.

X. Ad ejus *exinanitionem* pertinent *nativitas* ejus, *vita*, *mors*; ad exaltationem spectant ejus *resurrectio*, *ascensio*, et *ad dextram Dei sessio*. De illis sigillatim dicendum.

CAPUT XIII.

De conceptione ac nativitate Christi.

I. INCIPIT *exinanitio* Christi ab ejus *nativitate*, circa quam variæ quæstiones expendendæ, 1. Quando Christus natus? 2. Quam matrem habuit? 3. Quomodo conceptus? 4. Quid in ejus nativitate contigerit?

II. Quoad primam quæstionem, curiosa est magis quam utilis. Certum est natum sub Herode magno, Matth. ii. Sed nescitur quo anno regni Herodiani: Certum natum sub *Augusto* Cæsare, Lucas ii. Sed ignoratur annus imperii Augusti, imo nescitur, unde incipienda æra Augusti, an à cæde Julii Cæsaris; an à primo ejus consulatu, an à triumviratu, an ab Actiaca victoria, an à delato ei nomine Augusti? Non mirum si annus Christi natalium ignoretur, ob seriùs observatam hanc nativitatis epocham, à *Dionysio exiguo* Abbate, circa annum Christi 532, imperante Justiniano. Juxta ejus Dionysii supputum incidit annus nativitatis Christi in annum mundi conditi 3960, et urbis conditæ 753, ac periodi Julianæ 4714. Quoad mensem et diem, definire temerarium, an inciderit in 6. *Januarii*, quo die est festum *Epiphaniorum*, ut ita quondam ecclesiæ Orientales, Hierosolymitana, Ægyptiacæ, Asiaticæ; an in 25, *Decembris*, quæ communis est sententia, antiqua satis, imprimis in Latina et Occidentali ecclesia, traditioni apostolicæ adscripta in Constit. Pseudo Clem. Lib. v. cap. 13, deinde à Græcis, Syris, Ægyptiis communiter recepta, inde à seculo v, an in finem *Septembris*, aut initium *Octo-*

bris. Tutissimum ἐπίχειν; unum addo tantùm, diem 25. Decembris tempore Chrysostomi inter Christianos festum esse cœpisse; sed non toto Oriente ante Justini imperatoris tempora, seculo VI.

III. Quoad secundam quæstionem, quamnam matrem habuerit Christus? Respondemus cum Scripturâ, fuisse Virginem Mariam Josepho desponsatam, ex tribu Judæ, ac semine Davidis utpotè filiam *Heli*. Illud docent Evangelistæ *Matthæus* et *Lucas*, nasciturum ex virgine prædixerat. Isaias vii. 14. *Ecce virgo prægnans erit et pariet filium*, &c. Filiam fuisse Heli Mariam, scivisse Judæos quidam docti observarunt; ex Thalmude allegat Lightfoot religiosum quendam in somniis vidisse pœnas inferorum, interque eas Mariam filiam Heli in umbris suspensam per mammarum glandulas. De beata Virgine nolumus hic referre fabulas, quas tueri nonnulli haud erubuerunt de prodigiosa ejus nativitate, et educatione in templo, vel etiam sancto sanctorum, et voto perpetuæ virginitatis, et examine pudicitiæ illius per sacerdotem, et nescio quem sacerdotem. Has ut et alias nugas referre, refellere est.

IV. Ex substantiâ beatæ illius virginis formatum est corpus servatoris, nequis deliret cum *Valentinianis*, qui de cœlo missum corpus aiebant, ac corpus virginis instar canalis, fuisse, per quem Christi corpus transierit; aut cum aliis hæreticis, qui aliquid verbi in carnem conversum esse, et loco animæ divinitatem carnem informasse. Quorum omnium absurdam esse sententiam non dubitabit, qui attendet vocari expressè Christum, *Semen mulieris, semen Abrahæ, filium Davidis, fructum lumborum ejus, fructum ventris Mariæ;* et *factum ex muliere* dici, *participem carnis et sanguinis, in omnibus similem nobis, excepto peccato*, et *fratrem nostrum*. Gen. iii. 15. Gen. xxii. 18. Matth. i. 1. Luc. i. 31, 42. Gal. iv. 4. Heb. ii. 11, 14, 15.

V. Cur ex virgine nasci voluit, si quæras, sanè nemo *tibi* satisfaciet; hoc indicasse sufficiat, 1. Noluisse Christum creari immediatè, ut *Adamum*, ut frater esset noster ex eadem massâ formatus, ac perfectam nobiscum communionem haberet. 2. Noluisse generari ut alios homines, tum ne miraculum multiplicaretur sine necessitate; sanctificando semen mulieris et viri; tum quia extraordinariam genituram postulabat persona extraordinaria; tum ut inde conjicerent homines, eum non esse simplicem hominem. Ex fœminâ nasci voluit, aliorum hominum more, ut verum hominem se probaret; ex semine viri nasci noluit, ut etiam aliud esse quàm hominem crederemus.

VI. Quomodo ex virgine infans nasci potuerit, nemo mirabitur, qui responsum angeli, Luc. i. 27. meditabitur; *Apud Deum nullum verbum esse impossibile.*

VII. Scholasticorum nugationes non moramur, qui ipso conceptionis momento corpus Christi plenissimè conformatum hariolantur. Non aliter enim formatum ac natum credimus Christum, ac alios homines, siquidem in omnibus similis nobis esse voluit.

VIII. An post partum semper *virgo* manserit *Maria*, non definit Scriptura, sed piè creditur; ac probabile admodum, uterum illum, in quo Servator vitæ auspicia accepit, tanto hospite ita consecratum fuisse, ut intacta virgo semper manserit, quod adversus Helvidium et Antidicomarianitas defenderunt patres.

IX. Quoad tertiam quæstionem, *Quomodo conceptus fuit*, docet Scriptura, *quod in ipsa genitum est, ex Spiritu Sancto est.* Matth. i. 20. *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi inumbrabit te.* Luc. i. 35. Quibus verbis, ut hoc per transennam observem, alludit fortè ad id, quod narrat Moses, solitam esse nubem descendere super tabernaculum, et id operiri, adeò ut non modò ostium ejus obumbraret, sed etiam ut gloria Jehovæ tabernaculum ipsum impleret. Quo momento nubes tabernaculo circumfundebatur, Jehovæ gloria in id penetrabat, sic intus et extra, numine non operiebatur modò, sed et implebatur. Corpus Mariæ fuit ad instar *tabernaculi*, In illud infudit se τον λόγον Divinitas, eo momento quo Spiritus Sanctus corpus hoc veluti circumplexus est, ut opus incarnationis hactenus hominibus incognitum, et angelis ipsis impervium vi illa divina perficeretur.

X. *Spiritus Sancti* interventio necessaria fuit, 1. Tum ut semini virginis vim prolificam inderet. 2. Tum ut ex massâ virgineâ Christi corpus effingeret et animaret. 3. Tum ut corpus et animam Christi ab omni labe præservaret. 4. Tum ut disponeret ad unionem hypostaticam.

XI. An per *Spiritum Sanctum* designetur tertia persona S. Trinitatis, an verò ipsa divinitas Christi, disputatur? Posterius visum est quibusdam veteribus, Justino Martyri Apol. 2. Tertull. adv. Praxeam, Ambrosio et aliis. Prius defendunt plerique theologi; hac nixi ratione, quòd Lucas, et in eo primo capite, ubi Spiritus Sancti nomen sexies occurrit, et in sequentibus, in quibus frequentissimè memoratur, perpetuò tertiam personam designat, unde non verosimile iis videtur diversam hîc illi esse significationem attributam.

XII. Verùm si intelligatur *tertia persona Trinitatis*, quæ vulgaris est sententia, non existimandum Spiritum Sanctum posse dici *patrem Christi*, ex eo quod ex illo conceptus dicatur, nam ex substantiâ Spiritus Sancti humana Christi natura progenita non est. Aliud est virtute suâ aliquid ex materiâ aliunde assumta formare; aliud ex substantiâ suâ generare. Prius fecit Spiritus Sanctus, sed non posterius.

XIII. Quoad quartam quæstionem, quid in nativitate Christi contigerit? Notus est locus nativitatis, Bethlehem, scilicet, juxta oraculum *Micheæ* v. 1. Notæ cunæ abjectæ, *præsepe* nimirum, (quamvis nonnullis nunc placet aliud intelligere per præsepe, quàm quòd vulgò intelligitur.) Notus angelicus nuntius ad pastores. Quod Baronius et alii referunt, de *speluncâ Bethlehemitica*, *præsepi argenteo*, *bove et asino allegatis*, *fonte ex rupe profluo*, *responso* Apollinis ad Augustum Cæsarem,

Me puer Hebræus divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet,

et de *arâ* ab *Augusto* Romæ erectâ, *arâ primogeniti Dei*, inter fabulas reponimus.

CAPUT XIV.

Quænam præcipue sunt observanda in vita Christi?

QUOD *primum* observandum venit in vita Christi, est ejus *circumcisio* ac primi cruoris libatio; quæ fuit pars ejus *exinanitionis*, in eo quod voluit subjici legi et implere omnem justitiam. Quum autem circumcisus est, 1. Carnis à se assumtæ veritatem ostendit. 2. Ad sanctum Abrahami genus sese pertinere probavit. 3. Priscorum patrum circumcisionem in corpore suo sanctificavit, et promissiones ipsis factas confirmavit. 4. Idoneus factus est minister circumcisionis, Roman. xv. 8. Ideo autem circumcidi voluit, 1. Quia dicebat eum *omnem implere justitiam*, ut aiebat Matth. iii. 15. Id est debitam mandatis Dei obedientiam. 2. Ut ostenderet se pro vero Dei populo probare populum Israëlis. 3. Ut se non adversari Mosi demonstraret. 4. Ut receptâ in sese legis impletione, nos ab ejusdem maledic-

tione liberaret. Galat. iv. 5. Nomen autem *Jesu* in circumcisione ei de more impositum, salutis per ipsum nobis partæ nos admonet, quâ in re duos eximios typos habuit ejusdem nominis, *Josuam* ducem Israëliticum, qui in terram promissam Israëlitas introduxit, et *Jehoschuam* summum sacerdotem. Apud ipsos Græcos et Romanos nonnulli principes dicti sunt σωτῆρες, ut Hercules, Quintus Flaminius, aliique; ut patet ex nummis veterum. Notatu dignum est, quod Rabbi Hakkados in Lib. Gale Rasaia dixisse narratur. *Quia Messias homines salvabit, vocabitur* Jeschua, *gentes autem alterius nationis, quæ fidem ejus sectabuntur, vocabunt eum* Jesus, *et propterea invenies hoc nomen* Jesu *designatum.* Gen xlix. 10. *si enim acceperis primas literas dictionum,* (quæ in eo versiculo sunt) *nomen Jesu eædem* literæ conficient.

Nihil dicimus de Christi in templo oblatione, Simeonis amplexu, magorum adventu, adoratione, muneribus, in Ægyptum fugâ et aliis; sed *secundò*, observamus actionem Christi duodecennis sedentis in templo, non quidem in doctorum cathedrâ, nec in discipulorum ordine, qui coram magistris stabant, sed audientium in subsellio, Luc. ii. 42, 43.

Tertiò, observanda est vita apud parentes transacta cum reverentiâ et subjectione, quæ *exinanitionis* non minima fuit pars. An in opere manuario se exercuerit, et eodem cum *Josepho*, ut *Justino*, *Basilio*, *Chrysostomo*, aliisque creditum, dubitare licet, sed nullum est dubium quin transactum fuerit illud tempus inter meditationes sacras, et præludia administrandi muneris.

Quartò, observandus est baptismus Christi, qui exorsus est ministerium suum, annos quasi triginta natus, qui annus fuit ipsissimus *ministerii sacerdotalis* Num. iv. 47. admoti *Josephi* ad præfecturam Gen. xli. 46. *Davidis* ad regnum 2 Sam. v. 4. Baptizatus fuit à Johanne Baptista Zachariæ et Elizabethæ filio, de quo Malachias locutus fuerat sub nomine Eliæ. Baptizari autem ab eo voluit, 1. Ut adimpleret omnem justitiam, et se omnibus ministeriis subjiceret. 2. Ut ministerium Johannis confirmaret et suâ auctoritate obsignaret. 3. Ut tam veterum quam novorum sacramentorum vim et sanctificationem à se uno pendere doceret; et ut hoc sacramentum cum summâ reverentiâ exciperetur à Christianis ad exemplum Servatoris. In Baptismo illo Christi voce patris auditâ, cœlis apertis, Spiritu Sancto sub specie *columbæ* conspecto, ac super Christum descendente, solemniter Christus ad Mediatoris munus inauguratus est.

Quintò, observandum *jejunium quadraginta dierum* in deserto, quo miraculo voluit ostendere Christus, se non inferiorem Mose et Eliâ.

Sextò, observanda *tentatio* diaboli in eodem deserto, postquam Christus, jejunavit et esuriit: ter enim aggressus est diabolus Christum, sed ter victus fuit, et qui de primo Adamo triumphaverat, à secundo debellatur. Hæ tentationes docent, 1. In quem hostem nobis sit pugnandum, postquam Christo sacramentum diximus. 2. Quibus telis nos adoriatur Satanas, et quibus armis superandus sit. 3. Neminem vacationem sibi spondere debere ab hâc militiâ, à quâ nec Dei Filius immunis fuit.

Septimò, observanda *prædicatio* Christi, quâ legem à falsis Pharisæorum glossematis liberavit, traditiones scribarum impugnavit, eorum hypocrisim et superbiam arguit, et omnia evangelii mysteria explicuit. De eâ fusius in sequentibus dicemus.

Octavò, observanda sunt miracula Christi, circa quæ notandum, 1. Numero fuisse *infinita*, Joh. xxi. 25. 2. Fuisse facta *coram multis testibus*, ne quæsiisse latebras dicatur, ac sic ab impostoribus se destinxisse. 3. Fuisse *universalia*, in omnes creaturas, in *diabolos*, in *mare*, in *ventos*, in *pisces*, in *panes*, in *porcos*, in *aquam*, in *ficum*, in *omnia morborum genera*, in *mortem ipsam*. 4. Superasse *vires naturæ et dæmonis*; nam dæmon non potest suscitare mortuum, nec satiare quinque panibus multa millia hominum. 5. Fuisse mera *beneficia*, liberationes à malis, et excitationes à morte; duobus tantùm exceptis, *immissione diabolorum in porcos*, et *maledictione ficûs*; tertium addi potest, nempe *ejectio mercatorum è templo*: sic distincta fuerunt miracula Christi à miraculis Mosis et Prophetarum, quæ terrifica erant, ut plurimùm. 6. Habuisse *effecta permanentia*, non momentanea et citò evanescentia. 7. Miracula fecisse sæpè unico verbo, *Volo mundator*. Matth. viii. 3. Aliis potestatem miracula faciendi dedisse in suo nomine, Matth. x. 8. Luc. x. 9. Hoc unum addam, nunquam legi Christum in proprium commodum miracula fecisse, et esurientem licèt ac sitientem, quamvis ipsi omnes obsequerentur creaturæ, non alio tamen, quàm naturæ manibus cibari voluisse; sicut enim in aliorum bonum tantùm venerat, ita hominum commodis unicè inservivit.

Nonò, observanda transfiguratio Christi, narrante Matthæo xvii. in quâ *Moses et Elias* visi sunt, et Patris vox audita.

Decimò, observanda est mira obedientia à Christo præ-

stita legi, non modò in circumcisione; sed in omnibus aliis à lege præscriptis. Ad eam obligabatur non modo quà homo, ac Dei creatura; non modò quà filius Abrahami, sed quà sponsor noster; duo enim à nobis exigebantur, 1. Ut impleremus mandata Legis. 2. Ut pœnas peccatis nostris debitas lueremus. Utrumque non poteramus; utrumque præstitum à Christo. Quà homo Christus non obligatus fuit ad observandum legem divinam eo modo, quo homines qui in terris versantur, sed tantùm prout sancti in cœlis. Pars ergo humiliationis Christi fuit, quod in terris ad tempus versaturus, eas leges servare voluit ad quas homines obligati sunt, quia in Deum peccaverunt.

Undecimò, notanda est *duratio* ministerii Christi, quæ fuit juxta alios *quatuor* annorum, alii meliùs trium annorum, cum aliquot mensibus; sic quatuor paschata celebrasse creditur, *primum* in quo templum repurgavit, Joh. ii. 13. *Alterum* Joh. v. 1, 2. in quo ægrum sanavit in sabbatho ad piscinam Bethesdæ. *Tertium* illud de quo Joh. vi. quod tum erat proximum. *Quartum* paulò ante mortem.

CAPUT XV.

De Passionibus ac Morte Christi.

I. Ad *exinanitionem* Christi præcipuè pertinent ejus *passiones*, quo nomine veniunt ea omnia, quæ Christus præter naturalem voluntatis suæ propensionem propter peccata nostra tulit, quamvis spontè tulerit, sed imprimis ea, quæ sub extrema vitæ pertulit, de quibus dicendum.

II. Ut distinctè loquamur de iis, observandum, 1. Non tantùm corpore passum fuisse, sed et animâ, quod evincimus non modo ex testimonio Scripturæ, dicente Christo de se ipso, *anima mea turbata est ad mortem usque*, Matth. xxvi. 38. Joh. xii. 27. sed etiam ex eo quòd salus nostra requirebat, ut in animâ et corpore pateretur, vas peccatorum qui animâ et corpore peccaverant, et quibus lex interminabatur non tantùm corporeas passiones, sed et spirituales et internas. 2. Illas passiones fuisse summas et gravissimas, non tamen æternas; æternas merebat peccator, sed temporis infinitatem infinita personæ Christi dignitas compensavit. 3. Illas passiones fuisse ab omni peccati labe immunes. 4. Alias præcessisse mortem, alias mortem ipsam comitatas esse. In horto Gethsemane præcesserunt; tunc

enim fuit in *agone*, et summus fuit ejus animæ angor, et quidem talis, ut sanguineum sudorem ex ejus corpore expresserit. Quod contigit, sive quia tristitia summa non tantùm cordis vasa majora constrinxit, sed etiam minora vascula venarum ad extremitatem cutis pertingentia, ut sic compressa sanguinem effunderent, sive quod dum tristitia cordis constringebat vasa, amor contrà et generis humani liberandi desiderium, vasa cordis et venas dilatabat, unde contrariis istis motibus potuit fieri, ut sanguis è minusculis venis effueret. Tristitia quoque hæc expressit has preces, *si possibile est, transeat à me poculum hoc, sed non ut ego volo, sed ut tu vis.* Matth. xxvi. 39. Hujus autem angoris causa fuit, non tantùm metus naturalis mortis, sic enim multis martyribus infirmior fuisset, sed et sensus justitiæ Dei, qui in ejus animam, modo nobis inexplicabili, agebat. 5. Aliæ passiones proximè mortem præcesserunt, ut quum sacrosanctum Christi nomen probris aspersum fuit, caput spinis laceratum et calamis percussum, facies sputis fœdata et alapis contusa, lingua siti perusta et aceto et felle infecta, manus pedesque clavis perfossæ, reliquum corpus inter latrones in cruce distentum. 6. In illis passionibus omnes virtutes explicuit Christus, summum erga Deum amorem, summam submissionem Providentiæ, summum desiderium suo munere fungendi, summam in Patrem fiduciam, summum erga peccatum odium, summum erga genus humanum amorem, summam patientiam. 7. Passiones Christi omnes fuere satisfactoriæ, non eæ tantùm, quas trihorium obscurationis solaris sustinuit, dum erat in cruce, et antequam animam efflaret, sed eæ, quas à primordio vitæ ad dirissimam crucem passus est. Illas enim non potuit pati, nisi quatenus sponsor: nam si sponsionem non supponamus, Christus aliter considerari nequit, quàm ut innocens, et perfectè sanctus, qui pati non debuit.

III. Non tantùm passus est, sed et mortuus. Mori debuit, quia alias satisfacere justitiæ non poterat; justitia quippe mortem peccatoris postulabat, et hanc interminatus fuerat Deus Adamo; vas itaque eam debebat pro nobis pati, nec peccatum meliùs poterat expiari, quàm per summam creaturæ exinanitionem, qualis est mors; at per mortem eam Christus destruxit eum, qui habebat imperium mortis, Heb. ii. 14.

IV. Mirum videri non debet, si supplicio crucis moriatur: mortem cum Dei maledictione conjunctam merueramus, at crucis supplicium maledictum erat: vel saltem qui cruci

affixus erat, maledictus dicebatur, et suspensio erat signum incumbentis maledictionis, juxta id quòd scriptum est, *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, Deut. xxi. 22, 23. Necesse itaque erat, ut vas noster talem mortem maledictam subiret, quò sic à maledictione nos liberaret. Hoc docet Paulus, Galat. iii. 13. *Christus*, inquit, *nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio; scriptum est enim, Execrabilis quisquis pendet in ligno.* Prædictum id fuerat Ps. xxii. 17. *Cœtus maleficorum me cinguni, foderunt manus meas et pedes meos.* Legendum enim כארו, probatur, 1. Ex confessione auctoris Masoræ majoris. 2. Ex testimonio R. Is. Levitæ. 3. Ex τῳ ὤρυξαν LXX. Interp. 4. Ex Bibliis Complutensibus, quæ ad fidem veterum codicum fuere collata. 5. Ex Syro interprete, Arabe, Æthiope. 6. Ex constanti lectione vetustissimorum patrum, quibus alia multa addi possunt; nisi malimus ex sententia Cl. Jacobi Altingii, viri in Hebraicis doctissimi, legere simpliciter, *Caari*, quod significat et juxta ipsum quoque *fodientes*, à radice כור, quam habet Forsterus in Dictionario suo; nec mirùm si *vau* media radicalis mutetur in *aleph*, hoc sæpissimè enim contingit, ut Hos. x. 14, Zach xiv. 10. Prov. xxiv. 7. non mirum quoque si *mem* in fine tollatur, ita ut legatur *Caari* pro *Caarim*; nam observante Kimkio, pluralia aliquot extant cum solo chireck sine *mem*, ut 2 Sam. xxiii. 1. Ezech. xxxii. 30. Verùm his missis, hîc satis mirari non possumus summum Dei erga homines amorem, qui pro eis dederit unigenitum et cruci exposuerit, simulque erga peccatum odium, quo factum ut ejus justitia placari non potuerit, nisi crucifixione Filii, supplicio lento, ignominioso et crudelissimo, posteris Abrahæ ignoto, servis destinato et sceleratis infligi solito.

V. De *Cruce* varia quærunt docti; de ejus *forma*, quæ modò decussata, ad speciem literæ X. vel referebat literam T. arrectario ligno supra transversum eminente; de ejus *partibus*, an præter lignum medianum, quod affigi solebat trunco crucis medio, quod *sedilis excessum* vocat Tertullianus, fuerit quoque *suppedaneum*; de ejus *magnitudine*; de crucis Christi *inventione* ab Helena Imperatrice, referente Ambrosio, Paulino Ruffino, Sulpitio, Nicephoro, aliisque, sed tacente Eusebio in Historia, in vita Constantini M. et in Chronico authentico.

VI. Ad supplicium *crucis* raptus fuit Christus, ex sententiâ *judicis*, postquam se stiterat ejus judicio, ut in hâc judiciariâ morte, appareat satisfactio pro peccatis nostris, quæ

in morte naturali non fuisset conspicua. Non inutile hîc erit observasse, judicatum Christum à potestate gentili, ut pateret tunc sceptrum à Judæis sublatum. In Gemara Babylonica hæc leguntur; *traditio* est vesperâ paschatis suspensum fuisse Jesum, præiisseque præconem per quadraginta dies, sic dicentem: prodit iste lapidandus, eò quod præstigias egit, et persuasit, ac seduxit Israëlem, quicumque novit pro eo defensionem, prodeat et proferat: at non invenerunt pro eo defensionem, suspenderunt ergò eum vesperâ paschatis.

VII. De omnibus quæ vel præcesserunt, vel comitata sunt mortem Christi, non est quod dicamus, *proditione Judæ, abnegatione Petri, Pilati tergiversationibus et judicio, septem verbis* à Christo prolatis, aliisque mirandis, quum sol præter omnes leges naturæ defecit, terra tremuit, rupes dissilierunt, velum templi scissum, sepulchra mortuorum aperta; notissima hæc, et apud omnes commentatores fusè pertractantur.

VIII. Hîc aliquid addam circa hæc Christi verba, *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti*, non existimandum esse, desertum planè fuisse à Patre Christum, sed ideò tantum dici desertum, quia sensum gratiæ suæ et influxus solatii tantisper suspendebat Pater, ut Filius posset pœnas omnes nobis debitas perpeti. Unde Christus, quum clamat se à Patre derelictum, illum tamen his verbis compellat, Deus mi, Deus mi. Derelictus igitur fuit orbis Servator, non quasi Divinitas naturam humanam assumtam planè dereliquerit, quod enim semel assumsit Filius Dei nunquam dimisit; non quasi influxus sanctitatis suspenderit Deus, semper enim sanctitate fuit ornata Christi anima; non quasi eum sua protectione privaverit Deus, semper enim illi fuit à dextris, nec unquam relictus est solus, sed dicitur *derelictus*, quia ad momenta quædam caruit sensu dilectionis divinæ, et è contra sensit iram Dei illi incumbentem. Estheram ita clamantem introducunt Talmudici, in Bab. Megillah, fol. 15. 2. quod et citatur in Glossemate ad Joma fol. 29. 1. Stetit Esthera in atrio palatii interiori, dicit R. Levi, Cùm ad Idoleum jam appropinquaret, recessit ab ea divina gloria, dixit ergo illa, Eli, Eli, lamma Hazabtani.

IX. Fructus hujus mortis Christi sunt varii. 1. Satisfactio justitiæ Dei. 2. Remissio peccatorum et eorum expiatio. 3. Reconciliatio cum Deo. 4. Perfecta redemtio; de Satanâ mundo et peccato plena victoria, et hæreditatis cœlestis acquisitio.

X. Hæc Christi mors nos docet, 1. Summam hominum miseriam. 2. Pœnas criminibus nostris debitas. 3. Inauditam Christi charitatem. 4. Justitiæ Dei severitatem. Rursus summa est consolationis scaturigo, et ad virtutes Christianas potentissimum incentivum.

CAPUT XVI.

De Sepulturâ Christi ac Descensu in inferos.

I. MORTEM Christi excepit ejusdem *Sepultura*, Marc. xv. 43. Matth. xxvii. 59, 60. Luc. xxiii. 50. Prædicta fuerat, Isaias liii. 9. *Et dedit cum improbis sepulchrum ejus, et cum divite in mortibus suis.* Psal. xvi. 10. Sepeliri voluit autem Christus, 1. Ut de morte ejus, semoto omni dubio, certi essemus; hinc non sine causâ à Marco annotatum, Pilatum non priùs corpus ad sepulturam concessisse, quàm exploratam et compertam haberet ejus mortem, Marc. xv. 17. Imò sapienter divina intercessit Providentia, ut non ab hostibus, qui vel semivivum sepulchro inferre non essent veriti; sed amicis, qui spirantem condere nequaquam voluissent, sepultus fuerit. 2. Ut in ipso sepulchro tanquam mortis habitaculo corpus suum a corruptione asserens, gloriosiorem, morte superatâ, triumphum reportaret. 3. Ut sepulchra nostra sanctificaret, et ut nec mors, nec sepulchrum, vivificæ mortis Christi odore perfusum, nobis posthac terrorem incuteret.

II. Illustris sepulturæ Christi typus in Jonâ est, de quo ipse Dominus, Matth. xii. 40. qui in ventre ceti tres dies et tres noctes latuit. Quam historiam imitari voluerunt ethnici; fingebant enim Herculem, à cane Carcharia, quem Neptunus immiserat absorptum, tribus diebus ibi hæsisse, unde ἐρίνυος vocatus, et postea amissâ capitis sui cæsarie exiisse.

III. Tempus, quo in sepulchro mansit Christus, non fuit solidum triduum; expiravit die Veneris circa horam tertiam pomeridianam, restantibus illius diei horis tribus, usque ad solis occasum, quæ tres horæ censentur pro die primo; successit sabbathum integrum à vesperâ ad vesperam, qui dies secundus fuit; insecuta nox, sub cujus matutinum crepusculum resurrexit Christus.

IV. In alieno sepulchro repositus est; adeo extrema fuit ejus paupertas, ut qui vivens non habuerat, ubi dormiturus

caput reclinaret, mortuus opus haberet, ut aliena liberalitas de sepulchro prospiceret. Hîc juvabit quædam observasse, 1. Christum à Josepho Arimathæensi sepultum, qui occultus fuerat Christi discipulus; Josepho Mariæ viro Christi nascentis cunæ curæ fuerunt; alteri Josepho ejusdem mortui committitur sepultura. 2. Nicodemum illi Josepho se junxisse, et mixturam myrrhæ et aloës, ad libras ferè centum, attulisse, Joh. xix. 39. Mos quippe erat Judæorum cadavera aromatibus condiendi, quem morem ab *Ægyptiis* hauserant, cum hoc discrimine, quod *Ægyptii* interius inungentes viscera eximebant, Judæi verò exterius tantum. 3. Formam Judaicorum sepulchrorum à nostris haud parum diversam fuisse: solebant opulentiores cavernam in petra excavare quæ primò aream haberet in medio ad ingressum, ab utroque autem latere speluncam areâ quatuor cubitis depressiorem, quæ suas iterum haberet cavitates sive loculos, aliquæ octo, aliquæ tredecim, in quibus componebantur cadavera. 4. Novum fuisse sepulchrum Christi, ne vel alium Christi loco, vel Christum alterius cujusdam virtute suscitatum quis male feriatus diceret.

V. De *Descensu Christi ad inferos*, ut aliquid subjungamus, qui legitur in symbolo, vulgò Apostolico dicto. Observandum est, *primò*, hunc articulum, de *descensu Christi ad inferos* in omnibus propemodum antiquis symbolis omitti. Unde Ruffinus initio quinti seculi testatur, hunc articulum nec legi in ullo symbolo Ecclesiarum Orientis, nec in symbolo Ecclesiæ Romanæ, sed tantùm in symbolo Aquileiensis Ecclesiæ. Reperitur quidem in symbolo, vulgò dicto *Athanasiano*, sed dubium valde est, an Athanasium habuerit auctorem, et an illud symbolum ante annum sexcentesimum notum fuerit Ecclesiæ.

Secundò, quædam symbola, quæ articulum de descensu Christi ad inferos habuerunt, articulum de sepulturâ omisisse. Non difficultendum tamen Aquileiense symbolum hæc duo junxisse, et Arianos referente Socrate lib. ii. symbolum Constantinopoli condidisse, ubi profitentur, se credere in Christum, mortuum et sepultum, et qui subterranea penetravit, quem etiam inferus reformidavit.

Tertiò, creditum fuisse à multis Patribus, descendisse Christum ad inferos, ut *Justino Martyre*, *Clemente Alexandrino*, *Irenæo*, *Origine*, *Eusebio*, et forsan eam opinionem dedisse locum huic Articulo.

Quartò, falsum esse tamen Christum descendisse localiter ad inferos, quicquid credidérunt illi Patres: quia anima

Christi, statim post solutionem à corpore, migravit in paradisum, juxta promissionem latroni factam, Luc. xxiii. 43. *Hodie mecum eris in paradiso.* Cur descendisset ad inferos, an ut ibi aliquid pateretur? sed in cruce omnia consummavit. An ut patres liberaret? Sed jam in cœlum recepti erant. An ut mortuis prædicaret? Sed *evangelizatio* pertinet tantùm ad statum hujus vitæ, non ad conditionem mortis. An ut damnatos ex inferno educeret? Sed eorum cruciatus non finem habituros docet Scriptura. An ut victoriam suam ostentaret diabolis? Sed sic iste descensus, ad exaltationem Christi pertineret potiùs, quam ad ejus exinanitionem, et præterea non opus fuit ut descenderet, quò victoriam suam notam faceret diabolis, eam enim nescire non poterant. Sanè non triumphi pompa in infimo illo ignominiæ gradu adornanda.

Quintò, non multùm litigandum esse de sensu hujus vocis; unumquemque posse explicare pro lubitu, vel de *spiritualibus Christi angoribus*, ut Calvinus, Beza, aliique censuerunt; vel de statu abjectissimo sub dominio mortis in sepulchro; sic mira erit antithesis articulorum symboli, *morti* opponitur *resurrectio ad vitam; sepulchro, ascensio in cœlum;* ita *sessio ad dextram* Patris tanquam summus gradus exaltationis, opponitur *descensui ad inferos*, tanquam infimo gradui exinanitionis.

Sextò, summopere hîc suspiciendum Christi amorem, qui voluit in summa jacere ignominia ad tempus, ut nos per illam ad summam eveheret gloriam.

CAPUT XVII.

De Resurrectione Christi.

I. HACTENUS prior status Christi explicatus, qui est *Exinanitio*, nunc posterior exponendus, *Exaltatio* scilicet, cujus tres sunt gradus, *Resurrectio à mortuis, ascensio in cœlum, sessio ad dextram Patris.*

II. Ut à *resurrectione* ordiamur, de eâ Christus noluit dubitare apostolos. Non enim tantùm per *angelos*, hanc testatam voluit mulieribus, sed ipsemet crebris apparitionibus confirmavit; undenas numerat Scriptura: 1. Mariæ Magdalenæ soli, Marc. xvi. 9. Joh. xx. 14. 2. *Mulieribus* à sepulchro regressis, Matth. xxviii. vs. 9. 10. 3. Du-

obus *discipulis* euntibus *Emauntem*, Luc. xxiv. 13, 23, 31. 4. *Simoni Petro* soli, Luc. xxiv. 34. 5. *Apostolis* collectis in Jerusalem, excepto *Thomâ*, Joh. xx. 19. 6. Octiduo pòst, omnibus discipulis, Thomâ præsente, Joh. xx. 26. 7. Ad mare Tiberiadis septem discipulis piscantibus, Joh. xxi. 1. 8. Undecim discipulis in monte quodam Galileæ, Matth. xxviii. 16. 9. Plusquam 500. fratribus, 1 Cor. xv. 6. 10. Jacobo seorsim. 11. Ipso die ascensionis omnibus apostolis simul in monte Oliveti. Verùm præter has apparitiones confirmavit fidem resurrectionis Christi effusio Spiritus Sancti miraculosa, quæ fuit Christi viventis magnum argumentum. Apparuit et post ascensionem Christus Stephano, Actor. vii. 55. Paulo, 1 Cor. xv. 8. col. cum Actor. ix. 3, 17. 1 Cor. ix. 1. et Johanni frequenter in Apocalypsi.

III. Nec est quod dubitemus de testimonio apostolorum; deceptos fuisse nemo credet, testantur enim de omnibus quæ viderant, palpaverant non semel, sed frequenter; decipere voluisse minus credetur, nam non est verosimile fefellisse apostolos, ut tot mala sibi accerserent, odium plebis, carceres, flagra, exilia, durissimam mortem, imprimis cùm ipsorum intererat contrarium testari, si Christus reverà non resurrexisset, siquidem à Christo miserè delusi fuissent.

IV. Prædicta fuerat hæc resurrectio in multis locis, imprimis Ps. xvi. 10. Is. lii. 8, 10. Hinc Christus ex Scripturâ, resurrectionem suam asseruit, Luc. xxiv. 45, 46, Paulus dicit suscitatum fuisse secundum Scripturas, 1 Cor. xv. 4. Variis quoque typis adumbrata fuit, Noachi, Isaaci, Josephi, Mosis, Jonæ.

V. Resurrexit tertiâ à sepultura die, qui terminus à Christo prædictus, Joh. ii. 19. primâ hebdomadis, primo primæ diei diluculo, et facta est resurrectio cum terræ motu, adstantibus gloriosis ministris angelis.

VI. Si inquiramus in rationes propter quas Christus resurrexit, variæ sese offerunt. 1. Intererat gloriæ Patris, ut Filius qui plenè satisfecerat, non ampliùs ut reus sub mortis imperio retineretur. 2. Princeps vitæ in vinculis mortis diutiùs non poterat esse; nec pati poterat natura divina, ut corpus divinitatis templum, sub mortis regno maneret. 3. Singula Christi officia, id requirebant. 4. Ut necesse fuerat Christum mori, ad acquirendam salutem, necesse fuerat quoque, ut resurgeret ad eam applicandam. 5. Ad fidem quoque et spem Ecclesiæ fundandam, necessaria erat hæc resurrectio; *si enim Christus non resurrexit, fides*

nostra vana est, observante Paulo 1 Cor. xv. 17. Unde et idem, Roman x. 9. ita loquitur, *si professus fueris ore tuo Dominum Jesum, et credideris in corde tuo, quod Deus eum suscitavit ex mortuis, servaberis*, et Roman. 1. 4. dicitur *Christus declaratus potenter filius Dei, ressurrectione ex mortuis*. Fides igitur nostra de *divinitate Christi* per ejus resurrectionem confirmatur.

VII. Propriâ virtute resurrexit, hoc sibi tribuit expressè, Joh. ii. 19. *Destruite templum hoc, et triduo illud ædificabo*, et cap. x. 18. testatur se *potestatem habère ponendi animam et resumendi*. Sæpiùs tamen tribui hanc resurrectionem Patri fatendum, quia in opere redemtionis, Pater se habet, ut judex qui ut Christum morti tradiderat propter peccata nostra, debuit eum suscitare ad nostri justificationem.

VIII. Discipulos Christi, quæ fuit Judæorum calumnia, Christi corpus furatos fuisse, nemo sanus credet. Audiatur *Sedulius*,

Fare, improbe custos,
Responde, scelerata cohors; si Christus, ut audes
Dicere, concluso furtim productus ab antro
Sopitus jacuit, cujus jacet intus amictus?
Cujus ad exuvias sedet angelus? anne beati
Corporis ablator velocius esse putavit
Solvere contextum, quam devectare ligatum?
Quum mora sit furtis contraria; cautius ergo
Cum Domino potuere magis sua linteа tolli.

IX. Fructus ex Resurrectione Christi ad nos redundantes sunt, 1. *Justificatio nostri*, docente Paulo Rom. iv. 25. Deus enim Filium suum è mortis carcere, in quem ob debita nostra conjectus erat, manumittens, ipso facto declaravit justitiæ suæ ad ultimum quadrantem esse pro nobis factum satis. 2. *Sanctificatio* nostri, unde Col. ii. 12. dicimur *suscitati cum eo, per fidem efficacis virtutis Dei, qui suscitavit eum è mortuis*. Vitam non sibi solum, sed et suis accepit et qui moriens meruit donum Spiritus, resurgens contulit illud donum. 3. *Testimonium et pignus ressurrectionis nostræ; primitiæ Christus, postea qui sunt Christi in adventu ejus*, 1 Cor. xv. 23. *si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum ex mortuis in vobis habitat, is qui excitavit Christum ex mortuis vivificabit etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem ipsius Spiritum*, Rom. viii. 11.

X. Resurrexit gloriosum corpus, et in naturam cœlesti-

um corporum transiit, ab omnibus imperfectionibus immune, tum ab illis quæ merè animales sunt, tum ab illis quas peccatum in mundum introduxit. Quòd si biberit et ederit post resurrectionem, non id fuit humanæ indigentiæ; sed benignitatis prorsus divinæ, et liberæ œconomiæ ad veritatem resurrectionis suæ demonstrandam.

XI. Idem tamen fuit corpus, quoad substantiam, *visibile, circumscriptum*, ut fuerat ante, sed quoad qualitates tantùm diversum. Verisimile etiam est, non eam fuisse gloriam corporis Christi in terris, quæ est nunc in cœlis; sic voluit discipulorum infirmitati succurrere, qui splendorem Christi multò minùs oculis usurpare potuissent; quàm Israëlitæ quondam radiantem Mosis faciem, 2 Cor. iii. 7. atque hæc de resurrectione satis.

XII. Addam tantum, Christum per 40. dies post resurrectionem, voluisse apud homines morari, non per brevius spatium, ut plena fieret resurrectionis fides; non per longius temporis intervallum, ne faveretur discipulorum errori, quo rursus se domesticæ Christi consuetudine fruituros opinabantur.

CAPUT XVIII.

De Ascensione Christi et Sessione ejus ad dextram Dei.

I. ALTER exaltationis gradus est *Ascensio in cœlum*, quâ quadragesimo post resurrectionem die, corpus jam glorificatum, è terrâ, et nominatim è monte Oliveti per aërem et visibiles cœlos, spectantibus discipulis, in supremum cœlum intulit.

II. Scriptura id perspicuè docet, ubi dicit Christum, *elevatum esse sursum*, Luc. xxiv. 51. Marc. xvi. 19. Act. i. 9. *ingressum esse in cœlum, et in eo contineri usque ad tempus restitutionis omnium*, Heb. ix. 24. Act. iii. 21, &c.

III. Prædictiones hujus ascensionis disertæ sunt, imprimis locus, Ps. lxviii. 19. *Ascendisti in altum* &c. Nobilissimus fuit Christi in cœlos ascendentis typus, *Pontifex maximus*, semel quotannis in sanctum sanctorum introiens. Adde *Henochi* et *Eliæ* raptus, quorum ille sub promissione, hic sub lege, in cœlum translati sunt; verùm non alienâ virtute, ut Henoch et Elias, sed propriâ Christi facta est ascensio.

IV. Locus, ex quo ascendit, fuit *Bethania*, non oppidum

illud ultra montem Oliveti situm, 15. ab Hierosoylyma stadiis, de quo Joh. xi. 18. sed tractus, sive pars *montis Oliveti*. Inter fabulas reponimus, quod narraverunt Veteres, scilicet locum illum, in quo postremùm steterunt divina vestigia, continuari pavimento cum reliqua stratorum parte non potuisse, quando Basilicam struebat Helena, quin et vestigia impressa cerni. Fortè origo erroris ex Eusebii verbis, lib. iii. de vita const. c. 42. ubi dicit, quod Helena τοῖς βήμασι τοῖς σωτηρίοις την πρέπουσαν ἀπεδίδου προσκύνησιν. Quæ de Judæa dicta malè monti Oliveti applicata; forte et ex Zachariæ vaticinio c. xiv. 4. *Stabunt pedes ejus illa die in monte Olivarum.* Vel ex Ps. cxxxii. 7.

V. *Nubes*, quæ Christum suscepit, ac sursum evexit, non, ut currus Eliæ, vehiculi vicem perhibuit, sed divinæ majestatis adspectabile fuit symbolum. *Ubique*, inquit Beda, *creatura Creatori suo præstat obsequium: astra indicant nascentem, patientem obnubunt, nubes recipiunt ascendentem, redeuntem ad judicium comitabuntur.*

VI. *Cœlum*, in quod evectus est, non est ipse Deus, nec gloria aut beatitudo cœlestis, sed est *tertium illud cœlum*, sedes beatorum, sacrarium non manu factum, in quod pontificem nostrum suo, non alieno, sanguine fuso et in cruce semel oblato ingredi decuit, Heb. ix. 24. *Proficiscor*, inquit Christus, Joh. xiv. 3. *paraturus vobis locum, ut, ubi ero ego, et vos sitis*, Col. iii. 1. *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est.* Estque ita in cœlis, ut cœlo contineatur, non ut in carcere, sed ut in augustissimo palatio.

VII. Visibiliter in illud cœlum spectantibus apostolis, et plaudentibus angelis, evectus est, non per præsentiæ visibilis tantùm subductionem, sed per veram et localem translationem naturæ humanæ, ut sola locorum Scripturæ inspectio satis superque docet.

VIII. Christi ascensui, maxima cœli à terra distantia non obstaculo fuit; etsi enim juxta Tichonem Braheum, cœlum stelliferum à nobis distet semidiametris terræ decies novies millenis, imò etsi longè major foret distantia, cùm illud cœlum tertium supra firmamentum concipiatur, distantiam esse finitam concludendum est; unde superari potuit, satis exiguo temporis intervallo, cùm motus nullius corporis adeò velox possit supponi, quin adhuc velocior possit dari; et hoc facile concipiet, qui omnipotentiam divinam attenderit, et corporis glorificati naturam.

IX. Intererat *gloriæ Patris*, ut unigenitum Filium, qui tot perpessus erat, ad eam gloriam eveheret, quâ se dignum præstiterat.

X. Intererat *Christi*, ut jure sibi parto gauderet, fortiterque prostratis hostibus, triumphali curru vectus, templum gloriæ lætus intraret. Ibi quà *sacerdos* comparere debebat coram facie Dei intra velamen post oblatum sacrificium in terris, idque tam necessario, *ut, si in terris remansisset, nequidem sacerdos noster esse potuisset*, Heb. viii. 4. Ibi quà *propheta* cathedram habere debuit, ut inde totum orbem doceret, ac thronum quà *rex*, ut inde totius universi habenas teneret, et ecclesiam ubique diffusam regeret.

XI. At quod justitia et sapientia Patris, ac gloria Filii postulabat, idem salus Ecclesiæ flagitavit; debuit enim ascendere, 1. Ut cœlum nobis reseraret. 2. Ut pro nobis intercederet, Rom. viii. 33. 3. Ut locum nobis pararet, Joh. xiv. 2. 4. Ut Spiritum suum in nos effunderet, Joh. xvi. 7. 5. Ut ad cœlestia animos et affectus eveheret, Coloss. iii. 1. 6. Ut nostræ ascensionis futuræ in cœlum certos redderet. *Assumam vos ad me, ut ubi ego sum, ibi et vos sitis*, Joh. xiv. 3. Atque ex ejus ascensione firmatur fides, stabilitur spes, augetur charitas nostra, et innumera ad sanctificationem motiva suppeditantur.

XII. De *sessione Christi ad dextram* ut loquamur, observandum est, eam doceri Ps. cx. 1. *Dixit Jehova Domino meo, sede à dextris*, cum quo conferenda, quæ Christus dixit Matth. xxii. 42, 43. et Paulus Eph. i. 20. Rom. viii. 33.

XIII. *Sessio illa ad dextram* non propriè et literaliter intelligi potest, cùm Deus nec dextram, nec sinistram habeat, sed figuratè et metaphoricè, ad summam dignitatem et imperium Christi designandum, metaphorâ sumtâ à regum et magnatum consuetudine, qui, quos volebant insigni honore mactatos, ad dextram suam collocabant, ita *Salomonis mater, ad regis filii dextram sedere jussa*, 1 Reg. ii. 19. et mater filiorum Zebedæi petit, ut filii sedeant ad dextram et sinistram Christi, in regno ipsius. Ita legitur in vita Neronis apud Suetonium cap. xiii. *Neronem, Tiridatem Armeniæ regem juxta se latere dextro collocasse.* In Synedrio septuagintavirali ad dextram principis sedebat *Pater domus judicii*, cum quo omnia communicabat.

XIV. *Sessio* illa itaque designat, 1. Summam Christi majestatem et gloriam, per quam summè exaltatus est à Deo, inauguratus rex et caput Ecclesiæ, ac nomen supra omne nomen accepit, Phil. ii. 9, 10. Eph. i. 20. Heb. i. 3, 2. Summum imperium, quod potenter exercet in omnes creaturas, ut explicatur à Paulo 1 Cor. xv. 25. ubi τὸ sedere

ad dextram, Ps. cx. 1. exponitur per βασιλεύειν regnare, *oportet eum regnare;* sic denotat potestatem judiciariam et regiam Christi, prout judices et reges sedere solent. 3. *Quietem* post exantlatos labores, *sede donec posuero*, &c. inquit Pater, sibi quasi sumendo quod reliquum est operæ, in debellandis hostibus.

CAPUT XIX.

Quodnam fuerit officium Christi Mediatorium?

I. De statu Christi diximus, jam de ejus *officio Mediatorio* dicendum. Ac *primò*, quidem observandum, variis nominibus istud *officium* designari, et imprimis hisce: 1. Nomine *Redemtoris;* quod nomen eximiè Christo competit, quippe qui nos redemit à quadruplici servitute, quâ premebamur, *peccati, legis, mortis, diaboli*, quique pretio dato redemit, non auro, non argento, sed proprio sanguine. 2. Nomine *Servatoris;* quod nomen idem est ac nomen Jesus, quodque apprimè Christo convenit, qui nobis salutem comparavit, non *corpoream*, ut *Moses* et *Josua* Israëlitarum duces, sed *spiritualem;* qui eam nobis nuntiavit per evangelium suum, quique eam nobis applicat per Spiritum suum, sed qui eâ plenè frui dabit *in ultimâ* die. 3. Nomine *Christi*, Messiæ Ps. ii. 2. Dan. ix. 25, 26. *Uncti*, quia unctus fuit ad instar regum, sacerdotum, et prophetarum, qui oleo inaugurabantur ad sacra munera. Gentiles rerum nostrarum ignari Christum appellabant *Chrestum*, ut Suet. in Claudio; ita Dionysius Heracleæ rex, χρηστὸς appellatus fuit διὰ τὴν ἡμερότητα. De Pertinace tradit Capitolinus, Chrestologum vocatum fuisse, et meminit Marcellus Donatus Chresti cujusdam sophistæ Byzantini, qui, Adriani Imperatoris tempore, Romæ Herodis Attici auditor fuit. 4. Nomine *Immanuelis*, Matth. i. 23. *Deus nobiscum.* 5. Nomine *servi Domini*, Ps. xl. 7. Is. liii. 11. 6. Nomine *filii hominis*, Dan. vii. 13. 7. Nomine *angeli fœderis*, Malach. iii. 1. 8. Nomine *principis salutis nostræ, ducis et consummatoris fidei*, Heb. ii. 10. et xii. 2. 9. Nomine *sponsoris fœderis novi*, Heb. vii. 22. *Tandem*, nomine *Mediatoris*, 1 Tim. ii. 5. Heb. viii. 6. ix. 15. et xii. 24.

Secundò, observandum est triplicem esse *Mediatorem*

inter homines, vel per modum *meri internuntii*, qui utriusque partis est interpres, ut Moses *mediator* dicitur, quia stabat, Deuter. v. inter Deum et Israëlitas medius, ad referendum Israëlitis sermonem Jehovæ, vel per modum *intercessoris et advocati*, qui patrocinatur pro alterâ parte erga alteram; vel per modum *sponsoris et satisfactoris*, qui dissidentes conciliat, satisfaciendo parti offensæ, et spondendo in posterum pro obsequio partis offendentis. Christus omnibus modis est noster *mediator*, 1. Fuit *internuntius*, quatenus fuit interpres utriusque partis, et imprimis quatenus voluntatem Dei hominibus declaravit: Joh. i. 18. quo sensu vocatur *angelus fœderis*, Mal. iii. 1. *consiliarius* Is. ix. 5. 2. Est *intercessor* et *patronus*, qui causam nostram coram Deo agit; παράκλητος, 1 Joh. ii 1. 3. Fuit *sponsor* et *reconciliator*, qui pacem sanguine suo nobis apud Deum paravit, et ea omnia præstitit, quæ à parte Dei et a parte nostri erant præstanda.

II. Ut rectè pateat, quomodo Christus sit noster *mediator*, videndum est, 1. Quid requirebatur in *mediatore*, 2. Quid præstare debebat. Quoad *primum*, mediator debuit esse *homo*, *sanctus*, et *Deus*: *Homo*, 1. Quia moriendum erat, nec Deus nec angelus mori poterat, 2. Ut facilem ad eum haberemus aditum. *Sanctus*, Heb. vii. 26. quia peccator mediatore ipso indiget, nec gratus est Deo. *Deus*, quia creatura finita non potest offerre pretium valoris infiniti; nec ferre pondus iræ Dei. Hæc autem tria in Christo occurrunt; 1. *Homo* est, sanguinis et carnis particeps, passionum capax, Heb. ii. 14. homo nobis in omnibus similis, frater noster, os ossium nostrorum, caro carnis nostræ. 2. *Sanctus* fuit ab omni peccato immunis ac impeccabilis. 3. *Deus* fuit benedictus in secula seculorum cum Patre, Filius Dei unicus, cui nihil denegare potest Pater.

III. Si quæratur jam, quidnam debebat præstare mediator? Respondemus debuisse, 1. Pro nobis *satisfacere* apud Deum, et *intercedere*, atque sic nos reconciliare cum Deo. 2 *Flectere* cor hominum et extinguere in nobis odium quo ferebamur in Deum. 3. Reconciliare hominem cum aliis creaturis, quæ homini infensæ erant post peccatum. 4. Se nobiscum conjungere, ut cum eo unum simus corpus.

IV. Atque hæc omnia præstitit Christus; non modo enim assumendo naturam nostram, Majestatem divinam reddidit hominibus aditu facilem, quæ anteà inaccessa, sed et 1. Morte suâ justitiæ divinæ plenè satisfecit, et sic nos recon-

ciliavit cum Patre, Rom. v. 10. Col. i. 20, 21. ac remissionem peccatorum obtinuit, Eph. i. 7. Col i. 14. Unde princeps pacis dictus est; rursus continuò intercedit, Rom. viii. 34. 2. Flectit cor hominum, et in iis extinguit odium, quo feruntur erga Deum, non modo suâ doctrinâ, non modo suo exemplo, sed et Spiritu suo, quem ipsis meruit, ut eos redderet dignos Dei communione. 3 Extinxit odium creaturarum adversus hominem, et reconciliavit eas cum eo. *Beneplacitum Patris*, inquit Paulus, *fuit reconciliare per Christum omnia sibi*, Col. i. 20. Eph. i. 10. 4. Se nobiscum arctissimè junxit, ut cum eo unum simus corpus, et hæc unio est spiritualis atque mystica, ac vinculum hujus unionis est fides à parte nostri, et Spiritus Sanctus à parte Christi.

V. Ut clarius adhuc illud explicetur, observandum duplex obstaculum nostræ felicitati removeri debuisse; *a parte Dei* ejus inimicitiam propter peccatum hominis, et *a parte hominis* ejus inimicitiam propter justitiam Dei; Deus itaque erat reconciliandus homini, et homo Deo: Christus priùs fecit per *meritum sanguinis*, quo pro nobis satisfecit, et Deum nobis reconciliavit. Unde à Paulo jungitur mediatori sanguis *per quæ asperationis*; allusive ad sanguinem victimarum legalium. Heb. xii. 24 posterius per *efficaciam Spiritus*, quâ nos sanctificat, et convertendo nos Deo reconciliat.

VI. Ex dictis duo hæc colliguntur. 1. Utramque naturam divinam et humanam concurrisse ad opus mediatorium; non humanam tantùm, sed divinam: omnes enim partes muneris mediatorii utramque naturam postulant, ut patebit, quam de triplici officio agemus. Rursus præcipua opera mediationis Christi, *Remissio peccatorum*, *redemptio*, *vitæ æternæ largitio*, ad divinam potius pertinent, quàm ad humanam; quâ *Deus* remittit peccata, dat Spiritum, vitam largitur; ut quâ *homo* moritur, resurgit, ascendit in cœlum, &c. Colligitur, 2. Solum Christum esse nostrum mediatorem, ut docet expressè Paulus 1 Tim. ii. 5. *unus est mediator Dei et hominum Christus homo*, quod evidenter patet ex iis, quæ diximus de requisitis ad mediationem; *unus* mediator, tum *redemptionis*, tum *intercessionis*: hæc enim non distinguit Scriptura; et nemo potest esse *mediator intercessionis*, qui non sit *redemptionis*; propitiatio et intercessio sunt duæ partes mediationis, quæ inseparabiles sunt, et quæ conjunguntur à Johanne, 1 Joh. ii. 1, 2. ut sub lege ad solum pontificem pertinebat in sacra-

rium ingredi, et deprecari pro populo, ad quem pertinebat sacrificare.

CAPUT XX.

De triplici Christi munere in genere, et de ejus unctione ad tria hæc munera.

I. Munus Christi Mediatorium in tria officia distribuitur, quæ sunt totidem ejus partes, *prophetiam*, *sacerdotium*, *regnum*. Triplex illud tribuit Scriptura *Christo*; modò ut *prophetam* proponit, Deut. xviii. 15, 18. Is. lxi. 1, 2. et ut *sapientiam* Patris, Prov. viii. 1. &c. modò ut *sacerdotem*, Ps. cx. 4. modò ut *regem*, Ps. ii. 6. Triplex illud docetur Ps. cx. *Regia* Christi dignitas per totum Psalmum asseritur; *prophetia* vers. 2. adstruitur, *sacerdotium* sancitur vers. 4. Triplex illud docetur etiam Zach. vi. 13, 14. et in evangelio Christus se vocat, *viam*, *veritatem*, *vitam*, Joh. xiv. 6. et Paulus ait factum *sapientiam*, *justitiam*, *sanctificationem* et *redemptionem*, 1 Cor. i. 30.

II. Tria ad nos salvandos requirebantur; *annuntiari* debebat salus, *acquiri*, et *applicari*; salutem *annuntiare* debuit quà *propheta*, *acquirere* ut *sacerdos*, *applicare* ut *rex*. Rursus triplici morbo laborabamus, in ignorantiâ summâ demersi jacebamus, maledictionem et odium Dei meruerâmus, et servi peccati, miseriarum et mortis eramus; *primo* malo medetur *prophetia* Christi; *secundo*, *sacerdotium*; *tertio*, *regnum*. Quà *propheta* Christus ad nos verba Dei defert, et à tenebris ad lucem transfert; quà *sacerdos* gratiam Dei nobis conciliat, et à condemnatione liberat; quà *Rex* gloriam Dei nobis communicat, et à miseriâ ad felicitatem traducit. Ac triplici huic muneri respondent tres Christianæ virtutes, *fides*, *spes*, et *charitas*; fides amplectitur doctrinam *prophetæ*, spes nititur merito *sacerdotis*, et charitas se per voluntarium obsequium sceptro *regis* subjicit, quamvis non difficultendum has tres virtutes triplex Christi officium amplecti.

III. Triplex genus hominum adumbravit Christum triplici hoc munere defungentem, *prophetæ*, *reges* et *sacerdotes*, sed hic quædam notanda. 1. Infinitum discrimen esse inter hoc triplex genus hominum et Christum, ut in sequentibus patebit. 2. Hæc tria munera in uno Christo vim fuisse

Equidem fuerunt reges et sacerdotes, ut *Melchisedec*, reges et prophetæ, ut *David;* sacerdotes et prophetæ, ut *summi sacerdotes* aliquando; sed nemo hoc triplici munere simul functus est. Quòd si Moses non modò propheta Dei et dux populi fuit, sed et ante Aaronem inauguratum aliquando sacerdotio functus est, ut Exod. xxiv. hoc præter ordinem et *ad actum* tantùm factum est.

IV. Ad hæc tria munera consecratus est *unctione*, unde vocatur Christus *Messias*, et Ps. xlv. 8. dicitur *unctus à Deo oleo lætitiæ*. Ut hoc capiatur, observandum, I Unctione consecratos esse, (1.) *Prophetas*, quamquam rariùs, solum exemplum enim Elizæi legitur. I. Reg. xix. 16. *Elizæum filium Saphati unxito in prophetam loco tuo*. Imò de hac unctione dubitatur, an propriè intelligenda sit, an figuratè pro designatione, et creatione interpretanda sit, tum quia nusquam legitur Elizæum ab Elia unctum, tum quia unctionis Prophetiæ nullum alibi exemplum extat. (2.) *Sacerdotes* Exod. xxx. 30. quod præceptum intelligunt ita Judæorum magistri, ut in filiis Aaronis omnes eorum posteri gregarii sacerdotes uncti esse censeantur, sine repetita unctione singulorum, qui defunctis succedebant, præter pontificem novum, qui in initiatione muneris semper ungebatur, ut et illum sacerdotem, quem *unctum belli causâ* vocitant, Deut. xx. 2. (3.) *Reges*. 2. Non oleo externo delibutum esse Christum, non enim typico illo oleo opus erat 3. Unctionem istam Christi duo designasse; (1.) *Destinationem* ad munus Mediatorium (2.) *Collationem* donorum necessariorum ad tale munus exequendum. 4. Unctum fuisse Christum, inauguratum ad munus, non modo in *conceptione*, quando à Spiritu Sancto conceptus, sed et præcipue, (1.) In *Baptismo*, quum ad publicum muneris exercitium, voce patris consecratus est, et Spiritus Sanctus super eum descendit, Matth. iii. 17. (2.) In *transfiguratione*, quum Pater jussit ut audiretur, Matth. xvii. 5. (3.) Post *resurrectionem* et *exaltationem*, quando Dominus et Christus factus est, Act. ii. 36. et *nomen supra omne nomen illi datum est*, Phil ii. 9. Sic in *Jordane*, in *monte*, in *cœlo* inauguratus et unctus est.

CAPUT XXI.

De Prophetico Christi munere.

I. Ut à *Prophetico* Christi munere exordiamur, observandum ante omnia necessarium fuisse hoc munus: 1. Quia nulla potest esse Dei et rerum divinarum cognitio, sine revelatione, siquidem homo animalis non capit quæ sunt Dei, 1 Cor. ii. 14. 2. Quia non miserior est conditio quàm hominis, qui in rerum divinarum ignorantiâ demersus est, imò nulla salus speranda in tali statu.

II. Hoc posito, ut clarè de prophetiâ Christi loquamur, notandum 1. Quænam sint partes prophetici muneris. 2. Quomodo id præstiterit Christus.

III. Partes prophetici muneris erant, 1. Docere viam salutis. 2. Futura vaticinari. 3. Doctrinam suam confirmare eximiâ vitæ sanctitate et miraculis. Hæc omnia Christus præstitit, ac 1. Docuit viam salutis, legem exposuit, evangelium prædicavit. Quoad *legem*, (1.) Verum sensum explicuit, (2.) A falsissimis Pharisæorum interpretationibus vindicavit, ac spiritualem et internam cordis obedientiam inculcavit, rejectâ externâ justitiâ Pharisæorum. Quoad *evangelium* omnia mysteria salutis docuit, quæ antea mortalibus vel ignota, vel obscurè cognita erant, et quæ nec lex nec natura docuerat. 2. Prædixit *futura*, *excidium Hierosolymitanum* et *finem mundi*. Matth. xxiv. *Vocationem Gentium*, Joh. iv. 21. *Abrogationem cultus cæremonialis*, ibid. *Futuras fidelibus persecutiones*, *suam passionem*, *crucifixionem* et *resurrectionem*, *Petri abnegationem* et *martyrium*, *proditionem Judæ*, *Ecclesiæ fata* quæ revelavit Johanni. 3. Perfectissimâ vitæ *sanctitate*, stupendis *miraculis*, quibus par aut simile nemo unquam vidit, et *martyrio* mortis suæ confirmavit suam prædicationem.

IV. Exercuit Christus hoc munus, tum immediatè per se ipsum in diebus carnis suæ, tum mediatè per ministros, tum ante incarnationem per *prophetas*, qui spiritu prophetico Christi acti dicuntur à Petro 1 Pet. i. 11. 2 Pet. i. 21. hinc dicitur per Spiritum prædicasse iis, qui sunt ἐν φυλακῇ 1 Pet. iii. 19. tum post ascensum per *apostolos* et *pastores*. Duplici modo exercuit hoc munus, tum *externo*, tum *interno*; non extrinsecùs tantùm aures corporis pulsando per verbum, sed corda flectendo per Spiritum.

V. Quum illud exercuit in diebus carnis, mirati sunt

auditores ejus summam auctoritatem, sapientiam, παῤῥησίαν, facundiam, et zelum, unde efficacissima fuit ejus doctrina, quamvis ipsi non crediderunt. Sanè nemo Christi parabolas, hortationes, increpationes satis mirari poterit. Nihil est in ipsis apostolorum epistolis, quamvis in iis sit δεινότης, *vehementia* mirifica; nihil in prophetarum vaticiniis, in quibus tamen cernimus quoddam ὕψος, *sublimitatem*, et modestam quandam γαργότητα, quod sit Christi dictis æquiparandum; et quis non stupeat quantâ cum facilitate respondebat Pharisæorum, Sadducæorum &c. meditatis sophismatibus, dilemmatibus ancipitibus, interrogationibus arduis, strophis implicatis, quas ita repellebat Christus, ut vel pervicacissimi ejus hostes obstupescerent?

VI. Alios omnes prophetas longè superavit, quantùm typos superat antitypus, et umbras corpus; illi servi, Christus Filius, Doctor doctorum; illi externè tantum docebant, Christus interné legem inscribit in cordibus; illis Spiritus dabatur, sed ad mensuram; at ἀμετρῶς Christo datur. Spiritus quo animabantur prophetæ non erat spiritus prophetarum; at spiritus, quo plenus Christus, fuit spiritus Christi; prophetias non ex alio afflatu proferebat, sed ex deitatis in ipso habitantis plenitudine; vitæ sanctimonia nullâ labe contaminata fuit, et miracula suâ virtute patravit. Si arcana cordium aliquando prophetis, Deo revelante, nota erant, hoc rarò contingebat; at Deo Christo omnia patebant, nihilque ejus scientiam infinitam latebat.

VII. Nec credendum Mosem ipsi æqualem, etsi dicatur similis futurus Mosi, Deut. xviii. 15, 18. Nam longè major Christus *Mose*, ille ut servus in domo Dei, Christus ut Dominus; Moses fuit simplex internuntius, Christus verus mediator.

VIII. Cæterum observandum est propheticum munus Christi fuisse prædictum non semel. Eximium est oraculum Deut. xviii. 15, 18. *Prophetam suscitabit tibi Jehova* &c. quod ad Christum pertinere docet Petrus Actor. iii. 13. 22. De Messia enim hîc loqui Deum, patet, non modo quia agitur ibi de *uno*, non de pluribus: sed quia dicitur Deus suscitaturus eum *sicut Mosem*, at fatentibus Judæis nullus exstitit propheta sicut *Moses*. Datus dicitur *in fœdus populi et lumen gentium*, Isaia xlii. 6. et xlix. 6 cap. lxi. 1. loquens introducitur, *Spiritus Domini est super me, ideo misit me Dominus ad evangelizandum mansuetis*, quod impleri in se ipso docuit ipse Christus, Luc. iv. 21. Vocatur præterea *angelus fœderis, consiliarius, sapientia æterna*, &c.

CAPUT XXII.

De Sacerdotali Christi munere.

I. SECUNDA pars officii Mediatorii Christi est ejus *sacerdotium:* Necessitas hujus muneris iisdem argumentis probatur, ac necessitas satisfactionis; sic non opus est ut jam dicta repetamus.

II. *Sacerdos* describitur Christus, Ps. cx. 4. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedeci* Zach. vi. 13. *et erit sacerdos in throno ejus, et consilium pacis inter utrumque.* Ac ut *sacerdos* nobis describitur in totâ epistolâ ad Hebræos. Adumbratum fuit variis typis ejus sacerdotium, et imprimis *sacerdotio Levitico et Melchisedeciano.* Hoc adeptus est vocatione Patris, observante Paulo Hebr. v. 5. Christus *non semet ipsum glorificavit, ut fieret pontifex, sed qui locutus est ad eum, Filius es meus tu, ego hodie genui te.*

III. Sacerdotis officium erat hæc tria præstare; 1. Dona et victimas offerre pro peccatis, Hebr. v. 1. 2. Intercedere pro populo, Joel ii. 17. quod imprimis incumbebat pontifici festo expiationis die, quando cum thuribulo et sanguine sacri hirci intrabat in sanctum sanctorum, Levit. xvi. 12, 15. Si credamus Judæis, tribus distinctis precum formulis utebatur pontifex in sacro illo anniversario; ultima talis erat. *Placeat tibi Domine Deus, ut si hic annus calidus fuerit, idem quoque sit pluvius: ut nec discedat sceptrum à familia Judæ, nec victu careat populus tuus Israeliticus, irritæque ut sint impiorum preces.* 3. Benedicere populo. Numer. vi. 22. Deut xxi. 5.

IV. Hæc omnia Christus præstitit; ac *primùm* quidem, obtulit victimam pro peccatis; *Per Spiritum* enim *æternum*, ut loquitur Paulus, Hebr. ix. 14. *se ipsum obtulit inculpatum, ut sanguine suo emundaret conscientiam à mortuis operibus*, et *una oblatione consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur*, Hebr. x. 14. Per hanc oblationem sui Christus verè pro nobis satisfecit, ut probatur, 1. Ex iis locis, in quibus Christus dicitur nos *redemisse pretio sanguinis*, quia ubi pretium propriè dictum intercedit, ibi vera est satisfactio; inter ea loca eximium est 1. Petr i. 18. *Redemti estis à vanâ conversatione vestrâ, non rebus corruptibilibus, auro et argento, sed pretioso sanguine Christi, ut agni inculpati.* Ita 1 Cor. vi. 20.

redemti estis pretio; et Matth. xx. 28. Filius hominis venit, ut daret animam suam λύτρον ἀντὶ πολλῶν, in *redemtionis pretium pro multis.* Ex iis enim locis et aliis similibus patet redemtionem nostram non factam tantùm *gratuita manumissione*, ut servorum, qui à Dominis libertate donantur, quamvis gratiâ Dei servari dicamur; non tantùm actu quodam *potentiæ*, ut cùm captivi ex manibus hostium eruuntur, quamvis Christi victoris manu potenti ex diaboli tyrannide liberati fuerimus; non tantùm nuda *permutatione*, ut in bello fieri assolet, quamvis Christus in locum nostrum subrogatus fuerit, sed justa satisfactione pretio soluto. 2. Idem colligitur ex iis locis, in quibus Christus dicitur *victima* et *oblatio* pro hominibus Ephes. v. 2. Heb. ix. 14, 28. ἱλαστήριον, et ἱλασμὸς, propitiatorium et propitiatio, Rom. iii. 25. 1 Joh. ii. 2. et iv. 10. per allusionem, vel ad sacrificia expiatoria veteris Testamenti, vel ad ipsum arcæ operculum. Rursus ex iis locis, in quibus asseritur *peccata nostra portasse*, et *propterea vulneratus*, *afflictus*, *mortuus*, Rom. iv. 25. 1 Pet. ii. 24. Isaia liii. 5. ac imprimis ex iis locis, in quibus Christus dicitur factus *peccatum*, et *execratio* pro nobis, Galat. iii. 13. 2 Corinth. v. 21. 3. Ex iis locis, ubi Christus nobis proponitur, ut verus ac propriè dictus *sacerdos*, omnibus sacerdotibus Levitieis præstantior, qui per sui oblationem iram Dei placavit, et æternam comparavit salutem; hæc passim leguntur in totâ epistolâ ad Hebræos. Quibus addi quoque possunt alia loca, ubi dicimur reconciliati cum Deo per sanguinem Christi. Coloss. i. 20. Rom. v. 10. Nec mirum est, si dicantur homines reconciliati cum Deo, non verò dicatur expressè Deus reconciliatus cum ipsis; nam hîc est communis loquendi modus apud omnes gentes; quando rex infensus est subdito, si subditus satisfaciat regi, dicitur reconciliatus cum rege, non verò dicitur rex reconciliatus cum subditis. Ita qui recordatur fratrem habere aliquid adversum se, debet ex præscripto Domini illi reconciliari, Matth. v. 24. quia fratrem scilicet offendit; sic locuti Ethnici: Tecmessa inducitur narrans Ajacem profectum esse, ὡς καταλλαχθῇ θεῷ χόλου, ut *reconcilietur Diis ob iram.*

Non tantùm *verè* satisfecit Christus per hanc oblationem, sed et *perfectè*, de quo dubitare non patiuntur, 1. Personæ satisfacientis *dignitas*, quæ suo sacrificio infinitum valorem addidit, 2. *Testimonium Pauli*, qui ait, Heb. x. 14. *unicâ oblatione in perpetuum consummari qui sanctificantur*, 3. *Resurrectio Christi*, quæ certissimum fuit perfectissimæ satisfactionis pignus. Qui plura super hac re nosse cupiet,

de necessitate, veritate et perfectione satisfactionis J. Christi, consulat nunquam satis laudatum opus μακαρίτου Cel. Turrettini desideratissimi avunculi.

Secundò Christus *intercessit* pro nobis ad instar summi sacerdotis qui postquam victimam obtulerat in altari holocaustorum, victimæ oblatæ sanguinem deferebat in sacrarium, et pro populo orabat. Hujus *intercessionis* necessitas satis evincitur, non modò, quia non sufficiebat salutem impetrasse, nisi perpetuò conservaretur et applicaretur; sed quia ii non sumus, qui ad Deum accedere per nos possimus; et quia nobis opus est patrono efficacissimo, qui causam nostram agat coram Deo, contra diaboli assiduas criminationes. Quum autem intercedere Christum dicimus, non existimandum est ad modum supplicantium ad Patris genua provolvi, et aliquâ corporis prostratione se coram Deo abjicere; pugnat enim hoc cum statu gloriæ, et potestate regia ipsi in cœlo ac terra concessa. Ephes. i. 20, 21. Heb. i. 3. Sed significat hæc intercessio Christi, 1. Comparitionem (sit venia verbo) continuam Christi in cœlo apud Patrem; Pater enim eum intueri non potest, quin placatus sit; sic *comparitio* hæc vicem intercessionis tenet; atque idem præstat, ac si Christus cruentus, et suo sanguine tinctus coram Patre procumberet, et vulnera sua ac cicatrices ostentaret; ita *sanguis* Abelis dicitur *clamare*. 2. Voluntatem constantem servandi electos. 3. Oblationem personarum nostrarum, et sanctificationem nostrarum precum; unde repræsentatur Apoc. viii. 3. Christus ut *Angelus cum thuribulo, cui dantur suffitus* &c. Hæc *intercessio* duplici accusationi opposita est, tum illi quam adversus nos instituit Diabolus κατήγορος, tum illi quam adversus nos instituunt peccata nostra, quæ iram Dei provocant.

Tertiò, Christus benedicit nobis ad instar *sacerdotum*, quorum legitur *benedictio* Num. vi. 23. et hæc Christi benedictio in nudis verbis non consistit, ut benedictio hominum, sed realis est communicatio bonorum spiritualium.

V. Sacerdotium Christi longè superavit sacrificia *Levitica;* 1. Levitici Sacerdotes meri fuerunt homines, Christus verus Dei filius; illi peccatores, qui pro se ipsis opus habebant offerre, ille sanctus et immaculatus, qui pro nobis tantùm offerre debuit; illi differebant à victimis quas offerebant, iste sacerdos et victima simul; illi plures, Christus unicus, nec successore nec vicario egens. 2. Sacerdotium Leviticum sine juramento institutum fuit, Christi sacerdotium cum juramento, Heb. vii. 20, 21. Illud *secundum*

legem mandati carnalis, id est variis adhibitis cæremoniis externis et abolendis, quæ accomodatæ erant ad conditionem naturæ humanæ mortalis atque interitui obnoxiæ; præscripsit enim Deus sacerdotium in Aarone non fore diuturnum; de successore prospexit, deque iis, qui in locum successorum ipsorum venirent, prout quisque fato cedebat. Istud *ex vi indissolubilis vitæ*, id est juxta legem accomodatam ad naturam et conditionem Christi sacerdotis, cujus vita nullo casu perimi, nulla seculorum serie dissolvi potest. 3. Leviticum fuit infirmum in carne; expiabat tantùm peccata *typicè*; at Christi sacerdotium omnia peccata expiat, et ad justificationem ac sanctificationem nostram efficacissimum est. 4. Leviticum erat imperfectum, ideo sacrificia iterabantur; at Christi perfectissimum et non iterabile. 5. Tandem sacerdotium Leviticum ad certum tempus tantùm duravit; at *sacerdotium Christi* est æternum.

VI. Vocatur sacerdos secundum ordinem Melchisedeci, quia, ut Melchisedec, nec successorem, nec decessorem habuit, et quia verus est rex justitiæ et pacis, *sine Patre*, quà homo, *sine matre* quà Deus, in se uniens sacerdotium cum regno ad instar Melchisedeci; qui rex et sacerdos simul fuit, quique ἀπάτωρ, ἀμήτωρ dicitur, quia nec Pater, nec mater scripti sunt in genealogiâ, ut habet Syrus interpres ad locum Heb. vii. 3.

VII. Tandem Christus vocatur sacerdos *æternus*. 1. Quia revera ejus persona est æterna et in æternùm vivit. 2. Quia semper durat sacrificii ejus virtus, et sanguis Christi semper recens est. 3. Quia semper intercedit pro nobis; non verò ita dicitur, quòd habeat successores, qui sub novo Testamento nunc sacerdotio defungantur, et offerant sacrificia propitiatoria, nihil enim tale in Scriptura legitur.

VIII. Fructus sacerdotii Christi sunt, 1. Satisfactio plena justitiæ Dei. 2. Reconciliatio nostri cum Deo, Rom. v. 11. 2 Cor. v. 18. 3 Remissio peccatorum nostrorum et expiatio, 1 Joh. ii. 2. Hebr. i. 3. 4. Donum Spiritus, fidei, ac charitatis, aliarumque virtutum. 5. Cœli apertio. 6. Ecclesiæ sibi desponsatio, Act. xx. 28.

IX. Dum munere Sacerdotali functus est Christus, 1. Ostendit, quanto Deus humanum genus amore prosequebatur, Rom. v. 8. 2. Suum intensum explicuit amorem, Joh. xv. 13. 3. Summum odium Dei erga peccatum docuit. Ex eo igitur discere debemus odio plusquàm vatiniano peccatum odisse sed simul summam in Christo fiduciam collo-

care. 1 Joh. ii. 1. 2 Hebr. x. 19, &c. et cum totis viribus amare.

CAPUT XXIII.

De Regio Christi munere.

I. TERTIA pars officii mediatorii est *Regnum;* sed duplex Christi *regnum* est: aliud *essentiale*, quod æquali, cum Patre et Spiritu sancto, gloriâ ac majestate obtinet, aliud *œconomicum*, quod quà Mediator administrat, de hoc dicendum.

II. Hæc regia dignitas prædicta variis oraculis; imprimis Psal. ii. 6. lxxii. 1. lxxxix. cx. Isaia ix. 5, 6. et xi. Daniel. ii. et ix. Zach. vi. 13. et ix. 9. et adumbrata eximiis *Davidis* et *Salomonis* typis, quorum alter Christi patientis et certantis, alter Christi victoris et regnantis figuram gessit; unde angelus ejus nativitatem nuntians dixit regnaturum in domum Jacobi, Luc. i. 33.

III. Regis officium est leges ferre, populum regere, et eundem adversus hostes tueri; hæc tria præstitit Christus. 1. Leges suas nobis dedit, et lex ejus evangelium est, lex libertatis, lex spiritus vitæ; quod evangelium promulgavit; per quod in lucem posuit vitam et immortalitatem, et quod spiritûs sui efficaciâ comitatur in electis. 2. Secundum leges istas populum suum justè, sapienter, clementer, et sanctè regit, totumque orbem judicaturus est. 3. Potenter suos tuetur, et de omnibus hostibus victores reddit; sic rectè observatum, exercitium regni Christi in quatuor hisce versari, in Ecclesiæ vocatione et collectione, in ejusdem conservatione et gubernatione, in ejus protectione et defensione, ac tandem in perfectâ et plenâ glorificatione. Tali Rege egebamus, qui salutem partam applicaret, et conservaret, ac sub cujus præsidio tuti essemus adversus mundi et inferorum potestates.

IV. Veri *subditi* hujus regis sunt *fideles*, etsi in omnes creaturas regnet, Psal. ii. 8, 9. Psal. cx. 2. *Arma* sunt verbum, et virtutes Christianæ; *hostes* sunt mendacia et errores, superstitiones et idololatria, corruptiones et peccata, Satanas, mundus, peccatum, mors.

V. Regnum hoc *spirituale* est, non terrenum, mundanum, externum, carnalibus armis, ac vi copiarum invadendum, reges deturbaturum. *Rex* est spiritualis,

Dominus de cœlo; thronus est cor hominum et conscientia. Ideo *regnum Messiæ* vocatur *regnum cœlorum*. *Sceptrum*, verbum evangelii; *subditi*, homines spirituales non ex carne sed ex Deo nati; *administratio*, non armis sed Spiritu, Zach. iv. 6. *Benedictiones* sunt spirituales, Ephes. i. 3 *Leges* spirituales, lex Spiritûs. Rom. viii. 2. *Arma* spiritualia, non carnalia; *Bona* quæ promittuntur quoque spiritualia, remissio peccatorum, justitia, Spiritûs donum, vita æterna.

VI. Primordia hujus regiæ dignitatis Christo vivente deprehensa sunt, in *nativitate*, unde Magi eum venerati sunt; in *vita*, ut cum Nathanaël eum vocat regem Israëlis, et quum ingressus est Hierosolymam; ac in *confinio mortis*, unde à Pilato, quamvis aliud agente, pro rege agnitus, sed luculentiora dedit signa post resurrectionem et ascensionem, quum de cœlo Spiritum misit, per apostolos Ecclesiam collegit, regna mundi sibi subjecit, et regnum Antichristi destruere cœpit. Regnum istud mediatorium potest trifariam considerari, ut observarunt docti. 1. Ut *regnum potestatis* in omnia, ne angelis exclusis bonis et malis, sed cum certo respectu ad Ecclesiam. 2. Ut *regnum gratiæ*, quod exercetur in Ecclesia militante. 3. Ut *regnum gloriæ*, quod exercetur circa Ecclesiam triumphantem.

VII. Æternum fore regnum docet Scriptura Luc. i. 33. semper rex et caput fidelium agnoscetur Christus, sed modus œconomici hujus imperii diversus erit. Post novissimum judicium enim non ampliùs Christus gubernabit Ecclesiam per ministerium ecclesiasticum; totius muneris sui rationem Deo reddet, et sistet Ecclesiam planè gloriosam Deo Patri, et tunc ipsa Deitas sine interventu mediatoris, sese hominibus communicabit; sic *Deus erit omnia in omnibus*, 1 Cor. xv. 28. Tunc etiam ipse Christus, quoad humanam naturam Deo subjectus erit, sicut unus ex fratribus, absque tamen ulla gloriæ, quâ fruitur, imminutione. Atque hæc de Rege Christo sufficiant. Hunc Regem debemus revereri, osculari, adorare. Psal ii. 12 confiteri, ejus jugum subire lubentes, ac sub alarum ejus umbris securi requiescere.

VIII. Hîc omittere non possum, Christum nos in aliquam suorum officiorum communionem vocare; quum nos tacit reges, sacerdotes atque prophetas, et unctionis suæ nos reddit participes, quam ob causam Christiani vere dicimur.

IX. Prophetas factos esse fideles colligitur ex variis, omnes sunt à Deo edocti, Joh. vi. 46. Isaia liv. 13, et *Spiritu divino inundati*, ut cum *Septimio* loquar; *habent unctio-*

non à sancto profectam et norunt omnia, 1 Joh. ii. 20. Alios docere tenentur, ut olim prophetæ, veritatem asserere, vitia et errores impugnare, Christi nomen profiteri, regnum promovere, et virtutes prædicare illius, qui eos vocavit è tenebris ad suam admirabilem lucem ejusque laudes canere; ne dicam initio Christianismi multos prophetiæ donum accepisse, juxta prophetiam Joëlis ii. 28, 29.

X. Reges quoque factos, ac sacerdotes docet Petrus, 1 Petr. ii. 9. et Johannes Apoc. i. 6. Sacerdotium eorum consistit in eo quod, 1. Dei proximi sint, et ad eum liberè accedere quovis tempore possint. 2. Quòd ipsi ministrent, ac ipsi sacrificia offerant laudis, gratiarum actionis, beneficentiæ, seque totus Deo devoveant, Rom. xii. 1. parati *offerri* cum Paulo, *pro libamento super sacrificio et ministerio fidei fratrum*. Phil. ii. 17. 2 Tim iv. 6. 3. Quod frequentes sanctuario Dei intersint. 4. Quod veterem hominem in honorem Dei mactent, ac ipsi suas cupiditates immolent.

XI. Reges quoque sunt quibus omnia Deus dedit. 1 Cor. iii. 21, 22. Consecrantur et inaugurantur in Baptismo; imperant toti mundo, atque eum vincunt. 1 Joh. v. 4. Peccata et concupiscentias carnis subigunt, Rom. vi. 14. Satanam sub pedibus conculcant, Rom. xvi. 20. Opes illorum regum sunt Dei verbum, gratiæ divinæ ubertas, virtutes Christianæ, et coronam gloriæ expectant.

CAPUT XXIV.

Quale Fœdus cum hominibus inivit Deus per filium, et cur vocatum Fœdus Gratiæ?

I. RUPTO primo fœdere per hominis lapsum, Dei justitia in homines sævire jure potuisset, sed vidimus Deum generis humani misertum, noluisse illud totum perdere, ac dedisse Filium, qui morte suâ satisfecit justitiæ, et de novo fœdus cum hominibus pangere voluisse; de hoc fœdere paulò distinctiùs dicendum.

II. Verùm hîc notare non inutile erit, Scripturam nobis videri insinuare pactum fuisse quoddam inter Patrem et Filium, per quod pactum nihil aliud intelligimus, quàm voluntatem Patris Filium dantis ut caput et redemptorem hominum, et voluntatem Filii se ut sponsorem pro iis sis-

tentis: Patrem enim, nobis repræsentat Scriptura ut exigentem à Filio obedientiam ad mortem et ipsi repromittentem nomen supra omen: simulque Filium, se ad Dei voluntatem præstandam sistentem, promissioni acquiescentem, ac denique regnum et gloriam promissam restipulantem. Patrem sic introducit Filium alloquentem; *Ego te vocavi in justitia, dedi te in fœdus populi, et ut sis salus mea ad extrema terræ. Parùm est ut mihi servus sis ad erigendas tribus Jacobi; ergo te constituo in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad terræ extrema*, Is. xlix. 6. et ideo dicit Filius, Joh. x. 18. se hoc præceptum à Patre suo accepisse. Iterum sic loquentem introducit Patrem, *videbit semen, et beneplacitum Jehovæ in sua bene succedet manu*, Is. liii. 10. *Postula à me, et dabo tibi gentes in hæreditatem*, Ps. ii. 8. Postea sic respondentem Filium inducit, *Ecce venio ut faciam voluntatem tuam &c.* Ps. xl. 8, 9. *Glorificavi te in terra, consummavi opus, quod mihi faciendum dederas. Et nunc glorifica me Pater*, Joh. xvii. 4, 5.

III. Postquam Deus pepigit cum sponsore Christo, pangere quoque voluit cum nobis in sponsore. Verùm ut de isto fœdere distinctè dicamus, observandum in genere esse *pactum gratuitum inter Deum offensum et hominem offendentem, in quo Deus homini propter Christi satisfactionem et merita, veniam peccatorum et salutem pollicetur, homo verò fidem et obedientiam spondet.*

IV. Auctor itaque hujus fœderis *Deus* est, qui solus potuit hominem lapsum erigere, et novum fœdus in locum prioris instituere, Deus autem hîc consideratur ut offensus, sed simul ut misericors Pater placandus, qui sibi voluit homines offendentes conciliare.

V. *Homo*, cum quo init fœdus, consideratur ut creatura peccatrix, sed miseriæ suæ conscia. *Mediator* hujus fœderis *Christus* est; promittit in hoc fœdere Deus *fore Deum nostrum*. Quæ promissio notat, 1. Reconciliationem nostram cum Deo, et arctissimam cum eo communionem. 2. Communicationem bonorum, quæ nobis necessaria sunt, et imprimis sanctitatis, vitæ, et immortalitatis. Rursus exigit à nobis, ut *simus ejus populus*, id est, cultum, obsequium, fidem et resipiscentiam, quam per Spiritum suum in nobis producit. *Sacramenta* sunt *sigilla* hujus fœderis.

VI. Istud fœdus *novum* dicitur, antiquato veteri, et *fœdus gratiæ*, quia nullatenus illud meruit homo, sed ex merâ gratiâ pepigit Deus cum hominibus, et ut distinguatur à primo fœdere, quod *operum* dicitur, et quod initum cum Adamo, renovatum in monte Sinaï fuit.

VII. In variis quidem conveniunt duo hæc fœdera; utriusque auctor Deus est, eædem partes contrahentes; utrobique promittitur vita et felicitas æterna et cœlestis, sed in variis differunt; in fœdere operum *Deus* spectatur quà *creator* et *Dominus*, in fœdere gratiæ quà *redemtor* et *Pater*; in *primo* nullus fuit *mediator*, in *secundo* Christus *mediator*; in *primo* cum integro homine pepigit Deus, in *secundo* cum *peccatore*; *primum* nitebatur propriâ hominum *obedientiâ*, *posterius* nititur *Christo* et ejus obedientiæ; in *primo* promittebatur *vita*, id est, status omnium bonorum aggregatione perfectus, in *secundo salus*, quæ eum vita importat liberationem à peccato et morte; in *primo* Deus exigit *opera*, *Fac hoc* et *vives*, *in secundo fidem*, *Crede et salvaberis*. Exigit quidem quoque obedientiam et opera, sed non ut per ea vitam mereamur, neque obedientiæ Christianorum si modò sincera sit imperfectio salutem eorum impedit. *Primùm* post lapsum factum est terribile et terrorem incutit conscientiis, *posterius* gratiosum est et salutare.

CAPUT XXV.

An Fœdus Gratiæ jam obtinuerit sub Veteri Testamento?

I. QUANDOQUIDEM fœdus gratiæ in Christo initum est, quæri potest, an jam locum habuerit sub veteri Testamento apte Christi adventum; at facilis est responsio.

II. Fœdus gratiæ jam obtinuisse dubitare non poterimus, si attendamus, 1. Scripturam docere idem esse fœdus gratiæ sub novo Testamento cum fœdere olim cum Abrahamo inito. Luc. i. 68, 70, 72, 73. Hinc justificationem Abrahæ per fidem, in exemplum nostræ affert Paulus, Rom. iv. Nec alia proposita fuit in fœdere gratiæ sub Novo Testamento clausula, quàm quæ proposita Abrahamo, renovata Mosi, confirmata in captivitate et post captivitatem; possunt conferri Gen. xvii. 17. Exod. iii 6. Ezech. xxxvi. 28 cum 2 Cor. vi. 16. Apoc. xxi. 3. 2. Si notamus eundem fuisse *mediatorem* sub veteri et sub novo Testamento, nempe *semen mulieris*, *semen Abrahami*, *angelum fœderis*, *Christum* qui idem est heri, et in secula, Hebr. xiii. 8. per cujus gratiam patres non minùs servati sunt quàm nos, Act. xv. 10. nec mirum videri debet, si morte Christi salvati fuerunt patres, etsi Christus post eorum obitum venerit, nam

causæ morales agunt antequam sint. 3. Si observemus (1.) eandem esse sub utraque œconomia conditionem fœderis, nempe *fidem*, unde Abrahamo dicitur *fides imputata ad justitiam*, Gen. xv. 9. et nobis in exemplum proponitur. Rom. iv 11. (2.) Easdem promissiones, *justificationem* et *remissionem peccatorum*, Ps. xxxii. 1, 2. Jer xxxi. 34. *Sanctificationem*, Deut. xxx. 6. Ezech. xxxvi. 26. *Vitam æternam*; hinc *Abrahamus* dicitur à Paulo *expectasse civitatem, quæ habet fundamenta*, Heb. xi. 21. *Jacobus* ait se *expectare salutem Domini*, Gen. xlix. 18. et se scire profitetur *Jobus*, suum redemtorem vivere. *David* de suâ resurrectione persuasus est. Promissa equidem novi fœderis dicuntur *præstantiora*, Heb. viii. 6. Sed ideo hoc dicitur, quia clariùs proponuntur, efficaciùs imprimuntur, et latiùs ad gentes extenduntur: nulla enim præstantiora dari possunt promissa, quàm quæ patribus, Abrahamo, Isaaco et Jacobo sunt facta. (3.) Sacramenta veteris Testamenti et novi, eundem Christum ejusque beneficia significarunt, 1 Cor. x. 1, 2, 3, 4.

IV Verùm quamvis sub veteri Testamento, fœdus gratiæ locum habuerit, fatendum tamen esse discrimen inter veterem et novam œconomiam, non quoad substantiam fœderis, sed quoad modum dispensationis, 1. *Vetus* respexit Christum exhibendum et venturum, nondum adducta justitia sæculorum, Dan ix. 24. *Nova* Christum exhibitum et manifestatum. 2 *Tempus veteris Œconomiæ* erat tempus noctis, nondum exorto Sole justitiæ, nam velo cæremoniarum mysteria erant tecta, velata erat facies Mosis, ideo Paulus ait *viam ad sacrarium nondum fuisse patefactam*, Heb. ix. 8. At *tempus novæ œconomiæ* est tempus diei, sublato cæremoniarum et typorum velo, unde retectâ facie dicimur gloriam Domini conspicere 2 Cor. iii. 18. *Vetus* habebat umbram rerum futurarum, Heb. x. 1. *Nova*, perfectam rerum imaginem. 3. Sub *veteri œconomiâ* vigebat *spiritus servitutis* ad metum. Unde Paulus patres ait non differre à servis, Gal. iv 1, 3. Spiritus quippe Dei excitabat in ipsis motus convenientes conditioni servorum; at tempus novæ œconomiæ est *tempus libertatis*, quo viget spiritus adoptionis, *ubi spiritus Domini ibi libertas*, 2 Cor. iii. 17. et libertas *emancipationis*, quæ competit tantùm majorennibus et adultis. 4. *Vetus œconomia* severa admodum erat, rigorosa legis obedientiæ exactione, ut ad quærendum Christum compelleretur populus; Moses virgâ suâ, Prophetæ anathematibus, terrorem incutiebant. At

suavis admodum *nova œconomia*, frequentibus resonantibus promissionibus evangelicis, non exclusâ tamen obedientiæ legis injunctione, at præterea accedente majori effusione Spiritus Sancti, spiritus consolationis, et gaudii, imò spiritus sanctificationis. 5. Vetus œconomia ad unam gentem restringebatur, et durare debuit ad primum adventum Christi; at nova indiscriminatim ad omnes gentes extenditur, et ad ultimum Christi adventum duratura est.

V. Ex his patet multa novæ œconomiæ supra veterem fuisse privilegia. Vetus quidem œconomia multa bona habuit, 1. Frequentia divinæ præsentiæ symbola. 2. Mysteriorum divinorum adumbrationem. 3. Prophetarum continuam seriem. 4. Donum Spiritus, Hagg. ii. 5, 6. Ps. li. 12. Ps. cxliii. 10. 2 Cor. iv. 13. coll. cum Ps. cxvi. 10. 5. Sensum remissionis peccatorum in pœnitentibus. 6. Spem immortalitatis futuræ, Heb. xi. 10, 16. Gen. xlix. 18. Job. xix. 25, 26, 27. 7. Post hanc vitam gloriæ æternæ possessionem. At œconomia illa vetus peccata actu Christi passionibus expiata non vidit. Spiritus, quo donabantur, eos quidem docebat se esse filios Dei; ad obedientiam et amorem impellebat; hæreditatem pollicebatur, et dabat hujus hæreditatis arrhabones; sed cum aliquo metu et terrore mortis ac maledictionis conjunctus erat, quem legis minæ quotidie aures pulsantes incutiebant. Fœdus gratiæ sub multa ænigmatum ambage proponebatur, exigebatur chirographum, quotidiano victimarum sanguine; et immensa obruebantur rituum multitudine. At sub nova œconomia advenit Messias, toties ac tamdiu expetitus, abrogatæ cæremoniæ. maxima Spiritus Sancti effusio facta est. Hinc major divini amoris sensus, major libertas, major *παῤῥησία*, major consolatio, major sanctitas, major spes, et firmior confidentia.

VI. Verùm quia in hoc argumento sæpissimè confunduntur phrases, quibus uti solent Theologi. Observandum est, eos vocare *fœdus vetus*, modò illud *fœdus*, quod cum primis parentibus ante lapsum initum est, in monte Sinai renovatum: modò *fœdus gratiæ*, quod cum primis parentibus post lapsum sancitum est, et in œconomiâ veteri confirmatum; inde non mirum est, si tam diversè loquantur; aliquando dicunt fœdus vetus esse planè oppositum fœderi novo, quia per fœdus vetus, intelligunt fœdus operum initum cum Adamo integro; aliquando dicunt fœdus vetus differre tantùm à fœdere novo quoad modum, quia per fœdus vetus intelligunt fœdus gratiæ post lapsum initum.

VII. Rursus ad hujus materiæ intelligentiam, notandum venit, duobus modis posse considerari veterem dispensationem, vel quoad *externam speciem pædagogiæ legalis*, quæ severa fuit, legis ac fœderis operum promulgatione, cum intolerando cæremoniarum jugo: juxta hunc respectum lex vocatur, *Litera occidens*, 2 Cor. iii. 6. *Chirographum nobis contrarium*, Col. ii. 14. vel *quoad promissiones evangelicas*, quæ in eâ resonabant, et quoad *internam veritatem*, sub pædagogiæ legalis velo, et cortice latentem, quo respectu suavior fuit œconomia, quatenus ad mediatorem erat pædagogus, et umbram rerum futurarum continebat, unde summum solatium percipiebant fideles, qui ad veritatem evangelicam sub hoc cortice latentem attendebant, et quibus Spiritus Sanctus novam lucem indulgebat, ac majora subsidia subministrabat, ut possent eam veritatem intueri. Sic in œconomia veteri fuit mixtura legis et evangelii. Illius, ut terrorem incuteret peccatoribus, et duram populi cervicem frangeret. Istius, ut conscientias contritas, et peccati sensu attonitas erigeret ac solaretur. Hoc patet ex iis, quæ leguntur, Exod. xix. et xxiv. In *primo* legimus Deum daturum legem, jussisse cancellos circa montem poni, et solum Mosem ad suum admisisse conspectum. In *secundo* legimus, quomodo victimarum sanguine sancitum fœdus, et seniores in montem cum Mose vocati, ut Dei conspectu fruerentur.

VIII. Ex dictis patet evidenter, Patres veteris Testamenti salvatos fuisse æquè ac nos, ut docet Petrus, Act. xv. 11. in civitatem cœlestem quam expectabant intromissos fuisse, et salute, quam avebant, frui; non Enochus, et Elias tantùm, in cœlum translati, sed omnes pii et sancti, quorum Deus erat Deus.

IX. Si quis petat cur unicum fœdus gratiæ diversimodè dispensare voluerit, obscuriùs primùm, deinde clarius, hoc responsum habeat, 1. Sapientiæ Dei congruum fuisse, aliter cum Ecclesia agere, dum in cunis erat aut balbutiebat, aliter cum Ecclesia adulta. 2. Consentaneum fuisse, ut quò tempora longiùs ab exortu solis justitiæ distabant, eò obscuriora essent.

CAPUT XXVI.

An Lex moralis, politica et cæremonialis, locum habere debeat apud Christianos; et annon abrogatæ sint post adventum Christi?

I. ANTEQUAM huic tractatui, et huic libro octavo finem imponamus, quædam resolvendæ sunt quæstiones. Quæritur, 1. *An Lex moralis abrogata sit penitus sub novo Testamento?* Tribus hisce propositionibus respondeo, 1. Legem non habere amplius eum usum quem habuisset in statu innocentiæ, ubi erat medium obtinendæ vitæ ac felicitatis; et quoad justificationem; *Ex operibus enim legis nulla caro justificabitur*, Rom. iii. 20. et *quotquot sunt sub lege, sunt sub maledictione*, Gal. iii. 12. 2. Fideles non esse amplius *sub maledictione legis*, Galat. iii. 13. *Christus*, enim, *nos redemit, à maledictione legis, factus pro nobis execratio.* 3. Legem non abrogatam tamen esse quoad *directionem*, semper enim regula est morum perfectissima, imago Dei limpidissima, veræ virtutis icon, internæ et externæ probitatis delineatio, et ad eam observandam obligamur. Rursus *frænum* est, quo aliquando efferati cohibentur affectus; *speculum* in quo nostram impotentiam, et nostros nævos cernimus, et nuntia est justi judicii divini adversus peccatores.

II. Probatur autem non esse abrogatam quoad directionem; 1. Quia Christus et apostoli legem illam commendant, ut ab omnibus observandam, Matth xxii. 36, 37. et Paulus Rom. xiii. 8, 9. ait, *nihil cuipiam debete nisi ut vos invicem diligatis, qui enim diligit proximum, legem implevit.* 2. Quia absque bonis operibus nullam salutem sperare possumus; *sine sanctificatione nemo potest videre faciem Dei*, Heb. xii. 14.

III. Equidem Christus nos solvit à jugo maledictionis legis, sed non à necessitate Deo præstandi obsequium, quod est creaturæ indispensabile; *imò liberati à peccato, servi sumus justitiæ*, Rom. vi. 8. Si non sumus amplius sub lege, ut sub *fœdere*, ad vitam comparandam, prout *Adamus*, vel ut sub *pædagogo*, ut Israëlitæ; sumus sub ea tamen, ut vitæ perfectissima norma, juxta quam mores ritè debemus instituere.

IV Nec ab ejus observatione deterrere debet, quod dicitur *augere peccatum*, nam illud fit tantùm *per accidens*, propter corruptionem hominis qui in vetitum fertur, instar equi sternacis in sessorem eo magis ferocientis, quo arctiore

lupato constringitur, aut quod dicitur *litera occidens*, sic enim vocatur, quando consideratur seorsim à promissionibus gratiæ, et contradistinctè ad ministerium evangelicum.

V. Non eadem est ratio legis *cæremonialis* ac legis *moralis*; nam quamvis utile sit, doctrinam, quæ sub iis cæremoniis latet, meditari, neutiquam tamen fideles ejus observationi tenentur; Christo jam exhibito, non opus est pædagogo; sublato per Christum gentium discrimine, nullus est *parietis intergerinæ* usus, Eph. ii. 14. soluto per Christum debito, *chirographum* deletum est; figuris locus non est adhibitâ veritate.

VI. Abrogatio hujus legis prædicta fuerat, ubi novum fœdus promittitur, Jer. xxxi. 31, 32, &c. Dan. ix. 27. ubi Messias dicitur *finem impositurus hostiæ et sacrificio, et prophetiam obsignaturus*. Ps. cx. 4. ubi *novus sacerdos* prædicitur, nam juxta Paulum, mutato sacerdotio mutari lex debuit, Heb. vii. 12, 13. Quibus addi debent loca Jer. iii 16, 17. de abolitione *areæ fœderis*.

VII. Lex illa Israëlitis tantùm erat lata; abrogata est, ex quo omnes populi ad Deum unum conversi sunt; hinc apostoli non alia sacrificia à nobis exigunt quàm spiritualia, Rom. xii. 1. Non amplius Hierosolymis est adorandus verus Deus, templo destructo; ubique locorum Deus adoratur in spiritu et veritate: Quomodo fieri posset, ut Indi, Europæi, Hyperborei, divisi orbe Britanni, et omnes illi, qui post dilatata Ecclesiæ pomœria, se Deum verum agnoscere profitentur, se conferrent ter Hierosolymas singulis annis ad festa, et illuc commearent, quoties peccato aliquo vel impuritate aliqua fœdari contingeret. Quæ urbs, et quæ regio capax esse posset illis excipiendis? Unde tot victimæ? Quæ altaria pro tot victimis? qui canales derivando sanguini? unde tanta thuris, olei, salis copia? Ipsi Judæi saniores agnoverunt hoc fieri non posse, ac dixerunt, 1. Cæremonias plerasque non fuisse de prima Dei intentione. 2. Fuisse rerum spiritualium figuras et picturas. 3. Tempore Messiæ sibi permissum fore esum porci, suffocati et laniati. 4. Festa omnia cessatura exceptis Purim et Hakkipurim. 5. Sacrificia omnia abolitum iri, præter sacrificium laudis.

VIII. De jure abrogata est lex cæremonialis per Christi mortem, qui in cruce discerpsit *chirographum nobis contrarium*, sed de facto, successivè, et per gradus abrogata est.

Statim post Christi *ascensionem* non sunt abrogatæ cæremoniæ; unde Apostoli eas observarunt, partim ut Judæos lucrarentur, partim ut synagogam honorificè sepelirent.

Timotheum voluit circumcidi Paulus, votum edidit de tondendo capite, et apostoli in synodo Hierosolymitanâ qui jugum intolerabile cæremoniarum nolunt imponi Christianis, jubent tamen *abstinere à suffocato, à sanguine et idolothytis*, Act. xv. 20, 29. quia Judæi eo potissimum se à gentibus aversos esse profitebantur.

IX. Sed quæ cæremoniæ erant observatæ ad tempus, tandem abrogatæ sunt posteà ab apostolis, quum viderunt iis abuti Judæos et pseudoprophetas, unde Paulus noluit circumcidi *Titum*, et Petrum Judaïzantem carpsit, Gal. ii. 11, 12. At penitus observari desierunt destructo templo Hierosolymitano, et hæc abrogatio non fuit simplex abolitio, per quam aliquid ita desinit esse, ut nihil ipsi succedat, sed potiùs consummatio, et perfectio, Heb. viii. 6. quà illi, quod imperfectum est, aliquid perfectius succedit.

X. Interim ex eo quòd lex cæremonialis abrogata est, non inde inferendum abolendos esse omnes ritus in Ecclesiâ, *ritus* enim *externi* sunt necessarii boni ordinis causâ, et sunt adminicula cultus, modò non præscribantur cum opinione absolutæ necessitatis et meriti, nec ita multiplicentur, ut inde servili jugo premantur Christiani; nam illi ritus multùm differunt à lege cæremoniali; significabat lex Christum venturum, isti ritus Christum venisse docent. *Lex* erat pars cultus divini necessaria; at isti sunt tantùm adjuncta cultus.

XI. De lege *politicâ*, ut aliquid dicamus, abrogata fuit, 1. In eo quòd inserviebat ad distinguendam rempublicam Judaïcam à gentibus, et in eo quòd fuit typus regni Christi. Non datur enim ampliùs discrimen Judæorum et Gentilium in Christo, Gal. iii. 28. et quum jam exhibitus est Messias, non opus est ejus adumbrare regnum. 2. In iis quæ sunt juris particularis, et quæ Judæis conveniebant tantùm; ut lex de *Leviratu*, de *divortio*, de *primogenitis*, de *asylis*, de *jubilæo*, de *agro diversis seminum speciebus non conserendo*, de *potu zelotypiæ*, de *sabbatismo agrorum*, de *dividenda terra Canaan*. At non abrogata est, in iis quæ sunt juris communis, quæque fundantur in lege naturæ, quæ Decalogo explicando serviunt, et quæ in novo Testamento reperiuntur.

XII. Dupliciter consideratur populus Judaïcus, *primò* quà populus, *secundò* quà Judaïcus; quicquid convenit Judaïco populo ut populo, aliis commune esse potest; at quod ei convenit ut Judaïco populo, non magis ad nos pertinet quàm priscorum *Assyriorum*, *Persarum*, *Græcorum*, et *Romanorum* leges, aut alienarum civitatum jura municipalia.

CHRISTIANÆ THEOLOGIÆ

LIBER NONUS.

De Vocatione et Fide.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Vocatio et quotuplex?

I. HACTENUS de Christo Mediatore diximus, jam sequitur ut de ejus beneficiis agamus.

II. Primum beneficium est *Vocatio*, sed per hanc vocem non intelligendum, quod sæpissimè per eam intelligitur; quodlibet enim vitæ institutum *vocatio* dicitur, 1 Cor. VII. 20. et *electio* ad munus aliquod, sive *politicum*, sive *ecclesiasticum*, nimirum ad *regnum*, *sacerdotium*, ad *apostolatum*, vocatio in Scriptura apellatur.

III. Hac voce itaque intelligimus, *Actionem gratiæ Dei, quâ homines sui cognitione destitutos, et in peccatis mortuos, evangelii præconio, et Spiritus Sancti virtute, à statu peccati et damnationis, à morte, à tenebris, à regno Satanæ, ad communionem Christi, et salutem in eo consequendam vocat.*

IV. Eadem actio Dei vocatur *creatio*, in quâ Deus vocat ea quæ non sunt, ac si essent, et *resurrectio*, in quâ omnipotenti Christi voce vocamur, ut resurgamus à peccatis.

V. Per hanc vocem *vocationis*, designatur, 1. *Hominis miseria*, qui à Deo remotus opus habuit ut vocaretur, et aberroribus revocaretur. 2. Medium quo Deus utitur ad hominum conversionem, *vox* scilicet *evangelii* et verbi præconium, quo nullum ad creaturam rationalem convertendam magis appositum. 3. Summa dignitas ad quam Filii Dei vocantur, ut per *vocationem* dignitates deferri solent.

VI. Necessitas hujus vocationis abundè colligitur ex misero, corruptoque hominum ante eam statu; erant enim tenebræ, mortui in peccatis, corruptionis servi, et Satanæ mancipia.

VII. *Duplex* distinguitur *vocatio*, alia *externa*, alia *interna*. *Externa* fit tantùm ministerio verbi et sacramentorum, quæ sunt externa media; *interna* fit per *verbum* et *Spiritum* Dei, qui in intellectum et voluntatem hominum agit, ut videbimus in sequentibus, *externa* fit sæpissimè sine *internâ*, sed *interna* supponit semper *externam*, et de hâc internâ cum externâ conjunctâ, loquimur in definitione allatâ art 2.

VIII Utraque vocatio Deum habet auctorem, homines vocantem ad suum regnum, et ad ostium stantem ac pulsantem; utriusque instrumentum est verbi præconium; utriusque finis Dei gloria; utriusque objectum homines miseri ac peccatores, pariter in peccatis mortui, et ad omne bonum impares.

IX. At in variis differunt. 1. In *vocatione externa* Deus imperat tantùm hominis officium, in *interna* operatur quod imperat. 2. *Externa* vocatio fit tantùm per verbum, *interna* per Spiritum cum verbo. 3. *Illa* multorum est, omnium scilicet, qui evangelium audiunt, *ista* paucorum, electorum tantùm, unde dicitur vocatio κατα πρόθεσιν, *quos prædestinavit, eos etiam vocavit*, Rom. viii. 30. 4. *Hæc* semper efficax, Joh. vi. 45. *Quisquis audivit à Patre et didicit, venit ad me; illa* si à vocatione internâ sejungatur, inefficax ad salutem, quanquam inutilis non sit.

X. *Vocatio* rursus distingui debet in *ordinariam*, et *extraordinariam: illa* est, quam Deus adhibet in ordinaria gratiæ suæ dispensatione ac ministerio hominum, *ista* quæ extra ordinem fit, respectu illorum, quos immediatè vocavit Christus; ac ita Paulus *vocatus*.

CAPUT II.

De Evangelio ac Vocatione externa per Evangelium:

I. Vox Evangelii multa significat apud auctores sacros et profanos, 1. Lætum ac faustum nuntium quodcunque. 2. Præmium fausti nuntii. Unde apud Ciceronem hæc verba leguntur; *O suaves epistolas tres, quibus* ἐυαγγέλια *quæ reddam, nescio.* 3. Sacrificium quod ob eventum aliquem faustum instituitur, ita apud Isocratem dicitur, ἐυαγγέλια τιθύεσθαι. 4. Lætum de Messiæ adventu nuntium. 5. Promulgationem gratiæ factam, vel á Christo ipso incar-

nato, vel ab apostolis. 6. Historiam evangelicam de Christi vitâ, morte, resurrectione, &c.

II. Quando dicimus nos vocari per evangelii præconium, intelligimus voce illa *evangelii* in genere, doctrinam gratiæ Dei ac ejus misericordiæ erga homines in Christo fundatam.

III. Istud evangelium cum Christi incunabulis non tantùm incepit, sed ab initio mundi post lapsum Adami, promulgatum fuit. Gen. iii. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis.*

IV. Per istius evangelii præconium homines vocati sunt et vocantur, non tantùm Judæi, sed et gentes, juxta oracula innumera, quibus vocatio gentium prædicta et promissa fuit. Sub veteri Testamento solis posteris Jacobi legem scriptam dedit Deus, alias gentes sinebat ingredi vias suas, Ps. cxlvii. 19, 20. Act. xiv. 15. At nunc discrimen populorum abolitum, et in omnem terram exivit sonus apostolorum, Roman. x. 18. Col. i. 13.

V. Istud *evangelium* omnibus populis non est promulgatum, multi enim sunt, qui de evangelio nihil audiverunt, et qui in tenebris ignorantiæ adhuc manent.

VI. Nec eadem est Dei intentio erga eos omnes qui vocantur, prout alii sunt reprobi, alii electi; nàm vocat Deus electos, ut salutis faciat participes; at non eundem habet finem respectu reproborum, quos novit nunquam fore salutis compotes. Si enim omnes vocatos salvare finis Dei esset, fine suo excideret, quod Deo indignum est.

VII. Non mirum est, si Deus evangelium promulgari patiatur reprobis, quibus fidem dare non vult, ut non mirum est Deum voluisse immixtos esse reprobos electis; jus habet hominum Creator præscribendi homini officium suum, et est summum beneficium Dei erga creaturam, viam salutis ei monstrare. Sanè si Deus voluisset fideles seorsim vivere a reprobis, esset summum admirandi argumentum, si evangelium reprobis annuntiaretur, in quo promissa salutis continentur, quæ nunquam iis dabitur; sed hoc, in eo statu in quo res sunt, non magis mirum videri debet, ac mirum est Deum velle, ut pluat in rupes ac loca inaccessa, æque ac in agros consitos, et prata, ac hortos, quamvis respectu rupium inutilis sit pluvia; notum enim cuivis est id fieri, quia Deus noluit leges naturæ immutare, quas sapienter statuit; pariter de vocatione reproborum ratiocinandum est. Deus noluit immutare hunc ordinem, juxta quem reprobi cum electis commiscentur: haud stupendum igitur, si illis evangelium æquè nuncietur ac istis.

VIII. Si tamen ulterius quæras, cur reprobis evangelium prædicari curet Deus; respondemus id fieri respectu *quorundam*, ut eorum corruptionem coërceat ne in omnia nefanda ruant. Sic respectu eorum idem præstat prædicatio evangelii, ac castigationes variæ, quibus Deus quasi fræno coërcet furorem impiorum; respectu *aliorum* ut detegat pravitatem cordis. Luc. ii. 35,

IX. Quamvis Deus salutem reproborum minimè intendat, maximè tamen serió agit quum vocat, nec ulla simulationis labes ei adspergi potest. *Quotquot per evangelium vocantur*, ait Synodus Dordracena, *serió vocantur, serió enim et verissimè ostendit Deus verbo suo quid sibi gratum sit, serió etiam omnibus ad se venientibus et credentibus requiem animarum et vitam æternam promittit.*

X. Qui rejiciunt verbum gravissimè reprehenduntur in Scriptura, Joh. v. 40. Is. i. 2. 3. lxv. 2, 3. Matth. xi. 16. et punientur, Prov. i. 24, 25, 26. At qui vocationi Dei respondent et verbum recipiunt, laudantur, et remunerabuntur, Act. xvii. 11. Joh. xiv. 21.

CAPUT III.

De Vocatione interná.

1. VOCATIO *interna* fit quoque per evangelii prædicationem, sed conjunctam cum gratiâ internâ Spiritus Sancti; varia in scholis sortitur nomina; vocatur *vocatio κατα πρόθεσιν, secundum propositum*, à Paulo, Rom. viii. 28. *regeneratio*, Jac. i. 18. 1 Pet. i. 23. *sanctificatio*, et *conversio*. Dicitur *vocatio* ob rationes jam allatas: vocatur *regeneratio*, 1. Ad denotandam omnimodam hominis impotentiam ad bonum. 2. Ad significandam maximam mutationem, quæ in homine fit, quæque tanta est, ut videatur de novo nasci. 3. Ad inuendam summam potentiam gratiæ convertentis; denominatur *sanctificatio*, quia homo fit sanctus, et *conversio* quia tunc à creaturis ad Deum convertitur.

II. *Vocatio* et *regeneratio* tantùm notant actus Dei, non nostros; *sanctificatio* et *conversio* designant actus Dei, et actus nostros, gratiâ Dei in nobis excitatos.

III. Distingui etiam aliquando solent hæc verba, in eo quod *vocatio efficax* sit donatio fidei et resipiscentiæ, ac

proinde resipiscentiam præcedat et fidem: *regeneratio* aliquando complectatur vocationem efficacem, et renovationem naturæ corruptæ, sed aliquando etiam strictè pro solâ naturæ corruptæ renovatione sumatur; *sanctificatio* sit continuatio regenerationis, *conversio* verò modò æquipolleat regenerationi, modò resipiscentiæ; set ut plurimùm hæc verba promiscuè sumuntur.

IV. Ut rectè tota hæc materia, et modus quo Dei gratia in homines agit, intelligatur, quibusdam propositionibus sententiam nostram explicabimus.

V. At ante omnia resumendum est quod anteà, dum de liberi arbitrii impotentiâ loquebamur, observavimus, nempè, hominem naturâ suâ et absque gratiæ auxilio ad omne bonum spirituale esse inidoneum et ineptum, siquidem mortuus est in peccatis, servus peccati &c. imò incapacem esse ullius actionis quæ Deo possit esse grata. Nec hoc tantùm, sed et hominem in tali statu jacentem nihil posse præstare, quod vel tantillum impellat Deum ad ipsi gratiam suam conferendam; quid enim gratum faceret corruptus homo, et in corruptione jacens ac peccatis summopere delectans? Unde vocatio tribuitur *mero Dei beneplacito; Deus*, inquit Paulus, *facit velle et operari secundum beneplacitum.* Philip. ii. 13. Quibus omnibus addendum, hominem in eo statu non posse semetipsum disponere ad excipiendam gratiam, aut ullo modo ad Deum accedere. Quomodo enim mortuus se disponeret ad vitam accipiendam, cæcus ad recipiendum visum, et servus animo et corde ad libertatem?

His præsuppositis, propositionibus quibusdam totam hanc materiam exponimus. 1. Quos Deus gratiâ vult convertere, eos ut plurimum sensim disponit ad conversionem, partim externis mediis, partim internis. *Externè* disponit per *prædicationem verbi, legis et evangelii;* aliquando per *beneficia temporalia*, aliquando per *castigationes et afflictiones. Internè* quum terret conscientiam, ira suæ sensum imprimendo, peccati turpitudinem exhibit, desiderium conversionis ac ad meliorem frugem redeundi ingenerat, et virtutem sub pulcherrimâ formâ proponit. 2. Illa gratia, quam *disponentem* ad conversionem vocare quis posset, multis etiam reprobis datur. Unde *illuminati* dicuntur, et de iis dicitur eos gustasse dona cœlestia. 3. Gratia, quæ sufficiens est ad conversionem hominis, non datur omnibus; innumeris enim neq *datur cor ad intelligendum, nec oculi ad videndum.* Deut. xxx. 2. nec notitia mysteriorum Dei, Matth. xi. 27, et xiii. 11. Non *omnium misereatur De-*

us, sed quorum vult tantùm, Rom. ix. 18. Solis electis conceditur hæc gratia, quibus datur credere, et qui trahuntur à Patre. *Quos Deus præcognovit eos vocavit*, Rom. viii. 29. 4. Operatio gratiæ in conversione nostra partim nota est, partim ignota, miris et ἀῤῥήτοις modis operatur, quos nobis perfectè scrutari non datur. 5. Deus convertit homines per *prædicationem verbi*. Nam cùm Deus semper agat modo naturæ rationali convenienti, et cum juxta Paulum, Rom. x. 17. *fides sit ex auditu, auditus ex verbo*, necessariò debet verbum prædicari. Ideo verbum Dei vocatur *semen regenerationis*, 1 Pet. i. 23. 6. At quamvis Deus vocet homines per verbum suum, certum est præterea necessariam esse *immediatam Spiritus Sancti operationem*. Illud evincimus, (1.) Ex illis locis, in quibus sancti viri petunt, ut aperiantur oculi ad contemplanda mirabilia legis, Psal. cxix. 18. et ex aliis, in quibus dicitur, Christum *aperuisse mentem discipulorum ad intelligendas Scripturas*, Luc. xxiv. 45. *Deum cor Lydiæ aperuisse, ut attenderet ad ea quæ dicebantur à Paulo*, Act. xvi. 14. (2.) Ex loco Pauli, 1 Cor. iv. 6, 7. ubi Apostolus distinguit actionem hominis plantantis et rigantis per verbum, ab actione internâ Dei dantis incrementum, *Paulus plantat, Apollo rigat, sed Deus dat incrementum*. (3.) Ex illis locis, in quibus summa *impotentia* hominis describitur, quando cæcus et mortuus dicitur; nam ut ad visionem cæci non sufficit ipsi proponere lucem, sed et requiritur facultatis restauratio; ita ad visionem spiritualem fidei, non sufficit doctrinæ in verbo revelatio, nisi intus facultas corrupta sanetur, et ad objectum recipiendum disponatur. (4.) Ex locis, in quibus Deus dicitur adhibere ad conversionem nostram *excellentem magnitudinem virtutis suæ, secundum efficaciam roboris virtutis ejus, quam exeruit in Christo*, Ephes. i. 18, 19, 20. quæ sanè phrases frigidæ essent, si tantùm hoc unum præstet Deus, nempe clarè evangelium proponere cum certis quibusdam circumstantiis. (5.) Ex eo, quod tantùm abest, ut verbum menti corruptæ propositum possit eam movere, vel à præjudiciis liberare, ut è contrà verbum ipsum, quamvis per accidens, præjudicia confirmet et augeat; nam *verbum crucis homini animali prædicatum, est scandalum et stultitia*, 1 Corinth. i. 23.

VI. Spiritus Sanctus non agit sine verbo, sed cum verbo; idem objectum quod per verbum extrinsecùs proponitur, intùs per Spiritum menti imprimitur.

VII. Operatio Spiritus Sancti quamvis ineffabilis, differt

multùm ab *Enthusiasmo;* 1. In *Enthusiasmo* objecta quæ menti imprimuntur, non extrinsecus adveniunt, sed intus à spiritu per arcanas inspirationes suggeruntur. At hîc objectum supponitur semper extrinsecus advenire, et ex verbo peti. 2. *Enthusiasmus* fit per subitos motus qui ipsam rationem antevertunt, et sæpe excludunt; at *Spiritus operatio* secum trahit gratum voluntatis consensum. 3. *Enthusiasmus* mentem afficit, immutata sæpe manente voluntate; unde in impios etiam cadit, at *operatio gratiæ* necessariò infert cordis mutationem.

VIII. Quamvis perfectè explicare non possimus operationem gratiæ; multa tamen dicere possumus. Ac 1. existimamus Spiritum Sanctum agere immediatè in corpus et in sanguinem, ne affectus judicium nostrum perturbent. 2. Impedire, quominus excitentur in cerebro tales motus, ad quos excitantur malæ cogitationes in mente. 3. Impedire, quominus illa objecta quæ apta essent ad nos corrumpendos, feriant mentem. 4. Avocare animum ab omnibus aliis cogitationibus, quæ possent à sanctitate nos avertere. 5. Sic attentam reddere mentem, quum legit vel audit verbum Dei, et impedire ne suum præcipitet judicium. 6. Sæpius et frequentissimè ea quæ legimus et audivimus suggerere, et menti objicere. 7. Delectatione summâ perfundere mentem, vel quum legit verbum, vel quum volumus ejus præcepta in praxim revocare. 8. Delectationem illam augere magis ac magis, ut vincat delectationem peccati.

IX. Spiritus Sanctus non tantùm agit intus, sed dispensat certas circumstantias, quæ non parum juvant, ita aliquando quasdam castigationes infligit hominibus, ut dociles reddat. At illæ circumstantiæ cum verbo conjunctæ, ad conversionem nostram minime sufficiunt. Nam 1. si hæc sententia vera esset, frigidæ essent, ut jam diximus, Scripturæ sacræ descriptiones. 2. Sequeretur non alia ratione fieri Christianos in Ecclesiâ, quàm Philosophos, imò sequeretur pariter Deum esse auctorem et causam mali; quia non minùs certò dispensat objecta, quibus impii ad vitia certa impelluntur, et circumstantias ex quibus peccatum oritur. 3. Certum est, in variis circumstantiis eundem sæpissimè esse effectum, et in iisdem sæpe diversum.

X. In primo momento vocationis nostræ, quando homo fit capax credendi, tunc se habet merè *passive*, nec quicquam agit: hoc probant illa loca Scripturæ, quæ cæcum, mortuum esse describunt, et alia in quibus dicimur *creari, regenerari, suscitari.*

XI. Non agit in nos Spiritus tanquam in truncos et stipites, siquidem nunquam agit sine verbo, nec aliò spectat ejus operatio, quàm ut verbum propositum menti imprimat.

XII. Non agit tantùm in intellectum, sed in voluntatem et affectus; et ita agere necesse est, quia ut plurimum, ut quisque afficitur judicat, unde necesse est eum in voluntatem agere et affectus, ut attenti esse possimus ad veritates propositas. Quando Spiritus agit in hominem, ex nolente fit volens.

XIII. Gratia convertens *physice* et *moraliter* agere dici potest; agit *moraliter*, nam verbo docet, inclinat, suadet; agit *physicè;* dum infundit in animas delectationem summam, et dum in sanguinem agit ad coërcendos affectus.

XIV. Non tantùm illa gratia potentiam credendi et benè operandi dat, sed ipsum actum dat nobis, Phil. i. 29. *Vobis datum est non solùm credere* &c. et cap. ii. 13. *Deus est qui operatur in vobis velle, ac perficere;* unde dicimur *credere secundum efficaciam roboris Dei*, Eph. i. 19.

XV. Efficacia gratiæ in conversione hominis minimè à viribus liberi arbitrii nostri pendet, sed à potenti gratiæ virtute; hoc patet ex locis citatis, in quibus conversio dicitur *creatio*, *resurrectio*, *opus summæ Dei potentiæ*.

XVI. Ita potens est gratiæ operatio, ut ab homine vinci non possit; resistit quidem diu caro et homo corruptus, sed tandem à gratiâ vincitur; quis enim semper resistere posset eidem virtuti quæ mundum è nihilo, mortuos è tumulis suscitavit? Illud idem evincitur duobus hisce argumentis. 1. Quia si gratia ita operaretur, ut semper penes hominem esset, vel eâ uti, vel ei resistere, plus sibi et suæ voluntati deberet homo quàm Deo, *se ipsum ab aliis discerneret homo*, quod negat Paulus, 1 Cor. iv. 7. et *materiam gloriandi haberet*, imò præscientia Dei incerta redderetur et dubia. 2. Illud idem probatur ex locis Scripturæ, Joh. vi. ubi postquam dixit Christus vers. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit*, addit vers. 45. *Quisquis audivit à Patre et didicit, venit ad me*, hisce enim duobus verbis designatur necessitas gratiæ, et ejusdem efficacia insuperabilis. Gratia semper producit effectus ad quos producendos destinata est; si tantùm data est, ut excitet quosdam motus bonos, et novæ vitæ desiderium ingeneret, id præstat; si data est ut operetur plenam conversionem, id quoque assequitur.

XVII. Verùm etsi sit potentissima actio Spiritus, suavissima est, et libertatem minimè lædit, nam agit, mentem

illuminando, et voluntatem maximâ delectatione perfundendo. Trahimur, sed docemur; creamur, sed illuminamur; evangelium quo convertimur, brachium Dei vocatur, at cum melle confertur; potentia Dei dicitur, at cum lacte comparatur; est sceptrum roboris Dei, sed et gratiæ. *An forte verendum est*, inquit Prosper ad Demetriadem, *ne liberum tollere videamur arbitrium, cùm omnia per quæ propitiatur Deus, ad ipsum dicimus esse referenda? Quod nequaquam esse consequens veritatis ostenditur. Operante enim Spiritu Dei, juvatur arbitrium, non aufertur: et hoc agit gratia, ut voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, seductionibus circumsepta, difficultatibus impedita, non remaneat in languoribus suis: sed per opera miserentis medici curata revalescat; et gaudeat se non interroganteni edoctam, et non quærentem esse quæsitam.*

XVIII. Quoad *sanctificationem infantium*, alio modo concipienda est, et de eâ hæc tria dicimus. 1. Non posse negari sanctificari infantes electos; nam si non sanctificarentur, utpote impuri, quum moriuntur, regnum cœlorum ingredi non possent. 2. Non sanctificari per *verbum*, nec enim verbi audiendi sunt capaces. 3. Sed per *Spiritum*, Spiritus enim Sanctus auctor est unicus eorum sanctificationis. 4. Etsi modus sit ineffabilis, non posse tamen rem negari. Nam patet ratio evidenter, cur hic modus superet captum nostrum, quia nescimus quid agatur in hisce parvulis. 5. Verosimile esse, Spiritus Sancti operationem consistere, in eo quòd abrumpat unionem quandam moralem cum corpore, quam acquirit anima statim ac naturaliter cum eo; et quandoquidem hæc unio moralis animæ cum corpore pendet dubio procul à certis motibus corporeis spirituum, à parentibus impressis, ad quos motus spirituum, Deus permittit ut certi affectus in animâ nascantur, credibile est Spiritum Sanctum hanc unionem abrumpere; mutando ab unâ parte motus spirituum, vel suspendendo aut coërcendo eos motus, et ab alterâ alios motus in animâ excitando.

CAPUT IV.

De Fide.

I. PRIMUS vocationis internæ effectus, ac primus novi hominis motus est *Fides*, cujus tanta necessitas, ut celebretur in

Scripturâ, tanquam vinculum nostræ cum Christo unionis, conditio fœderis gratiæ, fructus electionis, principium sanctificationis, ac medium infallibile salutis.

II. Ut de eâ loquamur accuratè, septem ista expendemus; 1. Quot modis sumatur hæc *vox?* 2. Quænam sint objecta fidei salvificæ? 3. Quinam sint actus fidei circa hæc objecta? 4. Quisnam sit auctor fidei? 5. Quodnam subjectum? 6. Quodnam sit discrimen inter fidem temporariorum et fidem electorum? 7. Quænam sint opposita fidei?

III. Ac *primò*, videndum quot modis sumatur hæc vox: sumitur autem aliquando pro eâ quam servamus aliis *fidelitate*, per quam fit id quod pactum ac promissum est, et sic Deo tribuitur, Rom. iii. 3. Aliquando pro *doctrinâ evangelicâ* quæ est fidei objectum, Gal. i. 23. Gal. iii. 25. Aliquando, pro externa fidei professione, ut Gal. vi. 10. *domestici fidei.* Aliquando pro ipso *mentis assensu*, hoc modo nunc sumitur. Hoc sensu sumta fides distinguitur in eam 1. quæ est nudi assensus veritati revelatæ, quæ in diabolos etiam cadit, Jac. ii. 19. quæque fides *historica* dicitur; dicitur autem fides *historica*, non quasi tantùm credat historias in Scripturâ contentas, sed quia omnia quæ credit, credat ut historias, nec inde ad rectè agendum moveatur. 2. In eam, quæ assensum dicit promissioni alicui singulari de eventu miraculoso, vel à nobis præstando, vel in nos et circa nos, quæ *fides miraculorum* dicitur; duplex itaque est fides *miraculorum*, vel *quæ* requirebatur in iis per quos miracula Deus præstare volebat, de qua loquitur Christus, Matth. xvii. 20. *Si habeatis fidem; quantulum est granum sinapis*, &c. vel *quæ* requirebatur in iis, in quos miracula patrari debebant, ita Christus petebat ab iis, qui se ipsos offerebant ut sanarentur, *Credisne?* 3. In eam, quæ cum assensu rebus revelatis, habet aliquem gustum veritatis, quæque conjuncta est cum aliquo gaudio, sed quæ radicem non habet, et quæ persecutionibus ingruentibus esse desinit, hæc est fides *temporariorum.* 4. In eam, quæ dicitur *justificans et salvifica.* De eâ jam dicendum; ac ejus natura expendenda, idque postquam observaverimus, (1.) Fidem justificantem habere quicquid boni est in fide *historica*, et in fide *temporariorum*, (2.) In multis fidem miraculorum fuisse absque fide justificante, ut in Judâ et in illis de quibus agitur, Matth. vii. 22. in innumeris fidelibus fuit et erit fides justificans sine fide miraculorum; quamvis in primordiis Christianismi, fides justificans et fides miraculorum conjunctæ fuerint non rarò.

Secundò, expendendum quodnam sit objectum fidei salvificæ. In genere observandum est objectum fidei debere esse verum, neque illi subesse falsum; nec aliud esse quàm verbum Dei. Sed observamus præterea duplex esse objectum fidei, aliud generale, aliud speciale et proprium; *Generale*, est totum Dei verbum, quod complectitur 1. Historias. 2. Vaticinia. 3. Dogmata et præcepta. 4. Promissiones et comminationes. *Speciale*, est doctrina de Jesu Christo, et promissiones remissionis peccatorum et salutis in Christo, quatenus considerantur, ut ad hunc et illum spectantes; *fundamentum* propter quod hoc credimus est *veracitas Dei*. Quod autem fidei salvificæ objectum proprium sive specificum sit promissio specialis misericordiæ in Christo, patet ex variis argumentis, duo aut tria tantùm afferam. 1. Quia si vera fides non haberet pro objecto promissionem specialis misericordiæ in Christo, non differret à fide Dæmonum, ac proinde non posset salvare. 2. Quia fides sanctorum semper respexit specialem misericordiam in Christo, ita Paulus testatur *se credere Christum dilexisse ipsum et mortuum esse pro se*, Gal. ii. 2. *misericordiam ipsi factam*, 1 Tim. i. 16. Verùm hoc patebit evidentiùs, quando de actibus fidei loquemur.

Tertiò, itaque videndum quinam sint actus fidei, sed ante omnia observamus fidem in concepto suo includere notitiam. Quod probatur 1. Ex locis Scripturæ, ubi per notitiam definitur; Joh. xvii. 3. *hæc est vita æterna ut te cognoscant* &c. Is. liii. 11. *justus meus servus justificabit multos per cognitionem sui*; describitur 2 Tim. iii. 7. per ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας. 2. Ex eo quod fides dicatur esse ex verbo, at verbum non potest credi nisi cognoscatur. Verùm præterea notamus plures esse actus fidei, qui sunt accuratè distinguendi:

Primus actus fidei est ille, quo assentimur toti Dei verbo, ac imprimis promissionibus evangelii, nec tantùm persuademur de veritate evangelii, ac de ejus bonitate; sed de ejus summâ bonitate supra alias doctrinas. Hic assensus est firmissimus et certus, quippe qui in auctoritatem et veracitatem Dei dicentis et mentiri nescii resolvitur. Per hunc *primum* actum persuademur, Christum esse verum Messiam promissum, spem Israëlis, Ecclesiæ consolationem, unicum datum hominibus nomen, ut salutem consequamur.

Secundus actus fidei ille est, quo persuademur non modo in genere, Christum esse Servatorem, sed esse Servatorem eorum, qui peccatorum pœnitentiâ ducti, in eo solo

quærunt veram justitiam ac salutem, atque ad eum solum confugiunt, ac proinde nostri esse Servatorem, si modo hoc præstiterimus: *primus* actus communis est hominibus cum dæmonibus, *iste* in dæmonibus non potest esse; siquidem probè norunt sibi nullam reservatam esse salutem.

Tertius actus fidei ille est, quo peccatorum perpetratorum pœnitentiâ ducti, ac nostræ miseriæ et ex misero, in quo collocavit peccatum, statu exeundi impotentiæ conscii, ex nobismet ipsis quasi prodimus, et propriæ justitiæ nuntium remittentes, *esurimus et sitimus justitiam Christi*, Matth. v. 6. *ac cupimus inveniri in ipso habentes justitiam quæ est ex fide in Christum*, Phil. iii. 7, 8. Nec hoc tantum, sed nullum præter Christum agnoscentes mediatorem, ac probè cognoscentes ejus sanguinem ac justitiam esse infiniti valoris, rogamus Patrem ut obedientiam Filii nobis imputet, et Christo nos totos tradimus, ipsique arctissimè adhæremus, dicentes cum sponsâ, Cant. iii. 4. *Inveni quem diligit anima mea, apprehendi eum, nec dimisi*, hi tres sunt actus directi fidei. Ille ultimus actus fidei est propriè actus, quem vocamus justificatorium.

Quartus actus fidei est, quo in nos ipsos reflectentes, et in nobis intuentes conditiones, quas Christus requirit in iis, quorum est Salvator, concludimus Christum esse pro nobis *mortuum*, et cum omnibus beneficiis suis ad nos pertinere; cujusmodi actus occurrit in Paulo, Gal. ii. 20. quum dicit, *Cum Christo crucifixus sum, et vivo non ego, sed Christus in me, et quod in carne vivo, vivo in fide Filii Dei, qui me dilexit et se ipsum pro me tradidit.* Et 1 Tim. i. 16. *misericordia mihi facta est*, et 2 Tim. i. 12. *novi cui credidi.* Hunc actum sequitur consolatio summa, pax in conscientiâ, quæ ex Christi possessione oritur, quæque facit, ut nostræ cum Christo communionis conscii, ac de suo amore certi, piè in Domino exultemus, et quosvis hostes provocemus, Rom. viii. 38. gaudio glorioso lætantes, 1 Pet. i. 8. ac sub umbrâ arboris vitæ requiescentes, et dulcissimis illius fructibus nos satiantes, Cant. ii. 3.

Disquiritur, utrum *fiducia* sit de essentiâ fidei, an verò consequens tantùm, nec inter Theologos convenit. Nos, distinctione adhibita, ita respondemus, *Fiduciæ* nomine, vel intelligitur *actus* ille, per quem in Christi meritum recumbimus, illi innitimur, et ei adhæremus ut fonti salutis; vel sumitur pro *firmâ persuasione* de veniâ peccatorum impetrata, et de nostrâ cum Deo reconciliatione; vel pro *spirituali fortitudine*, quâ animi robur et nervos opponimus

iis malis, quibuscum in hâc vitâ mortali conflictamur; vel pro *conscientiæ tranquillitate*. *Primo* sensu *fiducia* est de essentiâ fidei, nec potest concipi fides sine tali fiducia; *secundo* sensu non est de essentiâ fidei, si consideremus tantùm actus directos fidei, sed est de essentiâ fidei, si ad actum reflexum attendamus; imò non tam ad essentiam fidei pertinet, quàm ad ejus perfectionem; est propria fidei corroboratæ et firmæ, non vero fidei infirmæ. Quod autem non sit actus essentialis fidei patet hoc argumento. Nemo potest sibi persuadere, se Deo esse reconciliatum, quin in se animum reflectens veram fidem in se agnoverit; ita enim ratiocinatur, Qui in Christum credit ille reconciliatus est, ego credo, &c. Ergo hæc persuasio supponit jam fidem in corde existentem; non igitur hæc persuasio est de essentia fidei; quod confirmatur ex eo quod multi pii et fideles dubitent. Quoad tertium et quartum sensum patet esse effectus fidei.

Hisce positis, facilè est naturam veræ fidei agnoscere, et eam definire pro diversis actibus, quos consideravimus. Nec mirum est, si tam diversè eam definiant Theologi, nam nonnulli totam ejus essentiam describere nituntur, nempe tam id quod habet cum fide historicâ commune, quàm id quod est illius proprium. Alii solum id notare intendunt, quo fides salvifica ab historicâ differt. Alii describunt secundum esse suum completum et secundum id quod in se apta est in fideli producere, *per* firmam persuasionem peccatorum veniæ, absque quâ tamen fidelis potest subsistere saltem ad tempus. Alii definiunt fidem ex iis, sine quibus vera fides quantumlibet parva ne ad minimum quidem constare potest, ut qui definiunt per famem et sitim justitiæ. Alii attendunt ad actus directos fidei tantùm, alii ad actus reflexos, alii ad utrosque. Pro diversis respectibus potest diversimodè definiri, nec opus est ut omnes definitiones afferamus. Verbum tantùm addam de descriptione fidei, quam legimus Heb. xi. 1. ubi vocatur fides ὑπόστασις ἐλπιζομένων, καὶ πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. Obscurum enim est quid per ὑπόστασιν, quid per ἔλεγχον intelligendum; ὑπόστασις notat, 1. *Existentiam* rei. 2. *Basim* seu fundamentum. 3. *Subsistentiam* sive *constantiam*, impetui hostium non cedentem; cum igitur dicit Paulus fidem esse ὑπόστασιν rerum speratarum, sensus est, fidem non modò res quas speramus quasi præsentes sistere menti, sed esse quoque animæ fulcrum, quo nixa nihil timet, et nulli impetui cedit. Ἔλεγχος duo quoque notat. 1. *Certam demonstrationem*. 2. *Con-*

victionem animi: dicitur autem fides ἔλεγχος οὐ βλεπομένων; quia nos convictos reddit de rebus, quas nec oculis cernere, nec planè mente assequi possumus.

Quartò videndum, quisnam sit auctor fidei. Deum esse ejus auctorem docet Scriptura, non modo quia asserit *omne bonum desuper descendere, à patre luminum* Jac. i. 17. sed et quum expressè docet, fidem esse *Dei donum*, Eph. ii. 8. Medium, quo illam producit Deus est *verbum, fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei*, Rom. x. 17. Unde *semen regenerationis* vocatur, Jac. i. 18. 1 Pet. i. 23. Verùm frustrà verbum audiremus, nisi ageret Spiritus, quia affectus mentem nostram ita obvelant, ut veritatis non magis sit capax, quàm aqua turbida hominis imaginem in eam respicientis recipere potest; præjudicia mentem fascinant, et malitia omnes bonos motus suffocat, nunquam igitur verbum à nobis crederetur, nisi Spiritus affectus domaret, præjudicia dispelleret, et sanctificaret corda. Tria autem præstat Spiritus; 1. attentos nos reddit ad verbum; 2. restituit facultates; 3. imprimit verbum in mente; nec patitur ut impressiones verbi evanescant; hoc modo fidem producit. At tria observanda, 1. Non ita Deum esse auctorem fidei, ut credat in nobis; *nos* enim credimus, non *Deus*, sed Deus dat vires credendi. 2. Scripturam nos aliquando docere, Spiritum præcedere et producere fidem, aliquando sequi fidem, ut quum Ephes. i. 13. dicitur: *Cui postquam credidistis, obsignati estis Spiritu* quod ut intelligatur distinguendæ sunt variæ operationes Spiritus, aliæ nos introducunt in communionem Christi, aliæ sequuntur; fides per primas producitur, secundæ fidem sequuntur. 3. Deum non dare tantùm posse credere, sed et ipsum credere; quod docet Paulus Phil. ii. 13. quum ait Deum *producere in nobis velle et operari.*

Quintò, examinandum quodnam est subjectum fidei? Respondemus 1. Esse tantúm *electos*, unde dicitur fides *electorum*, Tit. i. 1. datur tantùm iis qui vocati sunt κατὰ πρόθεσιν, Rom. viii. 28. et *ordinati ad vitam æternam.* Act. xiii. 48. 2. Esse tantùm in iis qui ratione suâ uti possunt, non in infantibus. (1.) Quia non sunt capaces auditionis et meditationis verbi, ex quâ fides concipitur, (2.) Quia non sunt capaces actuum fidei.

Sequitur ut, *Sextò*, videamus, quodnam sit discrimen inter fidem temporariorum, et fidem veram, varia autem eas distinguunt. Non existimandum est durationem eas distin-

guere semper: nam temporarii sæpè in illa fide moriuntur, nec tamen illa fides eos salvat. Horum respectu non debet dici fides ad tempus.

Primum discrimen petitur ab origine: equidem utramque fidem ingenerat Deus, sed vera fides fluit ab electione; unde vocatur fides *electorum;* sed fides temporaria pendet à gratia communi, quæ etiam quædam bona spiritualia reprobis largitur. *Spiritus regenerationis et adoptionis* est principium *veræ fidei.* Sed *fidei temporariæ* auctor est *spiritus illuminationis.*

Secundum discrimen petitur à motivis, quæ impellunt temporarios, et veros fideles ad credendum; fideles amplectuntur evangelium primariò, sub ideâ *boni honesti*, quamvis etiam amplectantur sub ideâ utilis et jucundi, unde quando non possunt retinere evangelium, quin omnibus commodis renuntient, et omnibus voluptatibus nuntium remittant, malunt illis commodis et illis voluptatibus renuntiare, quàm evangelium abnegare, aut veram religionem deserere. At *temporarii* amplectuntur præcipuè evangelium, sub ideâ *utilis et jucundi*, unde si non possint veram religionem profiteri, quin sua deserant commoda, veram religionem quàm suas divitias relinquere malunt.

Tertium discrimen ex *radicatione* utriusque fidei ducitur; fides πρόσκαιρος radicem non habet, Matth. xiii. 21. in superficie extimâ animæ hæret, scilicet in intellectu. At fides vera radicata est in corde; unde fideles dicuntur *radicati in Christo, et confirmati in fide.*

Quartum discrimen petitur ex eo, quod fides temporariorum cum sanctificatione cordis non sit conjuncta, unde si aliquando actus aliquos extrinsecè bonos præstent, et vitam emendare videantur, ac pollutiones mundi effugere; quotiescunque vel blanditiæ mundi et carnis, vel persecutiones ingruunt, ad pristinas sordes redeunt. At vera fides efficax est per charitatem; eodem tempore quo summum Dei erga nos amorem, et Christi charitatem repræsentat, mutuo in Deum et Christum amore inflammat, et adeò profundis characteribus sanctitatis speciem animæ imprimit, ut nihil anima sibi præclarius arbitretur quàm ei totam se dare; et tam altè insculpit promissa felicitatis æternæ, ut pro eâ omnia experiri paratus sit fidelis; hinc qui eâ præditi sunt fructum ferre dicuntur, Matth. xiii. 8, 23. In fide temporariorum oritur gaudium, partim ex novitate et raritate rerum revelatarum, partim ex vana persuasione, bona evangelii oblata ad se pertinere; sed in fide vera

emergit gaudium multò nobilius ac solidius ex amore pretiosissimarum veritatum, et ex spe certa gloriæ.

Quoad *opposita* fidei quod, *Septimò*, est expendendum, sunt varia. 1. *Dubitatio*, quæ est suspensio assensus, seu hæsitatio de rebus divinis. Illa dubitatio est vel de tota religione Christiana, vel de singulari aliquo dogmate. 2. *Incredulitas*, quando quis veritati divinæ assentiri non vult. 3. *Infidelitas*, quando quis non credit veritatem, quia ipsi non est revelata. 4. *Diffidentia*.

IV. Verùm hîc necesse est observare, veram fidem habere varios gradus; alia est *firma*, alia *infirma*. Fides *infirma* dicitur, 1. *illa*, quæ rudimenta tantùm pietatis novit, talis erat Hebræorum ad quos loquitur Paulus, Hebr. vi. 1. 2. *Illa*, quæ alicujus dogmatis momentosi cognitionem nondum adepta est, ita qui de libertate Christianâ non planè erant edocti, dicuntur infirmi in fide, Rom. xiv. 2. xv. 1. 1 Cor. viii. 9, 10. 3. *Illa*, quæ imperfectè admodum assentitur iis quæ Deus nobis revelavit, talis erat fides *Marthæ*, Joh. xi. 11. 4. *Illa*, quæ cum multis dubiis conflictatur, ut illa Patris dæmoniaci illius, de quo Marc. ix. 22. 5. *Illa*, quæ temerè absque ullo fundamento concepta est, unde instabilis est. At *fides firma* est eorum, qui magnos in cognitione evangelii fecerunt progressus, qui firmiter assentiuntur veritatibus evangelicis, et Christo perfectè adhærent. Alia fides est incipientium, alia proficientium, alia adultorum.

CAPUT V.

De Perseverantiâ fidei.

1. Vera fides semper perseverat, nec ea unquam amittitur. 1. Probatur, quia eodem modo ratiocinandum de *fide* ac de *electione*, siquidem fides vera est effectus electionis; at electionis consilium est immutabile, ut probavimus. 2. Quia si fides posset amitti, *fœdus gratiæ* cujus fides est conditio, quam Deus in nobis præstare pollicetur, posset etiam abrogari respectu illorum qui credere desinerent; at fœdus gratiæ est quoque immutabile, nec unquam rescindi potest, ut notissimum est, sic enim distinguitur à fœdere operum, quod irritum factum est. *Pangam cum iis fœdus æternum, me non recessurum ab iis ut benefaci-*

am ipsis, ut non avertam me, et reverentiam mei animis ipsorum indam, ut non à me recedant, Jer. xxxii. 40. *Montes recedent, et colles amovebuntur, attamen benignitas mea à te non recedet, et fœdus pacis meæ*, Is. liv. 10. Ubi notandum, Deum promittere benignitatem suam non recessuram à fœderatis, ac proinde eos in sanctitate servaturam et ad felicitatem perducturam. 3. Quia si fides posset amitti, unio fidelium cum Christo posset abrumpi; at illa unio adeo firma est, ut nihil ab eo eos separare possit, Rom. viii. 37, 38. et Joh. x. 27. ita Christus loquitur, *Oves meæ vocem meam audiunt, et novi ipsas, et ipsæ sequentur me, et ego do eis vitam æternam, et in æternum non peribunt, nemo rapiet eas de manu mea;* id est, nec Satan, nec mundus, nec caro, qui tres omnium Christi fidelium hostes sunt. 4. Quia si fides posset amitti, posset fieri ut *qui credit in Filium, non haberet vitam æternam*, contra id quod Christus ait Joh. iii. 36. et alibi passim, et *veniret in condemnationem* contra assertionem Christi, Joh. iii. 16. Joh. v. 24. aut ut *non glorificarentur quos Deus vocavit*, contra dictum Pauli, Rom. viii. 30. 5. Quia qui credunt obsignantur Spiritu Sancto ad diem redemtionis; at qui ita obsignantur perire non possunt. 6. Quia fides est effectus mortis Christi et ejus intercessionis; at utraque est valoris infiniti, et continuò intercedit Christus.

II His argumentis adjungere possumus loca Scripturæ, in quibus vita spiritualis nostra comparatur *semini incorruptibili*, 1 Pet. i. 23. *fonti salienti in vitam æternam*, Joh iv. 14. imprimis locum illustrem, 1 Joh. iii. 9. *Quisquis natus est ex Deo peccatum non facit, quia semen Dei manet in ipso, nec peccare potest, quia natus est ex Deo.* In quo loco notandum, dici *semen illud manere in ipso*, et quia manet, fidelem non posse peccare. Neque putandum est semen istud posse ejici, si patiantur homines semen diaboli cordibus suis injici, atque fructum peccati edere, nam dicitur, hoc semen ita mentem occupare, ut semini diaboli sit præclusus locus.

III. Illud idem evincitur ex eo quod Scriptura docet, *eos qui egrediuntur è nobis, non esse ex nobis*, hoc est non esse fideles, 1 Joh. ii. 19. *Egressi sunt ex nobis, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum, sed ut palefieret, quod non sint omnes ex nobis.*

IV. Verùm etsi existimemus veram fidem non perire, fatemur tamen non esse semper vivam, et hinc accidit ut fideles in gravissima aliquando crimina cadant, ut *David*,

Salomon, et *Petrus*, quo tempore morerentur à regno cœlorum excludi, et damnari ad pœnas æternas, nisi Deus eorum misertus, ad meliorem reduceret frugem. At in illis minimè deficit fides; nec mirum si fidem dicamus subsistere cum atrocibus peccatis, contraria enim in eodem subjecto manere notissimum; ita, licèt caro et spiritus inter se pugnent, non tamen se penitus expellere possunt, dum in hâc mortalitate vivimus. Eodem modo se habet fides in fidelibus, qui in gravia crimina cadunt, ac anima nostra in corpore, dum syncopem patimur; anima non perit, nec etiam fides; ac ut semen in terrâ per hyemis frigora.

V. Hîc tamen observandum, fidem, quamdiu viva non est, non posse servare, ac proinde si Deus pateretur, ut fideles, qui gravia peccata patrant, in eo statu morerentur, proculdubio damnarentur. Hoc caput claudo *Fulgentii* loco. *Prævenit gratia impium, ut fiat justus; subsequitur justum, ne fiat impius; prævenit cæcum, ut lumen, quod non invenit, donet; subsequitur videntem, ut quod contulit, servet; prævenit elisum ut surgat, subsequitur elevatum ne cadat; prævenit donans homini bonam voluntatem, subsequitur benevolentem operando in illo boni operis facultatem, &c.*

CAPUT VI.

An aliquis possit esse certus de fide suâ ac de suâ salute?

I. QUÆRITUR, an aliquis possit esse certus de fide suâ, ac de suâ salute? De hoc dubitare non patiuntur hæc argumenta: 1. Loca Scripturæ, *Novi cui crederim*, 2 Tim. i. 12. *qui credit in Filium Dei habet testimonium in se ipso*, 1 Joh. v. 10. 2. Quicunque certus est se habere Spiritum Dei inhabitantem, potest esse certus de fide suâ, nam ubi Spiritus Sanctus, ibi fides: at fideles possunt certò agnoscere se habere Dei Spiritum habitantem, 1 Joh. iii. 21. et Paulus docet Spiritum testari nos esse filios Dei, Rom. viii. 16. 3. Si nemo posset esse certus de fide suâ, frustra examen fidei præscriberetur, ut non rarò præscribitur, 2 Cor. xiii. 5. 4. Eodem modo ratiocinandum est de *vitâ spirituali* ac de *vitâ naturali*, at in vitâ naturali anima non tantùm intelligit, sed et conscia est sibi suæ operationis, et scit se intelligere; ita in vitâ spirituali anima regenita hoc habet

proprium, ut non modò actus fidei et charitatis exerat, sed in se ipsam reflexa cognoscat se ipsam elicere, hinc observavimus esse actus fidei reflexos, ut et directos. 5. Eadem argumenta, quæ probant fidelem posse esse certum de fide suâ, eadem probant posse esse certum de salute suâ: ideò de eâ certi fuerunt fideles, *Paulus*, Rom. viii. 38. *David*, Ps. xxiii. et alii.

11 Sed varia hîc observanda sunt, *Primò*, non temerè hominem debere credere se habere fidem, sed post accuratum examen; falsa enim carnis præsumtio potest veram fidei persuasionem mentiri. Itaque expendendi effectus veræ fidei, agnoscemus autem an vera sit fides, si, 1. Sentiamus corruptionem nostram, et nobis ipsis displiceamus. 2. Si peccata odio habeamus, doleamus commisisse, peccandi occasiones vitemus, et sanctificationi studeamus; *fides sine operibus mortua*. 3. Si amorem Christi in nobis excitet, Phil. iii. 8. et desiderium eo fruendi. Vera fides à charitate non sejungi potest; *In Jesu Christo, neque circumcisio quicquam valet, neque præputium;* sed fides per charitatem ἐνεργεῖται, Gal. v. 6. 4. Si non tantùm amplectamur Christum tanquam sacerdotem, qui peccata expiavit, sed et ejus tanquam regis nostri dominio nos subjiciamus, et si eum non modò pro vade nostro, sed et pro capite habeamus. 5. Si Christum sequamur in omni statu, non modo triumphantem in cœlis, sed et patientem. 6. Si sentiamus pacem et gaudium inenarrabile. 7. Si lectione, meditatione verbi, et oratione delectemur. Ex his effectis poterimus agnoscere veram fidem; verùm observàndum notas istas non esse semper ita sensibiles, ut à nobis clarè percipiantur, nec ideò statim desperandum planè, si frigeat sanctificationis studium, et si gaudium contrariâ dubitatione turbetur.

Secundò, *certitudinem* illam non esse semper æqualem, sed diversam, prout fides modò est ægra et infirma, modò sana et vivida, modò in tentatione et lucta, modò extra eam. Quamvis enim hæc certitudo ad fidelis consolationem necessaria sit, non tamen ad fidei veritatem requiritur, ut singulis momentis simus de fide et salute certi; mater fœtus sui sensum non semper habet, nec fidelis etiam fœtum novi hominis semper percipit.

Tertiò, *certitudinem* illam fidelis non esse ἀσύρτως cum timore; unde jubemur Phil. ii. 12. *salutem adoperari in timore et tremore*, sed distinguendum esse timorem *servilem*, qualis est in servis, qui pœnam unicè timent, et *timorem*

filialem, ut vocant, qui consistit in *humilitate*, *constanti proposito Deo adhærendi*, et *solicitudine continuâ à peccatis abstinendi*; primus timor est ἀσύμφατος cum certitudine, secundus non item; tollit enim securitatem carnalem, non verò veram fidelium certitudinem. Qui certi sunt de salute, timent maximè peccatum, quod odio habent, utpote Dei iram provocans; timent Deum, ac solicite cavent, ne quid sibi de gratia ipsius pereat, neque eam frustra acceperint.

Quartò, *certitudinem* illam quam fidelis habet de suâ salute, non esse temerariam præsumtionem, quia ad hanc certitudinem hortatur Spiritus Sanctus, quum dicit *eum qui credit habere vitam æternam*, Joh. iii. 36. quæ verba nullius usus essent, ut et alia promissa, si revera homo non posset esse certus se habere fidem, ac proinde vitam æternam se consecuturum.

Quintò, *certum* non debere esse fidelem, nisi quando videt se ea præstare, quæ ducunt ad salutem; ac debere illam certitudinem esse conjunctam cum sanctitatis studio; itaque peccatorem impœnitentem non debere esse de sua salute certum, nec fidelem, quum se in peccatum gravissimum cecidisse, nec adhuc emendasse vitam videt.

Sextò, *certitudinem*, quam debet habere fidelis de fide sua ac de salute suâ, non esse ejusdem rationis, cum *certitudine* illâ quam habemus de dogmatibus quæ in verbo Dei continentur: nam certitudo *ista* absolute necessaria est ad essentiam fidei, non verò *illa;* absque *illâ* posset fidelis salvari, modò sanctimoniæ totum se daret, et Christo adhæreret; absque *istâ* nequaquam.

Septimò, dubia de salute quæ in nobis oriuntur, à malo procedere principio ut plurimum, vel enim, 1. Dubitamus de salute, quia non adhibemus fidem promissis Dei, ut *increduli*, qui dubitant an sit Deus, an sit Paradisus? 2. Vel ex eo quod absque ratione dubitamus, Deum miserturum nostri, ut verbi gratiâ, quum fidelis, qui quantum potest incumbit sanctitati, dubitat de salute, quia non satis, prout vellet, perfectus est, aut quia afflictus est. 3. Vel ex eo quod homo non videt in se conditiones necessarias, ad fundandam certitudinem; defectus itaque regenerationis est causa hujus incertitudinis; ad sananda et discutienda illa dubia igitur, rectà ad originem mali ascendendum est.

CHRISTIANÆ THEOLOGIÆ

LIBER DECIMUS.

De Justificatione.

CAPUT PRIMUM.

Quid significet vox justificandi?

1. QUOS *Deus vocavit, eos justificavit*, Rom. viii. 30. De *vocatione* egimus, jam de *justificatione*, articulo stantis et cadentis Ecclesiæ, ut loquitur magnus *Lutherus*.

II. Vox *justificandi* respondet Græco verbo δικαιῶν Hebræo הצדיק, sed in sacro codice non eos sensus patitur, ac vox δικαιῶν, quæ aliquando sumitur apud auctores profanos pro *punire* aliquem, ob illatam alteri injuriam: Suidas δικαιώμενος, κολαζόμενος; δικαίωσις, κατάκρισις.

Ut plurimum, imò ferè semper, *justificare* sumitur sensu forensi, pro absolvere aliquem in judicio, vel justum habere et declarare; loca sunt expressa, Exod. xxiii. 7. Deus dicit se *non justificaturum impium*. Prov. xvii. 15. *Qui justificat malum est abominationi Jehovæ*. Is. v. 23. *Væ iis qui justificant malum ob dona*. Matth. xii. 37. *Tuis verbis justificaberis, et tuis verbis condemnaberis*.

III. Rursus fatendum in materiâ justificationis, quando eam ex professo tractat Scriptura, ut in epistola ad Romanos, et ad Galatas, semper sensu forensi sumi, nunquam pro *sanctificatione*. Probatur, 1. Ex Job. ix. 2, 3. *Quomodo homo mortalis se justificabit coram Deo*, &c. et postea, 20. *si me ipsum justificem, meum os me condemnabit*. 2. Ex Ps. cxliii. 2. *Ne ingrediaris in judicium cum servo tuo, quoniam nullus vivens justificabitur coram te*. 3. Ex Epist. ad Rom. iii. 19, 20. *Novimus, quod quæcumque lex dicit omnibus qui sunt sub lege loquitur, ut omne os obturetur, et subjectus fiat totus mundus Deo: ideò ex operibus legis nulla caro justificabitur*. Justificari hic opponitur τῷ *reum esse*. 4. Ex Rom. iv. 7, 8. ubi *justifi-*

care peccatorem Paulus explicat per *remittere peccatum*, non *imputare peccatum*, *tegere peccatum*. 5. Ex Rom. v. ubi *justificari* et *reconciliari* cum Deo per mortem Christi identificantur, vers. 9, 10. 6. Ex Rom. vi. 1. ubi sibi proponit Apostolus hanc objectionem contra doctrinam de justificatione; *An manebimus in peccato, ut gratia abundet?* At si per *justificationem* intelligeretur sanctificatio, seu infusio justitiæ, ridicula esset objectio. 7. Ex cap. viii. Roman. ubi opponitur *justificari condemnationi* et *accusationi*. *Quis intentabit accusationem contra electos Dei? Deus justificat. Quis condemnabit*, vers. 33. 8. Idem evincitur ex epistola ad Galat. ii. 16. &c. 9. Hoc confirmatur ex eo quòd auctores sacri processum judicialem nobis describant, mentionemque injiciant legis accusantis, reorum, chirographi, justitiæ divinæ pœnæ postulantis, advocati causam agentis, satisfactionis et justitiæ imputatæ, throni gratiæ coram quo absolvimur, et judicis absolventis. Ex omnibus illis colligitur, justificationem sumi debere prout sumitur in foro, quando agitur de reo, qui condemnationem meretur, sed qui justificatur. 10. Tandem hoc demonstratur ex eo quod distinguat Scriptura *justificationem* et *sanctificationem*; actum Dei judicis absolventis, et actum gratiæ Dei homines sanctificantis.

IV. In aliis locis Scripturæ, ubi non agitur de justificationis materia, alio sensu sumi posse non refragamur; ita apud Danielem xii. 3. ubi dicitur, *eos qui justificabunt multos, lucem emissuros ut stellas*, ita Roman. vi. 7. Qui mortuus est dicitur *justificatus à peccato*, id est, *liberatus*, et forte alibi. Hæc tria observanda tantùm: 1, Paulum utrumque beneficium *justificationis* et *sanctificationis* sub voce generali *lavare*, aliquando designare; ita 1 Cor. vi. 11. *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Dei, et per Spiritum nostri Dei;* quia duo sunt in peccatò abluenda, *reatus* et *macula*, hæc duo beneficia tribuuntur *Christo* et *Spiritui: Christo*, quia meruit utrumque; *Spiritui*, quia non modo sanctificat, sed dat sensum justificationis, nisi malimus dicere Paulum referre Christi *nomen* ad *justificationem*, et *Spiritum* ad *sanctificationem*. 2. In epistola ad Hebræos non usurpare Paulum vocem *justificationis*, sed vocem *sanctificationis*, *consecrationis* et *purificationis*, quia alludit ad id quod de sacrificiis veteris Testamenti legitur, quæ dicebantur *sanctificare*, *consecrare*, *purificare*. 3. Petrum et Johannem in suis scriptis non adhibuisse vocabulum *justificationis*, sed alias voces usurpasse.

Joh. iii. 18. *Qui non credit jam judicatus est.* Joh. v. 14. *Non venit in judicium.* 1 Joh. iii. 24. *Translati sumus à morte ad vitam.*

CAPUT II.

De Justificatione hominis innocentis.

I. PROUT homo potest considerari sub triplici respectu, vel ut *innocens* et *justus*, vel ut *peccator*, sed *pœnitens* et *credens*, vel ut *regenitus* et sanctati incumbens; ita etiam *triplicem justificationem* possumus distinguere; justificationem hominis *innocentis*, justificationem hominis *peccatoris pœnitentis et credentis*, justificationem hominis *regeniti*: de *primâ* verbum dicamus, quamquam de hac hîc non agatur.

II. Dicimus autem quòd primus homo, si in innocentiâ permansisset, justificatus fuisset adimplendo legem naturalem, quam ipsius cordi impresserat Deus, et alia præcepta, quæ Deus ipsi præscribere poterat, diligendo perfectè Deum suum et proximum. Nam si hæc mandata præstitisset, declaratus fuisset justus, et jus sibi peperisset ad gloriam, non quidem quasi eam propriè meruisset, nihil enim mereri potest creatura à Creatore, sed ex liberali pacto quo Deus istâ mercede eum remuneraturus fuisset. Non est dissimulandum tamen non ita accuratè vocem *justificationis* hoc in loco usurpari, nam ubi nullum crimen, nulla accusatio, *justificatio* propriè locum non habet.

III. Diversissimus est modus, quo homo justificatus fuisset in primo fœdere, et modus quo justificatur in fœdere evangelico, et discrimen est inter conditiones quas Deus in utroque fœdere exigit, et inter fundamentum propter quod justificatur in utroque homo. *Modus* quo Deus justificasset hominem innocentem, fuisset declaratio sanctitatis et justitiæ hominis; unde justificatio illa definiri potuisset; *Actio Dei judicis, quâ hominem perfectè sanctum vitâ donat æternâ et gloriâ.* *Modus* quo Deus justificat in fœdere evangelico, ut videbimus, est *remittendo peccata; conditio* requisita in primo homine fuit perfecta *sanctitas*, at *conditio* sub quâ justificatur homo evangelico fœdere est *fides;* fundamentum justificationis primæ fuisset *dignitas bonorum operum*, quamvis, ut dixi, propriè tamen mereri dici non potuisset; fundamentum justificationis evangelicæ est *mors* et *satisfactio* Christi.

CAPUT III.

De Justificatione hominis peccatoris.

I. QUOAD *justificationem* hominis *peccatoris*, dicimus esse, *Actum judicialem Dei ut summi Magistratus misericordis, qui nobis pœnitentibus remittit peccata, et jus dat ad vitam æternam ob satisfactionem et obedientiam Christi nobis à Deo imputatam et apprehensam per fidem, hanc conditionem nobis imponendo, præstandi in posterum bona opera, et perseverandi in fide ac in virtutum Christianarum praxi.* Hæc omnia sigillatim sunt expendenda. Ac 1. dicimus esse *actum judicialem*, quod probatur ex eo quòd diximus vocem *justificandi* sumi sensu forensi. 2. Dicimus esse *actum Dei*, et actum *Dei solius;* solus enim Deus potest remittere peccata, solus scrutatur corda, solus dare potest jus ad vitam, et liberare à pœnâ æternâ, solus est legislator qui *potest salvare et perdere*, Jac. iv. 12. Equidem remissio peccatorum tribuitur etiam, tum *pastoribus*, sed ideò tantùm, quia declarant sententiam Dei judicis; tum *sacramentis*, sed quia sunt sigilla remissionis à Deo concessæ. 3. Dicimus esse actum Dei *summi Magistratus* et *Judicis*, non tantùm ut *Personæ læsæ*, non modò ut *Legislatoris*, sed ut *Judicis*, qui debet tueri leges sartas tectasque, et qui solus potest dispensare à legum suarum rigore. 4. Actum Dei judicis *misericordis*, quia agitur ibi de peccatoribus et miseris, quales sunt omnes homines naturâ, Rom. iii. 9, 18, qui naturâ sunt sub maledictione legis, quos perdere igitur posset Deus ut judex, si ex rigore ageret, sed quos salvat, ut Judex placatus et misericors Pater. 5. Notamus *duas* habere partes *justificationem* nostram quarum altera consistit in *remissione peccatorum;* altera in *jure* quod Deus nobis concedit ad vitam æternam: hæc duo enim jungit Scriptura, Gal. iv. 4, 5. *Christus factus est ὑπὸ νόμον ut liberaret eos qui erant sub lege*, scilicet quoad maledictionem, et *ut adoptionem acciperemus*, id est jus ad vitam, quod ex adoptione fluit. Ita Paulus Act. xxvi. 18. dicit nos *per fidem accipere remissionem peccatorum et sortem inter sanctificatos*, id est, jus ad vitam æternam. Hæc duo beneficia conjuncta sunt; quamvis enim ex naturâ rei possent separari, ita ut creatura posset impetrare remissionem peccatorum suorum, nec tamen gloriâ æternâ coronari, hæc duo tamen inseparabili nexu inter se conjuncta sunt in fœdere gratiæ.

Primum beneficium variis phrasibus exprimitur, 1. Per *remissionem* peccatorum, allusione ad id quod ut *debita*, nobis repræsentantur peccata. 2. Per *veniam*, allusione ad veniam quam concedit judex reo. 3. Per *purgationem*, *Sanguis Christi nos purgat ab omni peccato*, 1 Joh. i. 7. allusione ad id quod peccatum ad instar sordis repræsentatur, et ad sanguinem sacrificii propitiatorii. 4. Per *deletionem*, quæ vox dat ideam libri, in quo justitia divina scribit omnes transgressiones nostras, ut eas puniat. 5. Per *tegere peccata*, *tegere* enim peccata dicitur Deus, velo scilicet suæ misericordiæ, ne justitia divina peccatum conspiciat. 6. Per *non imputationem*, allusione ad supputationes mercatorum. 7. Per *reconciliationem*, quæ vox designat inimicitiam præcessisse. 8. Per *liberationem*, quæ supponit servitutem antecedentem. 9. Per *dealbationem* Is. i. 18. allusivè, si quibusdam credamus, ad id quod cernebatur in *hirco hazazel*, qui ducebatur in desertum, cum funiculo rubri coloris, sed qui inter eundum miracalosè colorem album induebat, si Deus peccata populi condonaret; sin minus, ruber manebat.

Secundum beneficium variis etiam vocibus exprimitur, et imprimis voce *adoptionis*, de quâ sigillatim agemus infra.

II. Fundamentum utriusque beneficii, non est propria *justitia inhærens* peccatorum, aut *bona opera*. 1. Quia *justificatio* nostra juxta Paulum et juxta Davidem, Ps. cxliii. 2. Rom. iii. 20. et 28. et iv. 6. Gal ii. 16. fit sine operibus, *Colligimus hominem justificari fide sine operibus legis; ex operibus legis nulla caro justificabitur.* Non tantùm sine operibus legis ante gratiam factis, quæ sunt peccata, sed post gratiam acceptam præstitis. 2. Quia si aliquis justificatus fuisset per opera, Abrahamus et David sanè ita fuissent justificati; at juxta Paulum non ita fuerunt justificati, Rom. iv. 3. Quia *justificatio* nostra fit *gratis gratiâ Dei per redemtionem Christi*, Rom. iii. 14. Ergo non per opera. 4. Quia si fundamentum justificationis nostræ esset justitia inhærens, aut bona opera, confunderentur duo fœdera: quæ tamen ex diametro opponuntur, et Paulus clarè docet Phil. iii. 9. se velle *inveniri in Christo habentem, non suam justitiam quæ est ex lege, sed eam quæ est per fidem J. Christi.* 5. Quia justitia imperfecta, qualis est hominum et multis vitiis contaminata, non potest esse fundamentum justificationis nostræ. At talis est justitia nostra inhærens; justitiæ sunt *sicut pannus menstruatus*, Is. lxiv. 6. *Si innitaris tibi*, ipso Papa Hadriano VI. Judice, *baculus sunt arundineus, qui confringetur, et*

manus perforabit innitentis. 6. Quia justitia hominis non potest mereri remissionem peccatorum: cui enim remittitur, recipit contrarium hujus rei quam meruit.

III. Eximiè *Calvinus* noster lib. iii. instit. cap. 12. Facile est, *inquit*, in scholarum umbraculis de operum dignitate ad justificandos homines nugari: sed ubi in conspectum Dei ventum est, facessant tales deliciæ oportet, quia res illic agitur seriò, non ludicra λογομαχία exercetur; huc referenda mens est, si volumus de verâ justitiâ cum fructu inquirere, quomodo cœlesti Judici respondeamus, quum nos ad rationem vocaverit. Statuamus (pergit) nobis judicem illum, non qualem intellectus nostri sponte imaginantur, sed qui depingitur nobis in Scriptura, cujus scilicet fulgore obtenebrantur stellæ, cujus robore liquefiunt montes, cujus irâ terra concutitur, cujus sapientiâ deprehendantur in astutiâ prudentes, cujus puritate inquinantur omnia, cujus ferendæ justitiæ nec angeli pares sunt, qui nocentem non facit innocentem, cujus vindicta quum semel accensa est, penetrat usque ad inferni novissima, sedeat, inquam, ille ad examinanda hominum facta, quis securus ad ejus thronum se sistet, quis habitabit cum igne devorante, quis manebit cum ardoribus æternis &c. Facile quidem est, dum in hominibus subsistit comparatio, ut se quisque habere reputet, quod alii contemnere non debeant, sed ubi ad Deum assurgimus, corruit dicto citius, ac deperit fiducia illa; atque id prorsus animæ nostræ erga Deum usu venit, quod erga visibile cœlum corpori, acies enim oculi quantisper rebus adjacentibus perlustrandis insistit, perspicaciæ suæ documenta capit, si in solem dirigitur, nimio ejus fulgore perstricta et obstupefacta, non minorem ex ejus intuitu debilitatem sentit, quàm in rerum inferiorum aspectu robur. Hactenus *Calvinus*, qui in omnibus excellit.

IV. Fundamentum itaque et causa meritoria justificationis nostræ est alia justitia quàm nostra, *justitia*, scilicet, *Christi imputata* à Patre. Ut hoc demonstretur, observandum est, 1. Quod diximus, justificationem nostram esse actum Dei judicis, quamvis ille judex sedeat in throno gratiæ. 2. Agere Deum ex misericordiâ, illæsâ tamen justitiâ. 3. Neminem posse justificari sine perfecta justitia. 4. Perfectam justitiam non posse reperiri in nobis. 5. Posse tantùm inveniri in Deo, ac proinde in Christo, qui vadis nostri in se recepto munere, plenissimè justitiæ Dei satisfecit, et justitiam sæculorum adduxit, ac duplici vinculo nobiscum uniri voluit, *communione naturæ, et communione*

Spiritus, ut scilicet sua justitia posset nobis imputari. Nec vox imputandi turbare nos debet; vocabulum enim hoc hausimus à Paulo, Roman. iv.

V. Hanc justitiam Christi, id est, totam obedientiam, quam Christus legi præstitit (non ejus justitiam divinam, quæ peccatoribus dari nequit) esse fundamentum nostræ justificationis, probatur, 1 Ex Paulo, Roman. 18, 19. ubi dicitur δι' ἑνὸς δικαιώματος *per unam justitiam in omnes homines ad justificationem vitæ redundasse beneficium, et per unius obedientiam justos constitui multos.* 2. Idem evincitur ex Rom. v. 9. ubi dicimur nos *justificari morte et sanguine Christi*, et 2 Cor v. 21. *Christum factum esse peccatum pro nobis ut essemus justitia in ipso*, asserit Paulus. Eodem enim modo sumus justitia in Christo, ac factus est peccatum pro nobis. At factus est peccatum, in eo quod ipsi imputata sunt peccata nostra, ergo pariter facti sumus justitia in eo, quatenus ejus justitia nobis imputata est. Hîc non pigebit referre verba *Lutheri*, Tom. 1. Epist. ad Eremitam quendam, quem jubet dicere Christo; *Tu, Domine Jesu, es justitia mea, ego sum peccatum tuum: tu assumsisti meum, et dedisti mihi tuum: assumsisti quod non eras, et dedisti mihi quod non eram*, et alibi refert hanc fidelis animæ ad Christum vocem; *Ego sum tuum peccatum, tu mea justitia: triumpho igitur securus, quia nec meum peccatum obruet tuam justitiam, nec tua justitia sinet me esse aut manere peccatorem.* 3. Quia sola justitia Christi potuit placare iram Dei, ac nobis impetrare remissionem peccatorum. 4. Ex Act. xxiii. 38. *Per hunc*, ait Paulus, *remissio peccatorum vobis annuntiatur, et ab omnibus iis à quibus non potuistis justificari in lege Mosis, in hunc omnis qui credit, justificatur.* Ideo dicitur Christus *Jehova justitia nostra*, Jer. xxiii. 6.

VI. Verùm hic notandum, nos quando dicimus justitiam Christi nobis imputari, nihil aliud velle, nisi Deum nos tractare eodem modo, ac si obedientia Christi, Deo nomine nostro præstita, nostra esset; quod magis mirum videri non debet, quàm quum legimus Christum eodem modo tractatum à Patre, ac si peccata perpetrasset, quæ à nobis commissa sunt; aut quum audimus inter homines debitorem propter solutionem à sponsore præstitam, liberum et solutum dici, qui ære alieno in se erat constrictus. Neque imputando nobis justitiam Christi aliter judicat Deus, quàm res est: non enim judicat nos ipsos in propriâ personâ implevisse, quod ejus lex exigebat; hoc enim verum non est, sed Christum pro nobis hoc implevisse.

VII. Hæc Christi obedientia nobis impetravit perfectam remissionem peccatorum, et perfectam liberationem ab omni pœna, unde Deus dicitur *projicere post tergum peccata, non imputare, delere, non recordari*, quod non diceretur, si eorum pœnam adhuc exigeret; et hinc fit ut justificatos pacem habere apud Deum dicatur, et pro illis nullam esse condemnationem, quod non diceretur, si adhuc aliqua pœna esset persolvenda.

VIII. Equidem non diffitemur variis afflictionibus exponi sæpe fideles, quæ naturâ suâ veræ sunt peccati pœnæ, juxta legis comminationem, sed propter gratuitam reconciliationem cum Deo in Christo desinunt esse pœnæ, sunt tantum castigationes paternæ, probationes aut testificationes de veritate doctrinæ; unde cum beneficiis Dei accensentur, et cum gaudio conjunctæ sunt, ac de iis gloriari licet? Non possunt itaque vocari *pœnæ*, nisi quia naturâ suâ per se sunt *pœnæ peccati*, et quia tendunt ad destructionem carnis; sed non debent vocari *pœnæ* propriè, nec enim ex irâ Dei infliguntur ad ultionem peccati et peccatoris exitium. Hîc non inutile erit referre exemplar formulæ consolatoriæ, quæ Anselmo Archiepiscopo Cantuariensi tribuitur; circa A. 1093. In hac, eximia legitur justificationis nostræ per merita Christi expositio. *Annon credis te non potuisse servari nisi per mortem Domini nostri?* Affirmat æger, *ergo lauda Deum, et gratias illi age toto tempore, quo vivis, et anima in te est, et colloca omnem fiduciam et spem et amorem tuum in ipso, et in nullis aliis rebus, et commenda te ipsum passioni et morti Domini nostri Jesu Christi, &c. Et si te judicare velit supremus judex, tum sic loquere, Domine, mortem Christi interpono inter me et tuum judicium, et nullum aliud opus mihi arrogo; Et si tum dicat Dominus, meritus es condemnationem, tum dic, Domine, tuam misericordiam, et tuam acerbam mortem interjungo inter te et me.*

IX. Hæc justificatio dicitur fieri per fidem, loca sunt expressa, Rom. iii. 24, 25. Gal. ii. 16. sed hîc varia sunt notanda. 1. Fidem nos non *justificare* propriè et per se, quasi actus credendi reputetur pro justitiâ nostrâ apud Deum, per gratuitam *acceptilationem*, quia non justificamur, nisi per justitiam perfectam; siquidem res nobis est cum exactâ justitiâ: at fides nulla est hîc perfecta. 2. Quia justificatio nostra tribuitur peculiariter et gratiæ Dei et redemptioni nostræ Rom. iii. 24. 2 Fidei tribuitur justificatio duabus de causis; non modò, quia est *conditio fœ-*

deris, sine quâ Deus non vult nobis remittere peccata et eum quâ promisit se condonaturum peccata. Non dissimulandum enim multis displicere nos dici justificari per fidem, ut conditionem fœderis; observant quippe viri docti, conditionem *justificationis* nullam, si accuratè velimus loqui, assignari debere nisi perfectam obedientiam; hanc legem exigere; neque aliam substituere evangelium, sed docere legi satisfactum esse per sponsorem Christum. Verùm ideo tribuitur justificatio *fidei*. (1.) Quia per illam adhæremus Christo, cujus sola justitia est fundamentum nostræ justificationis. (2.) Quia per illam nobis applicamus ejus justitiam, et per illam solam persuademur de benevolentiâ Dei.

X. Non abs re autem fidei hoc præ cæteris tribuitur, quia sola ex omnibus virtutibus potest subsistere cum gratiâ, utpote quæsita est in mera receptione et apprehensione objecti extra se positi, et quia, ut ait *Toletus Pontificius*, in fide magis manifestatur, hominem non propria virtute, sed Christi merito justificari; sola gloriationem excludit. Atque est hæc vera ratio, quod nullibi dicat Paulus nos justificari per opera.

XI. Quamvis fides *opus* sit, utpote actus mentis, tamen in hac materia justificationis distinguitur ab operibus, quia fides recipit tantùm, nihil dat, at opera dant, non recipiunt, fides enim est persuasio de benevolentiâ Dei in Christo fundata. Hoc simili illustrabitur, quod dicimus; extensio manus mendici, quâ eleemosynam acceptat, est actus et opus mendici, non tamen quâ opus mendicum ditat, sed quatenus hoc modo donum sibi applicat et suum facit. Nec Paulus, quum dixit hominem non justificari operibus, voluit hominem justificari operibus evangelicis, non legalibus. 1. Enim nullibi apostolus opponit opera evangelica legalibus, sed opera fidei; omnia opera excludit. 2. Excluduntur à justificatione opera Abrahami et Davidis, quæ erant opera evangelica.

XII. Non omittendum, fidem illam, quæ nos justificat, non esse veram et vivam fidem, nisi conjungatur cum pœnitentia, spe, charitate et aliis virtutibus. Non omittendum etiam, Deum nunquam homini remittere peccata, nisi homo credens pœnitentiâ ducatur peccatorum suorum, et ad meliorem frugem redire firmiter statuat, ac bona opera præstare; sed simul imponit hanc conditionem bona opera præstandi, nec enim remittit, ut liberè in posterum peccemus, Absit! Sic ergo duo sunt genera rerum, sine quibus nulla est justificatio, alia supponitur, et hæc est fides, cum

firmo hoc statuto bona opera præstandi; alia imponitur, et hæc sunt bona opera, hoc illustrari potest exemplo fingamus hominem qui adoptet extraneum pro filio, et qui per hunc actum adoptionis det jus ad hæreditatem, hæc adoptio non potest fieri, quin supponatur in adoptando aliquid, et quin aliud ipsi imponatur; quod supponitur est quod adoptandus velit servire adoptanti, at imponitur ut serviat actu.

XIII. Effecta justificationis sunt *pax* conscientiæ, quæ mutua est inter Deum et peccatorem fide justificatum concordia, ac ejus amoris sensus, *spes* gloriæ, et *gloriatio* in afflictionibus, Rom. v. 1, 2, 3, 4. &c.

CAPUT IV.

An justificatio sit facta ab æterno, an in tempore?

I. JUSTIFICATIONEM ab æterno decretam fuisse nemo negat, sed justificationem ipsam fieri in tempore probamus, 1. Ex Paulo Roman. viii. 30. *Quos vocavit, justificavit;* si enim vocatio præcedat justificationem, justificatio debet fieri in tempore; at &c. 2. Ex eo quod justificamur per fidem; at fides est in tempore, nec Deus remittere peccata dicitur, nisi credenti et pœnitenti.

II. Fit itaque in tempore, in momento vocationis efficacis, per quam homo peccator transfertur à statu peccati ad statum gratiæ, et unitur Christo per fidem, tunc enim jus habet ad vitam æternam fidelis, hinc de multis dicitur eos justificatos fuisse, de *Abrahamo*, Gen. xv. 6. *Davide*, Ps. xxxii. 1, 2. Rom. iv. 5, 6. *Peccatrice*, Luc. vii. 48. *Publicano*, Luc. xviii. 14. imò jam dicuntur fideles justificati pace conscientiæ frui, Rom. v. 1. Sanè ii quibus imputatur justitia Christi justificantur eo momento quo Christi justitia iis imputatur; at omnibus fidelibus justitiam Christi imputari certum est.

III. Intimatur hæc justificatio conscientiæ fidelium, ita ut fidelis sentiat se justificatum, et dicat cum vate, *Tu abstulisti iniquitatem peccati*, Ps. xxxii. 5. Obsignatur, cum fidelis moritur, tunc enim solennius Deus animæ se coram eo sistenti pronuntiat, peccata esse remissa. *Post mortem* enim *judicium*, Heb. ix. 27. At declaratio publica justificationis nostræ fiet in ultimâ die, quum Christus ultimum in throno gratiæ actum judicii solemnem exercebit, et fidelibus gloriam concedet; ad quam jus dedit eos

justificando in terris. Statim igitur ac recipimur in communionem Christi, tum reatus omnium peccatorum præcedentium tollitur, simulque Deus nobis pollicetur suam gratiam.

IV. Hîc disquiritur, an remissio peccatorum extendatur ad peccata futura. Quidam Theologi crediderunt, quia ex quo ingressi sumus in communionem Christi, nullum est peccatum, cujus remissionem non obtineamus; sed præstat dicere peccatorum remissionem non extendi ad futura; 1. Quia, quamdiu peccatum non est, pœna ei non debetur, et cùm non debetur, non potest remitti. 2. Quia ad remissionem peccati requiritur confessio, et pœnitentia, quæ supponit commissum peccatum unde jubemur quotidiè petere remissionem peccatorum, quæ sit applicanda peccatis commissis. Quando fidelis cadit in peccata, remissio semel collata non abrogatur; nec peccata ejus dimissa iterum reviviscunt, sed in paternam indignationem incurrit, et novâ remissione illorum peccatorum eget.

V. Hæc justificatio una est, seu æqualis in omnibus fidelibus, tum veteris tum novi Testamenti. *Deus unus est*, inquit Paulus, Rom. iii. 30. *qui justificat circumcisionem ex fide et præputium per fidem*, fusè id probat Paulus, tum Roman. iv. tum Heb. xi. hinc Petrus dicit Act. x. 43. *Christo testimonium dare omnes Prophetas, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus, quemvis qui crediderit in ipsum.* Non dissimulandum tamen discrimen fuisse inter justificationem veterum et nostram quoad gradus et sensum. De justificatione certus est fidelis, ex quo certus est de fide suâ, de quâ certitudine diximus.

CAPUT V.

De Adoptione.

I. ALTERA pars justificationis est *Adoptio*, sive juris ad vitam collatio, quæ fluit ex imputatione justitiæ Christi, *ideò enim factus sub lege, ut nos liberaret à servitute legis et adoptionem*, id est jus filiorum, *nobis conferret*, Gal. iv. 4, 5. ex quo pendet jus ad vitam, *si enim filii, ergo hæredes.*

II. Adoptio sumitur, modò pro externâ assumtione in fœdus, ut Rom. ix. 4. dicitur Judæis contigisse *adoptio*. Unde Israëlitæ dicuntur filii Dei, Deut. xxxii. 10, 11. et primogeniti, Exod. iv. 22. modò pro *adoptionis usu et emancipatione*, qualis competit fidelibus novi Testamenti

qui, quia adulti facti sunt, nec amplius minorennes, dicuntur Spiritum adoptionis accepisse, Gal. iv. 5, 6. modò pro *adoptionis manifestatione plenâ*, quæ in resurrectione futura est; ita sumitur Rom. viii. 23. modò pro *actione Dei*, quâ ex merâ gratiâ per fidem in Christum electos in familiam suam admittit, et nomen ac jus filiorum ipsis largitur ad hæreditatem consequendam.

III. Hîc varia sunt notanda. 1. Adoptionem apud jurisconsultos esse actum legitimum imitantem naturam, repertum ad illorum solatium, qui liberos non habent; hæc adoptio fiebat apud Romanos hoc modo; Pater et adoptandus se sistebant coram prætore, et ibi pater dicebat adoptando, visne esse filius meus? Respondebat adoptandus, *Volo*. 2. In multis convenire *adoptionem divinam* et *humanam*. Convenit in hoc, (1.) Quòd utraque est actus gratiosæ voluntatis. (2.) In utrâque extraneus recipitur in familiam. (3.) In utrâque communicatur nomen familiæ, et jus datur ad hæreditatem. (4.) Utraque adoptio ex duobus actibus resultat, quorum alter in adoptione divinâ est voluntatis Dei, alter est voluntatis nostræ, dicit Deus in evangelio, Visne esse filius meus, et per fidem respondemus, *Volo*.

IV. Maximum tamen est discrimen inter *adoptionem humanam* et *divinam:* illa inventa est ad solatium orbitatis, et ad naturæ supplendum defectum, hæc fit ad solatium nostræ, non Dei, qui Filium habebat dilectum. Illa ordinatur ad successionem in bona patris defuncti, sed ista tantùm ad participationem bonorum Patris æternùm viventis: illa potest nomen, titulos, et insignia filiorum concedere, sed non animum, et qualitates; at in ista Deus adoptando cor mutat: illa supponit bonos, non facit; ista non supponit, sed facit.

V. Per hanc adoptionem, 1. Nos habemus Deum pro Patre, et sumus ejus filii; non naturâ ut *Christus;* non ut *angeli*, qui filii Dei dicuntur, tum quia eos Deus creavit, tum quia imaginem suæ sanctitatis iis impressit, tum aliis de causis, Job i. 6. xxxviii. 7. non ut *Adamus*, qui filius Dei vocatur, Luc. iii. 38. quamvis aliter iste locus explicari possit: sed dicuntur filii Dei per gratiam, et quia ab eo novam acceperunt naturam. Dignitas hujus filiationis patet, (1.) Ex nobilitate adoptantis, (2.) Ex divinâ naturâ, cujus sunt participes, docente Petro, 2 Pet. i. 4. (3.) Ex eorum conjunctione, imò connubio cum Christo. (4.) Ex hæreditate promissa. 2. Per hanc habemus aditum liberum ad Deum, cognitionem ejus arcanorum, ac de protectione Dei,

de ejus amore et cura sumus securi. 3. Jus habemus ad bona gratiæ et gloriæ, et ad hæreditatem cœlestem, quæ sanguine Christi parta est, Heb. ix. 15. 4. Simulque cultum et obsequium filiale, amorem, et reverentiam illi spondemus 2 Cor. vi. 18. Mal. i. 6.

VI. Hoc privilegium commune fuit omnibus fidelibus veteris Testamenti et novi, sed cum hoc discrimine, quod fideles veteris Testamenti sub pædagogis habiti, quamvis filii essent, non differebant tamen à servis, nec usum plenum juris sui habebant, Spiritu servitutis animati; Deus iis se abdere videbatur, Is. xlv. 15. nec iis licebat ad sanctum sanctorum accedere. Filii dicebantur, Jer. xxxi. 20. at filii minorennes sub tutoribus. Sed fideles novi Testamenti adulti et emancipati per Christum admittuntur ad sacrarium Patris, et confidentes clamant per Spiritum adoptionis *Abba Pater*. De qua voce *Abba* hæc tria notare juvabit. 1. Observasse doctos vocem אב denotare quidem patrem naturalem, sed simul patrem civilem, seniorem, dominum, magistratum, verùm *Abba* patrem solùm naturalem. 2. Apud Judæos nulli nisi libero ista compellatione *Abba* vel *Imma* uti licuisse. 3. Istam vocem ad Græcos manasse, unde apud Callimachum ἄττα vocat Diana Iovem, et *abare* apud Ausonium pro ἀδελφίζειν sumitur, *blandè compellare, ut fratrem frater solet.*

CAPUT VI.

De Libertate Christiana.

I. ADOPTIONIS comes est *libertas Christiana*, quæ non est concipienda, ut immunitas ab omnibus legibus divinis et humanis, et licentia vivendi, pro arbitrio ac concupiscentiis carnis indulgendi, nec etiam est exemptio à magistratuum jurisdictione, sed ut spiritualis ac mystica manumissio, quâ à tyrannide peccati, execratione legis, Leviticarum cæremoniarum jugo et servitute asserimur, ac per Spiritum Sanctum renovati sponte et alacriter Deo servimus, Gal. iii. 13 iv. 9. et v. 1, 2. Ephes. iii. 15. Col. ii. 14, 16.

II. Sed hîc observa, quandam *libertatem* esse communem fidelibus novi Testamenti et fidelibus veteris. Utrique enim fuerunt liberi à tyrannide peccati, et à maledictione legis, sed aliam esse peculiarem fidelibus novi Testamenti, nempè

1. *Libertatem* à Leviticarum cæremoniarum jugo, et servitute elementorum mundi. 2. *Libertatem* à legibus forensibus Israëlitarum, quæ huic genti particulares erant.

III Ad libertatem Christianam pertinet *libertas conscientiæ*, per quam conscientia unius Dei imperio subjacet, ita ut nulla auctoritate possint adigi fideles ad ullos actus contrarios illi dictamini, et nullæ hominum leges directè et immediatè conscientiam obligent, etsi indirectè et propter Dei legem illis sit obnoxia.

IV Ad eandem pertinet usus liber rerum indifferentium, quem usum duplici lege coërcet Scriptura, 1. Ut sis persuasus te non male agere, quum uteris iis rebus indifferentibus; *quicquid enim ex fide non est, peccatum est*, Rom. xiv. 23. Ut spectes non solùm quid licet, sed quid expediat, *omnia mihi licent, at non omnia conducunt*, 1. Cor. vi. 12. x. 23. legendum totum caput, Rom. xiv. *ne abutaris libertate ad scandalum* &c.

V. Ut *Scandalum* admittere non debet pius, nec præposterè offendi; ita cavendum ut abstineamus ab omni scandalo dando vel doctrinâ vel factis. Infirmorum imprimis habenda ratio, nec temerè indifferentibus abuti oportet, si judicas aliquos sinistram de tuâ pietate opinionem concepturos, aut ad religionem deserendam impulsum iri tuis actionibus. Sed per infirmos minimè intelligimus obstinatos in errore; et qui libertati nostræ vellent insidiari, Gal. ii. 3, 4, 11, 12. At fratres qui nondum sufficienter edocti sunt de libertate *Christianâ*, ut multi Judæi recens ad fidem conversi, quorum *ideo* habita est ratio in Synodo Hierosolymitanâ Act. xv. 28. At de scandalo fusiùs in Ethicâ nostrâ.

VI. Hoc caput claudo eximiis *Calvini* nostri verbis Instit. lib. III. c. 19. 9. Est autem diligenter observandum Christianam libertatem omnibus suis partibus rem spiritualem esse, cujus tota vis in formidolosis conscientiis coram Deo pacificandis posita sit, sive de peccatorum remissione inquietæ sint, ac solicitæ, sive anxiæ sint utrùm opera imperfecta, et vitiis carnis nostræ inquinata Deo placeant, sive de rerum indifferentium usu torqueantur. Quare perversè interpretantur, vel qui suis cupiditatibus ipsam prætexunt, ut Dei donis abutantur in suam libidinem, vel qui nullam esse putant, nisi coram hominibus usurpatam; ideòque in ea utenda nullam infirmorum fratrum rationem habent. Primo genere majorem in modum hoc seculo peccatur. Nullus fere est, cui sumptuoso esse per facultates liceat, quem non delectet in cænarum apparatu, in

cultu corporis, in extruendis domibus luxuriosus splendor, qui non omni lautitiarum genere inter alios eminere velit, qui non sibi in suo nitore mirificé blandiatur. Et hæc omnia sub Christianæ libertatis prætextu defenduntur. Aiunt res esse indifferentes. Fateor, modò quis iis indifferenter utatur; cæterùm ubi nimis cupidè appetuntur, ubi luxuriosè effunduntur, quæ per se licita alioqui erant, his vitiis fœdari certum est. Hactenus *Calvinus*.

CAPUT VII.

De Justificatione hominis justi.

I. De *justificatione* hominis *peccatoris* diximus, jam de justificatione hominis *justi* dicendum, quâ scilicet justus probat, se justificatum esse, et habere veram fidem, per quam justificatus est.

II. Hæc justificatio fit per opera, nec tantùm est coram hominibus, sed coram Deo, et de hâc loquitur Jacobus cap. ii. 24. dum ait *hominem non justificari tantùm per fidem, sed per opera*.

III. Ut hoc illustretur, observandum est duplicem esse hominis accusationem, 1. Accusatur coram tribunali Dei de peccati sui reatu, et huic accusationi occurrit *justificatio illa*, de quâ locuti sumus. 2. Accusari potest peccator ita justificatus hypocriseos, simulationis, et cordis non regeniti; se ab hâc accusatione liberat, et justificat fidem per opera, et hæc est secunda justificatio: differt a primâ, quod in primâ absolvitur peccator à reatu; in hâc discernitur pius ab impio. In primâ Deus imputat justitiam Christi; in secundâ judicium fert de collato nobis regenerationis dono: utramque obtinet fidelis, sic verum est *non ex fide sola, sed ex operibus justificari*.

IV. Ex hisce facile conciliatur Jacobus cum Paulo, et id patebit, si attendatur, 1. Rem esse Paulo cum justitiariis, qui justificari volebant per fœdus legale, et justitiam quærebant in operibus, Jacobo verò adversus Epicureos, qui sola professione contenti opera non curabant; non mirum itaque si Paulus fidem, Jacobus opera urgeat. 2. Paulum de fide vivâ et efficaci loqui, at fidem carentem operibus jactasse Epicureos, contra quos scribit Jacobus; et adversus quos asserit, sicut corpus absque πνεύματι, id est sine respiratione, ita et fidem sine operibus mortuam. 3. Paulum

agere de justificatione impii et peccatoris, Jacobum de illa justificatione, quâ homo justificat fidem suam et se justificatum esse probat. Scopus enim Apostoli est demonstrare, non satis esse homini Christiano gloriari de remissione peccatorum, quæ revera per solam, sed vivam in Christum fidem obtinetur, at præterea ipsi incumbendum esse, ut agnoscatur verè regenitus, fidelis, et justus ex operibus suis, ac ita se gerat qualem decet regenitum et ex fide justificatum. Hinc patet Abrahamum rectè dici justificatum, quum Isaacum obtulit, quia tunc scilicet veram fidem se habere probavit, et justificavit se hypocriseos, cujus accusari poterat. Hoc modo potest explicari locus, Apocal. xxii. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc*, id est, ostendat per opera, se justum esse ac justificatum, quamvis posset quoque aliter exponi et aliter legi, prout est in MSS. nonnullis, δικαιοσύνην ποιησάτω, *justitiam faciat.*

V. Quum dicit autem Jacobus *fidem per opera consummatam fuisse*, hoc intelligi debet ratione efficaciæ fidei, quæ se exeruit per opera, et se perfectam esse demonstravit, ut virtus dicitur *perfici in infirmitate*, id est perfecta, cognosci et declarari. Rursus quum additur, *quod ita impleta sit Scriptura dicens, credidit Abraham Deo, et imputatum ei ad justitiam*, sensus est, tunc illicò constitisse ipsum ante justificatum fuisse ex fide.

VI. Verbum addam de justificatione causæ, de quâ toties in Psalmis *Davidis*, sic *Jobi* causa defensa est contra diaboli et amicorum criminationes; sic Paulus de se agit, 1 Cor. iv. 3, 4. *Mihi pro minimo est, quod à vobis judicer, aut ab humana die, sed neque me ipsum judico, nullius nempe mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum.*

VII. Huc referimus justificationem Phineæ, de quo legitur, *factum ejus imputatum ad justitiam*, Ps. cvi. 30, 31. Num. xxv. 12, 13. Id est judicatum eum ritè fecisse, quamvis multa videbantur improbanda in ejus facto; nam 1. non conveniebat sacerdoti, qualis erat *Phineas*, humano sanguine suas polluere manus, longè minùs quàm cadaver tetigisse. 2. Non erat ex judicibus Israëlis, quibus de sontibus vindictam sumere licebat, Num. xxv. 5. 3. Nec servatus erat ab eo legitimi judicii ordo.

VIII. Doctrina de justificatione admodum illustrat gloriam Dei, ejus immensam bonitatem, severam justitiam, admirandam sapientiam; peccatorem deprimit, omnem gloriandi causam adimit, animam afflictam, quam crimina, Diaboli accusatio et legis fulmina terrent, solatur, pietatemque plurimum promovet.

CHRISTIANÆ THEOLOGIÆ

LIBER UNDECIMUS.

De Sanctificatione.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Sanctificatio et de connexione Justificationis cum Sanctificatione?

I. VOX *Sanctificationis*, sumitur modò pro separatione ab usu communi, et ad usum sacrum consecratione: ita personæ cultui divino destinatæ dicebantur *sanctæ;* templum, vasa, aliaque instrumenta cultus divini, vocabantur *sancta;* urbs Jerusalem dicitur *sancta;* Deus dicitur sanctificasse diem sabbathi: modò pro *sanctitate fœderali*, per externam vocationem, ut Israël dicitur *sanctitas Jehovæ*, Jer. ii. 3. modò pro tota hominis immutatione, quo sensu complectitur vocationem efficacem, sic Paulus in epist. ad Hebr. designat ipsos fideles per τοὺς ἁγιαζομένους: modò strictius pro *illa actione Dei*, quâ hominem per fidem jam Christo insitum et justificatum, ministerio verbi et efficaciâ Spiritus, magis ac magis à mundo separat, à nativâ corruptione liberat, et ad suam imaginem reformat.

II. Non est tantùm pravæ consuetudinis et vitæ mutatio, sed est totius naturæ peccato corruptæ renovatio, quâ pravæ qualitates et habitus abolentur, et boni infunduntur, ut homo á malis desistat et bonis studeat.

III. Sanctificat Deus, quum 1. Fidelium mentes, uberiorem iis sui cognitionem largiens, aperit, ut omnia, quæ ad majorem in promissis divinis confirmationem, et in pietate profectum ipsos excitare possunt, clarè ac evidenter percipiant, elucidando objecta obscura, removendo impedimenta, aliaque præstando. Hanc illuminationem precatur fidelibus Paulus, Ephes. i. 17, 18, 19. Col. i. 9, 10. Per eam illuminationem fit ut intellectus Dei veritates quales sunt, cernat, et multiplicem sapientiam admiretur. 2. Quum aver-

sionem ab omni malo producit, summum odium peccati ingenerat, et ardens studium boni; quum à creaturis ad Deum convertit, voluntatem Dei amore implet, ferocientium affectuum tumultus compescit, et ipsos silere jubet, cùm agitur de præstanda Dei voluntate. 3. Quum corpus quoque in ordinem cogit, et continet oculos, manus, linguam, aures, pedes, ne sint occasio mali. Per eam obliteratur imago veteris Adami, effingitur imago secundi, exuitur vetus homo novus induitur, receditur à malo, fit bonum; et hæc omnia vi Spiritus producuntur.

IV. A justificatione in pluribus differt hæc sanctificatio; distinguuntur expresse in Scriptura, 1 Cor. vi. 11. *justificati estis et sanctificati estis; justificatio* nos liberat à reatu peccati, sanctificatio à sordibus peccati; *justificatio* consistit in remissione peccatorum propter justitiam Christi imputatam, *sanctificatio* in renovatione mentis, et est quid inhærens; *justificatio* est perfecta, et omnibus qui justificantur ex æquo contingit, *sanctificatio* est duntaxat inchoata, et inæqualiter datur, paulatimque in singulis pro mensurâ doni Christi provehitur et augetur.

V. Verùm etsi distincta sint hæc beneficia, nunquam tamen separantur, unde sæpius uno eodemque vocabulo denotantur in Scriptura; *Apud Deum est propitiatio, sed ut timeatur*, Ps. cxxx. 4. ita Joh. i 29 *Agnus Dei* dicitur *tollere peccata mundi* tollit autem *auferendo pœnam* et *maculas abstergendo.* Deus hæc duo beneficia conjunxit in fœdere gratiæ, promittit se *propitium fore iniquitatibus* populi, et *inscripturum legem in cordibus*, Jerem. xxxi. 33, 34. Hebr viii. 10, 11, 12, et x. 16, 17.

VI. Nec patitur rei natura, rem aliter se habere; non fert enim justitia Dei, ut adoptet quosdam ex hominibus in filios, et jus ipsis ad vitam concedat, quin simul in iis imaginem suam insculpat, nulla enim est communio lucis cum tenebris, ac nemo sine sanctificatione visurus est faciem Dei, nec ullus ad sortem sanctorum in luce admittendus, nisi priùs idoneus reddatur ad eam sortem, Col. i. 12. Imò non in alium finem fœdus init Deus cum creatura, quàm ut ea sanctitati incumbat.

VII. Christus non modò nostra est *justitia* sed et *sanctificatio*, 1 Cor. i. 30. non modo *vas* noster qui pro nobis satisfecit, sed et *caput* quod suis influxibus nos sanctificat; *mors* ejus quæ propitiationem fecit peccatorum, ad sanctificationem innumera motiva suppeditat, dum fœditatem peccati, odium Dei erga peccatum, amorem Christi inenarra-

bilem, ac jus, quod in nos acquisivit morte sua, docet 2 Cor. v. 14, 15. Roman. xiv. 8, 9. 1 Cor. vi. 19, 20. 1 Pet. ii. 24. Tit. ii. 14.

VIII. *Evangelium*, quod nobis bonum nuntium remissionis peccatorum revelat, simul ad sanctitatem impellit, unde vocatur lex; vult *ut abnegata impietate et mundanis cupiditatibus, sapienter, juste et piè vivamus in presenti seculo*, Tit. ii. 11, 12.

IX. *Spiritus*, qui datur, est *Spiritus sanctitatis* æque ac *spiritus adoptionis; fides* quâ justificamur, corda purificat Act. xv. 9. et per charitatem est efficax. *Baptismus* qui administratur in remissionem peccatorum, vocatur *lavacrum regenerationis;* ac si in Cœnâ nobis exhibetur corpus Christi fractum, et sanguis effusus in remissionem peccatorum, Matth. xxvi. 28. ibidem corpus et sanguis exhibentur, ut alimenta vitæ spiritualis, quæ in sanctificatione consistit, 1 Cor. x. 16.

X. Non opus est repetere ea quæ diximus, dum de conversione egimus, nempe auctorem sanctificationis esse Spiritum Sanctum, qui tum per verbum, tum immediatè in nos agit, ut vidimus, tum per Sacramenta fidem nostram confirmat, tùm etiam aliquando castigationes adhibet.

XI. Hæc tria tantùm addam, 1. *Sanctificationem* quandoque proponi, ut beneficium Dei in homine, 1 Thess. v. 23. quandoque ut officium hominis erga Deum. 1 Pet. i. 15, 16. 1 Thess. iv. 3. 2 Cor. vii. 1. 2. Antequam homo sanctificetur, nihil eo tetrius, fœdiusque est; ejus *intellectus* est monstrum horrendum, ingens, cui lumen ademptum; ubi meræ tenebræ, cæcitas summa, quâ tamen delectatur, Joh. iii 19, 20. Job xxiv. 13; *voluntas* ad malum effusis ruit habenis; *affectus* merè perversi, qui circa terrestria turpiter insaniunt, et rejectis rationis habenis cæco pravoque impetu, quà datâ portâ ruunt; *caro* seu *corpus* peccati arx est, et ejus membra injustitiæ arma. 3. Sanctificatio per bonorum operum exercitium promovetur; de illis jam dicendum.

CAPUT II.

De Bonis operibus.

I. Ex sanctificatione profluunt bona opera, de quibus ut dicamus, videndum 1. Quid sit bonum opus, 2. An necessaria sint bona opera, 3. An mereant vitam æternam.

II. Ad bonum opus requiritur, 1. Ut fiat *juxta voluntatem Dei* in verbo revelatam, nam unica est fidei morumque regula, et peccatum est defectio à tali Dei voluntate. 2. Ut sit aliquid *positivum*, non nuda ab operando cessatio; aliàs qui dormit aut otiatur, quia ab operando cessat, bonum opus agere dicendus esset. Observandum tamen cessationem ab operando bonum esse posse opus, si conjunctum sibi habeat propositum aliquod bonum et positivum, aut si ab agendo abstineatur, quia actioni periculum evidens in peccatum cadendi adhæret. 3. Ut fiat cum fide, et cum firma persuasione rem esse Deo gratam, nam *quicquid sine fide fit, est peccatum*, Rom. xiv. 23. et *absque fide impossibile est Deo placere*, Heb. xi. 6. unde apostolus dicit, Tit. i. 15. *pollutis et infidelibus nihil esse purum.* Quicquid igitur fit adversus conscientiæ dictamen peccatum est; conscientia quidem non est actionum nostrarum lex suprema, sed subalterna est lex, cùm ergo quis agit reclamante conscientiâ, tunc peccat, quia id præstat, quod credit esse malum. 4. Ut ob bonum finem fiat, nempe ad gloriam Dei, 1 Cor. x. 31. aliàs mala sunt omnia, sic *eleemosyna, precatio, jejunium*, peccata habentur à Christo Matth. vi. quando fiunt cum intentione gloriam ab hominibus consequendi. Recte Augustinus Lib. IV. contra Julianum cap. 3. *Quicquid boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit; etsi officio videatur bonum*, ipsum non recto fine peccatum est.

III. Non sufficit ad bonum opus *intentio*, nam si hæc sufficeret, non opus esset illuminatione intellectus ad mandata Domini rectè discenda, sed quicquid à bona intentione proficisceretur, ipsi foret acceptum, foret enim bonum opus; qui putant intentionem sufficere ad operis bonitatem, suam voluntatem omnium operum regulam faciunt, ac se in Dei loco reponunt. Non sufficit quoque bonum propositum, sed oportet, ut se prodat actu, aut saltem nihil ex parte nostrâ obstet quominus actus ipse se prodat.

IV. Hinc colligitur Ethnicorum facta splendida non esse bona opera, quia plures hæ conditiones deerant. Vitreæ illæ erant virtutes, dum pellucebant, frangebantur, adamantinum splendorem in fragilitate crystallina mentiebantur. Non nescio equidem multa de Ethnicis egregia prædicari: ut de *Socrate*, quem narrant fuisse moderatum in ferendis injuriis, constantis animi, invictæque sententiæ, frugi et continentem, temperatè item ac parcè viventem; de *Aristide*, quem neminem injuriis incessisse, nec quicquam

protulisse, quod mœrorem cuipiam creare posset, æquitatis acerrimum defensorem, et honesti amantissimum esse dixerunt; de *Camillo*, *Fabricio*, *Deciis*, *Regulo*, *Catone*, *Epaminonda*, &c.

V. Verùm observandum est 1. Eos verum Deum ignorasse. 2. Non statim bonum opus debere dici, quod speciem habet boni operis; idem dicendum de virtutibus, quæ ipsis adscriptæ sunt, ac de eorum sapientia dicebat Cicero, de Off. lib. III. cap. 4. *Non ii*, aiebat ille, *qui sapientes habiti sunt, et nominati, M. Cato, et C. Lælius sapientes fuerunt, nec illi quidem septem: sed ex mediorum officiorum frequentia similitudinem quandam gerebant, speciemque sapientum.* 2. Illos propriæ gloriæ tantum litasse, Socratis superbiam non tantùm Aristophanes, sed et Plato discipulus docet. Stoicorum superbia neminem latet, qui Deorum quidem esse munus aiebant quod vivimus; *nostrum verò quod benè sanctèque vivimus.* In suis factis non Deo placere cogitabant, sed vel sibi, vel aliis. *Seneca* aiebat aliquem virum bonum nobis esse eligendum ac semper ante oculos habendum, ut sic tanquam illo spectante vivamus, et omnia tanquam illo vidente faciamus; de Deo altum silentium. Refert de Aristide justo Plutarchus, quod *neminem injuriis incesserit, eo fine ut ad omnium studia sibi sterneret iter.* Non confundimus tamen continentiam Scipionis et portentosas libidines Neronis, Fabricium et Catilinam; non quia ille bonus, sed quia minùs malus, ut ait *Augustinus.*

VI. Necessitas bonorum operum adstruitur, 1. tum ex præcepto Dei, et mandatis expressis, 1 Thess. iv. 3, 4. 1 Joh. iv. 21. Joh. xiii 34. Matth. v. 16. 1 Pet. i. 15. 2 Pet. i. 5, 6, 7. et Tit. iii. 14. 2. Tum ex necessitate cultus nostri et obsequii erga Deum. 3. Tum ex naturâ fœderis gratiæ, in quo Deus omnigenas benedictiones spondet, sed simul obedientiam perfectam exigit. 4. Tum ex beneficiis Dei quæ omnia ad bona opera nos impellunt. 5. Tum ex gloriâ futurâ quæ promittitur, et ad quam bona opera se habent, ut media ad finem, ut via ad metam, Eph. ii. 10. Phil. iii. 14. ut sementis ad messem, Gal. vi. 7, 8. Primitiæ ad massam, ac certamen ad coronam. 6. Tum ex necessitate proximorum saluti consulendi, Matth. v. 16. 7. Tum ex necessitate vocationem et electionem firmandi, 2 Pet. i. 10. 8. Tum quia debemus vitare pœnas debitas male agentibus, Matth. iii. 10. Hæc bona opera præstantur à fidelibus, et quamvis non sint perfecta, verè tamen dici possunt *bona*, quia fiunt speciali motione Spiritus Sancti in eorum cordibus

habitantis, et gratiæ Dei auxilio, unde Deo placent, et ipsis Deus mercedem promittit.

VII. Verùm etiamsi bona sint, non sunt tamen meritoria, quod probatur ex eo quod, 1. Opus *meritorium* debet esse nostrum, nemo enim de alieno potest dici mereri; at bona opera sunt dona gratiæ et fructus Spiritus; nemo est qui illud Paulinum usurpare non debeat: *Gratiâ Dei sum id quod sum*, 1 Cor. xv. 10. 2. Opus meritorium debet esse *indebitum*, nemo enim meretur persolvendo quod debet; at bona opera sunt *debita*, Luc. xvii. 10. *Quum feceritis omnia quæ sunt edicta vobis*, (quis id de se præsumat?) *dicite, servi inutiles sumus, nam quod debuimus facere fecimus.* 3. Debet esse proportio, non modò inter eum qui meretur, et eum apud quem meretur, sed et inter bonum opus et gloriam promissam, at nulla proportio, nequidem inter martyrium quod omnium operum est præstantissimum, Rom. viii. 18. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis*, &c. 4. Debet esse *perfectum*, ubi enim est peccatum, ibi non potest esse meritum; at opera nostra sunt imperfecta, unde justitiæ nostræ sunt comparatæ panno sordido, apud Isaïam, lxiv. 6.

VIII. Hinc vita æterna vocatur *donum Dei*, Rom. vi. 23· cùm è contra mors vocetur stipendium peccati; et *hæreditati* comparatur, quæ non cadit sub meritum. Equidem hæc vita ut *merces* proponitur, sed talis merces, quæ vocatur χάρις, *donum*. Christus vitam et salutem nobis plenissimè meruit, nec opus est illi merita humana assuere, imò hoc non potest fieri, quin summa Christo fiat injuria. Tantùm abest ut mereamur, ut è contra servi inutiles, dicamur à Christo, loco citato, etsi omnia fecerimus, Luc. xvii. 10. *Sanguis* Christi non potest dare nobis virtutem merendi apud Deum, 1. Quia non potest facere ut simus infiniti, et ut sit proportio inter Deum et homines. 2. Ut sit proportio inter opera nostra et vitam æternam. 3. Ut opera nostra sint indebita. 4. Ut opera nostra fiant propriis viribus. At absque illis conditionibus nullum est meritum.

CAPUT III.

De Decalogo.

I. QUANDOQUIDEM vitæ morumque regula est lex moralis, cujus compendium est Decalogus, hic paucis est à nobis explicandus.

II. At ante omnia observandum, 1. Distingui in duas tabulas, quarum prior summam cultus divini, posterior hominis erga hominem officium complectitur; deinde in *decem Præcepta*, ex quibus priora quatuor ad primam, sex posteriora ad posteriorem tabulam pertinent. Aliter numerant nonnulli, sed satius est de servandis, quàm de numerandis præceptis solicitum esse. 2. Certas esse regulas ad explicandum decalogum. *Prima*, in præceptis affirmativis negativa, in negativis affirmativa continentur; nam non potest bonum à lege præstari, quin malum oppositum caveatur, nec malum prohibitum vitari, nisi bonum oppositum præstetur. *Secunda*, specie una proposita intelliguntur omnes sub eodem genere: et uno vitio prohibito cætera ejusdem generis, eique analoga, et quæcumque eò ducunt et spectant, prohibentur. *Tertia*, in effectu causa, in genere species, in relato correlatum includitur. *Quarta* non tantum externos corporis actus, sed internos animi motus dirigit lex. *Lex* enim est *spiritualis*, ut vocat Paulus, Roman vii. 14. Nec eadem est ratio Legislatoris cœlestis, qui corda et renes scrutatur, ac legislatoris humani qui ea tantum attendit, quæ in sensus incurrunt. *Quinta*, omnium præceptorum summa et finis est *amor*. *Sexta*, præcepta *affirmativa*, non obligant semper, sed pro loco et tempore varias interpretationes, variaque temperamenta accipiunt, ex circumstantiarum varia ratione; nec enim semper filius parenti suo parere debet: at negativa præcepta et semper et omni loco et tempore nulla circumstantiarum habita ratione obligant. 3. Certas etiam esse regulas *obedientiæ* debitæ legi. (1.) Obedientia debet esse *sincera*. (2.) Debet esse *universalis* quoad omnia præcepta. (3.) Debet esse *perfecta*. (4.) Debet esse *constans*. (5.) Debet fieri *à toto homine*. (6.) Amor proximi debet amori Dei subjici, et præcepta primæ tabulæ derogant secundæ. (7.) Debemus præstare potiùs moralia præcepta secundæ tabulæ quàm cæremonialia primæ tabulæ, quia Deus *vult misericordiam et non sacrificia*.

III. Hisce positis ut ad mandata rectà deveniamus, à præfatione quadam incipit Deus, ne legis, quam laturus erat, Majestas in contemptum veniret, et ad eam sanciendam *triplici* argumento utitur; *potestatem* ac jus imperii sibi vindicat, quo electum populum constringat parendi necessitate; *promissionem* gratiæ proponit, cujus suavitate eundem alliciat ad sanctitatis studium; *beneficium* commemorat, quo Judæos arguat animi ingrati, nisi benignitati suæ respondeant.

IV. *Primo præcepto* de Diis aliis non habendis vetatur *atheismus*, *polytheismus*, *magia*, *religiosus creaturarum cultus*, *angelorum*, *sanctorum*, *reliquiarum*, *imaginum*; ac præscribitur vera Dei *agnitio*, *timor* Dei et *reverentia*, *amor* in illum *fervens*, *spes* et *fiducia*, *obedientia*, *adoratio patientia* in adversis, *invocatio*, *gratiarum actio* omnia veræ religionis munia. *Primum* hoc præceptum dicimus, nec enim eorum sententiam moramur, qui censent, verba illa, *Ego sum Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto, domo servitutis*, præceptum primum constituere; quod crediderunt juniores Hebræi, et nonnulli Patres.

V. *Secundo præcepto* duo vetat Deus. 1. Ne Deum qui incomprehensibilis est et invisibilis sub sensus nostros subjicere, aut ullâ specie repræsentare audeamus. 2. Ne imagines ullas colamus, quocumque cultu: sic vetat tum fabricam imaginum Dei quæ iterum prohibetur, Deut. iv. 15. Isa. xl. 18. tum imaginum venerationem et cultum. Nulla imagine Deum esse repræsentandum intellexerunt saniores Ethnici. Numa, referente *Plutarcho*, vetuerat imaginem aliquam Dei fieri, homini aut ulli animali similem, neque ante erat apud Romanos sculptile aliquod, aut fictile Dei repræsentamen. Verùm totis illis 160 qui præcesserant annis, templa quidem perpetuo ædificabant, ac tuguria sacra sive sacella erigebant, at nullum corporeum simulachrum faciebant, *non sanctum scilicet judicando meliora assimilare pejoribus, nec Deum aliter nos attingere posse quàm sola mente:* et Antiphanes aiebat *Deum ex imagine non dignosci, oculis non cerni, nulli similem esse.* Ita sensit purior antiquitas, ut probant invictè Clarissimi viri Dallæus et Spanhemius, aliique.

VI. Hoc præcepto vetatur quoque omne genus idololatriæ, et quicquid hoc nomine venit in Scriptura; damnantur etiam qui eas imagines pingunt, quas ab idololatris colendas esse probè sciunt.

VII. *Tertio mandato* prohibetur, non quidem *jurare per nomen Dei*, nam hoc expressè jubet Deus, Deut. vi 13. Jer. iv. 2. et necessarium est juramentum ad veritatis confirmationem, et controversiarum diremtionem, Heb. vi. 16. Sed omnis nominis divini profanatio, 1. Omnis *blasphemia*, Lev. xxiv. 16, Tradunt Rabbini, fuisse apud Judæos, quoddam judicium, quod appellabant *judicium zeli*, quo absolvebantur ii, qui quum audivissent nomen Dei blasphemari, non expectato jussu magistratus, occidissent blasphemos. 2. Omnis abusus nominis Dei in rebus illicitis.

3. Omnia *juramenta temeraria et levia;* vetatur enim nomen Dei sumi לשוא *in vanum*, quod malè confunditur cum לשקר in falsum; unde LXX. vertunt ἐπὶ ματαίῳ. 4. Omnia *juramenta per creaturas* facta, Matth. v. 34. Jac. v. 12. Ita Jerem. v. 7. damnantur, *qui jurabant per eos, qui non erant Dii;* unde patet malè legem intellexisse Pharisæos, qui censebant licitum esse jurare per *templum*, per *altare*, &c. 5. Omnia *perjuria*, Ps. xxiv. 4. Perjuria graviter esse punienda credidere ipsi Ethnici, ut patet ex Homero et Hesiodo. 6. Omnes *imprecationes* temerariæ. 7. *Vota temeraria* et *levia*, qualia sunt, (1.) Circa actiones suo genere malas. (2.) Circa actiones bonas in se, sed majus bonum impedientes. (3.) Circa res impossibiles. (4.) Circa res inutiles et stultas. In hoc mandato injungitur maximam Deo reverentiam exhibere, nihilque cogitare, dicere, facere, quod ad ipsius contumeliam, et dedecus ullatenus pertineat.

VIII. *Quarto mandato* Sabbathi sanctificatio mandatur. Illa sanctificatio fit vel à *pastoribus*, vel à *grege*. A pastoribus sanctificatur, 1. Sanæ doctrinæ prædicatione. 2. Legitimâ sacramentorum administratione, certis temporibus. 3. Publicâ precum recitatione. 4. Commissi gregis sincera dilectione et visitatione. A populo sanctificatur, 1. Verbi prædicati attenta auditione. 2. Publicis et privatis precibus. 3. Sacrorum cœtuum frequentatione. 4. Scripturæ sacræ lectione et meditatione. 5. Charitatis officiis. 6. Mutuis hortationibus. 7. Cessatione à laboribus consuetis, servilibus, quæstuosis. Excipiuntur igitur *opera*, quæ directè spectant cultum et gloriam Dei; *opera charitatis et misericordiæ*, ideo malè Christus à Pharisæis arguebatur, quòd sanabat ægros; *opera necessitatis*, quæ nobis per Providentiam imponitur; ut cibum coquere, ignem accendere, se adversus hostes lacessentes defendere; tandem *opera communis honestatis*. Verùm hîc quædam sunt observanda. 1. In hoc quarto præcepto aliquid esse *morale*, aliquid *cæremoniale: cæremoniale* est consecratio septimæ diei Deo; *morale* est consecratio alicujus temporis Deo, pars enim est cultus divini, colere Deum in cœtibus publicis. At hoc non potest fieri, quin consentiant populi de tempore quo conveniant. 2. Sabbatho Judæos non ausos fuisse domo egredi ad *colligendum manna*, Exod. xvi. 29. *ligna secare*, Numer. xv. 32. *accendere ignem*, Exod. xxxv. 3. *coquere et lixare*, Exod. xvi. 23. *arare et metere*, Exod. xxxiv. 21. *torcularia calcare*, Nehem. xiii. 15. *ferre et afferre onus*, Jer. xvii. 21, 22. *inferre res venales*, Neh. xiii. 15—18. *vendere et emere*, Neh. x. 31. *pugnare*, I Macc.

ii. 36. *sepelire*, 2 Maccab. xii. 39. imò quosdam Pharisæos eò insaniæ devenisse, ut non auderent assare pomum, corticare allium, interficere pulicem. 3. Sabbathum fuisse signum fœderis inter Deum et Israëlitas, Exod. xxxi. 13. et Ezech xx. 12. ac adumbrasse duplicem fidelium quietem, quam à Christo obtinent; *spiritualem*, quæ consistit, tum in tranquillitate conscientiæ; tum in cessatione ab operibus malis. Heb. iv. 3. Is. lviii. 13. et *cœlestem*, quando fideles in cœlum evecti ab omni peccato immunes, ab omnibus etiam laboribus quiescent. 4. Sabbathum abolitum cum aliis cæremoniis legis, et successisse diem Dominicum, non ita jubentibus, sed observantibus apostolis, quorum exempla imitari decuit Ecclesiam, quamvis ex se una dies alterâ non sit sanctior. 5. Non potuisse convenientiorem diem seligi, quam diem *Dominicam*, quâ Christus Redemptor orbis è mortuis resurrexit, et æternæ redemptionis nostræ opus plenissimè absolvit, et quâ Spiritus Sanctus in apostolos effusus.

IX. *Mandato quinto*, quod primum præceptum cum promissione vocatur, Eph. vi. 2. præscribitur *reverentia*, *obedientia*, *gratitudo*, *amor*, *honos*, non modò filiis erga parentes, sed et omnibus inferioribus erga superiores, et simul injungitur superioribus erga inferiores, *amor*, *cura*, *benevolentia*, *fidelitas*, *justitia*. Vetatur, 1. liberorum παροξυσμὸς erga parentes, rebellio adversus eos, inhumanitas illa, quâ filii recusant egenis parentibus opem ferre, contemtus, aliaque id genus. Atque inde patet, quid censendum de Pharisæis, qui sub inani religionis Dei obtentu, officia debita patribus recusari posse tuebantur, Matth. xv. 4, 5. hac formulâ voti et juramenti utentes, *Corban esto* illud omne quo tibi utilis esse possem; et quid de illis sentiendum, qui existimant licere pueris tale vitæ genus eligere, quod eos à debito patribus obsequio avocet. Quam sententiam concilium Gangrense damnavit his verbis: *Quicunque filii à parentibus prætextu divini cultus abscedunt, nec debitam reverentiam illis dependunt, anathemata sunto.* 2. Rebellio subditorum adversus magistratum. 3. Contumacia servorum adversus dominos. 4. Ingratus animus discipulorum in præceptores, ovium in pastores, clientum in patronos. 5. Contemptus quo seniores à junioribus afficiuntur. 6. Simulata inferiorum erga superiores demissio.

X. *Mandato sexto* vetatur non *homicidium* judicis, aut magistratus auctoritate præstitum, hoc enim jubet Scriptura Rom. xiii. 4. Nec obstat charitas Christiana; vindictam

enim prohibet privatam Deus, non justas de malis pœnas. Non jus belli, quod in veteri Testamento licitum, in novo non improbatum, hinc in Apocalypsi varia bella piorum prædicantur: sed de his in Ethicâ nostrâ. Non *homicidium* quod patratur *adversus violentum aggressorem*, sed cum his cancellis. 1. Ut defensor extra omnem culpam collocetur, nec ei detur via elabendi. 2. Ut in ipso congressu fiat homicidium. 3. Ut id fiat ex sola defensionis intentione. Non *homicidium casuale*, quod non potest prævideri. Sed vetatur 1. omne *homicidium privatum*, quod privatâ auctoritate et dolo malo, sive ex odio et vindictæ studio, sive id fiat vi, sive astu, sive ferro, sive veneno, sive directè, sive indirectè. 2. Αὐτοχειρία quâ peccatur in Deum, in se ipsum, in rempublicam, in familiam, in ecclesiam. Hanc ne Ethnici quidem, saltem saniores probarunt. Virgilius lib. vi. Æneid. putat, eos qui sese occiderunt, à beatorum conditione separatos esse.

> *Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi lethum*
> *Insontes peperere manu, lucemque perosi*
> *Projecere animas &c.*

Pythagorei dicebant nos in hoc mundo esse à Deo collocatos, velut in statione; ex qua sine imperatoris consensu non sit migrandum. 3. *Duella*, quæ ratio nulla licita reddere potest; non vani honoris defensio, non vindictæ executio, non criminis purgatio. 4. *Odium vindictæ studium, invidia, contumelia, convitia* in sermonibus, et internæ iracundiæ motus; quod observandum adversus Pharisæorum glossas. 5. Quicquid cum verâ et sincerâ proximi dilectione, aut legitimâ sui defensione pugnat, Matth. v. 21 Lev. xix. 17, 18 Zach. viii. 16, 17. Præscribitur proximi defensio, auxilium, amor, mansuetudo, concordiæ et pacis studium.

XI. *Septimo præcepto* prohibetur omnis illicitus concubitus. 1. *Scortatio*, Hebr. xiii. 4. 2 *Adulterium*. 3. *Incestus*. 4. *Raptus*. 5. *Concubinatus*. 6. *Nefandum Sodomitarum crimen*. 7. *Polygamia simultanea*, quæ pugnat adversus primam conjugii institutionem, Gen. ii. 24. Mal. ii. 15. Matt. xix. 4, 5, 6. et adversus mandatum Pauli, qui vult, ut conjux non habeat ampliùs corpus in sua potestate 1 Cor. vii. 4. 8. Quivis *turpes*, vel *sermones*, vel *gestus;* Col. iii. 8. Eph. iv. 29. Rom. xiii. 13. 9. Quicquid temperantiæ et sobrietati Christianæ repugnat. 10. Internus incontinentiæ affectus, imò illicitus aspectus, Matth. v. 28.

Præscribuntur pudicitia, castitas, modestia, temperantia, et quælibet virtutes ad veram sanctificationem mentis et corporis spectantes, 1 Thessal. iv. 3, 4, 5.

XII. *Octavo præcepto* vetatur, 1. *Furtum*, quod definiri solet *alienæ rei contrectatio* vel *usurpatio* invito domino, *sacrilegium*, *peculatus*, *plagium*, *latrocinium*, *concussio*, *stellionatus*. 1. *Usura* rodens et immodica. 3. *Doli*, *fraudes*, et *circumventiones* omnes in mercibus, ponderibus, &c. 4. *Avaritia* omnium malorum radix, Jac. v. 4. 5. *Desidia* et *ignavia*. Præscribuntur 1. ἀυτάρκεια seu acquiescentia in sorte, 1 Tim. vi. 6. Heb. xiii. 5. 2. *Parsimonia* et *frugalitas*. 3. *Sinceritas* et *justitia*. 4. *Liberalitas* in pauperes et egenos.

XIII. *Nono præcepto* vetantur 1. *Falsa testimonia*, et omnes *calumniæ*. 2. *Iniqua judicia*. 3. *Obtrectationes*. 4. *Mendacia*. 5. Omnes *simulationes* fraudis, et malitiæ. Præscribuntur, *veritas*, *candor*, *fides*, *defensio famæ proximi*, *judicia* æqua et plena charitatis, *laudes* proximi.

XIV. *Decimum* præceptum prohibet omnes *concupiscentias* illicitas; imò primos motus concupiscentiæ, quos nonnisi per legem scriptam homo cognoscere potuisset, ut apostolus testatur: et hoc mandatum inservit, 1. Cupiditatibus ac motibus cordis nostri refrænandis, et ut hypocritis externæ sanctimoniæ ostentatione sese venditantibus, larva detrahatur, et supercilium dejiciatur. 2. Naturæ legislatoris et obsequii Deo debiti, meliùs denotandæ. 3. Infirmitati et corruptioni nostræ ampliùs renudandæ.

XV. Triplex est objectum concupiscentiæ, *voluptates*, *opes* et *honores*, 1 Joh. ii. 16. *voluptates* libidinem, *opes* avaritiam, *honores* ambitionem cient. Hujus concupiscentiæ in hac vita scaturigo non arescit, sed rivuli à Spiritu Sancto in regenitis intercluduntur, ne in facta externa pro rumpant. Remedium concupiscentiæ morbo minuendo, est contemplatio mortis Christi, et meditatio nostræ. Quoad *amorem* Dei et proximi quæ est summa legis, in Ethicâ nostrâ explicamus; ut et alia in decalogo contenta.

XVI. Hæc lex est perfecta morum regula, cui nec addi, nec detrahi quicquam debet; omnia enim officia Deo et proximo debita complectitur, quum diligere Deum jubet super omnia, toto corde et totis viribus, ac proximum sicut nosmet ipsos. Hujus legis verum sensum depravaverant Pharisæi, sed ab eorum falsis glossis vindicat Christus, Matth. v. 21, &c. ubi explicat legem non corrigit, sed emendat falsas Judæorum interpretationes. Quicquid igitur præscribitur in veteri et novo Testamento ad hanc legem refertur.

CAPUT IV.

De imperfectione Sanctificationis nostræ.

I. SANCTIFICATIONEM nostram esse imperfectam in hisce terris, nec legem perfectè nos implere posse, dum hîc pulverem calcamus, probatur, 1. Ex illis locis in quibus dicitur in nobis semper habitare peccatum, in multis nos labi omnes, neminem posse dicere mundum esse cor suum; non esse hominem justum, qui non peccet, et nullum se jactare posse, se peccatum non habere, 1 Joh. i. 8. Jac. iii. 2. 1 Reg. viii. 46. Prov. xx. 9 2. Ex illis locis, ubi dicitur in nobis esse carnem et spiritum, ac luctam perpetuam esse inter utrumque, quam docet Paulus, Gal. v. 17. *Caro concupiscit contra Spiritum.* Verum ne quis hîc confundat *luctam* quæ est in ipsis *irregenitis*, cum lucta, quæ in *fidelibus* extat. In *regenitis* est lucta inter Spiritum et carnem; in *irregenitis* est inter carnem et rationem, et inter diversas cupiditates contrarias, verbi gratiâ, inter avaritiam et luxuriem; irregeniti sentiunt hanc luctam tantùm, cùm graviora patrant peccata; regeniti verò cùm levia committunt et minima. Illud 3. Evincitur, ex confessione omnium sanctorum, *Jobi*, *Davidis*, *Salomonis*, *Isaiæ*, *Danielis*, *Pauli*, *Johannis*, *Jacobi*, Job ix. 3. xiii. 23. xv. 14. Ps. xxxii. 5. cxxx 3. cxliii. 2. Prov. xx. 9. 1 Reg. viii. 46. Is. lxiv. 6. Dan. ix. 5. Phil. iii. 12. 1 Joh. i. 8. Jac. iii. 2. 4. Ex eo quod quotidie jubemur petere remissionem peccatorum, *dimitte nobis peccata nostra.*

II. Non dissimulandum tamen de quibusdam in Scriptura legi eos implevisse mandata Dei, dilexisse Deum ac perfectos esse, Job i. 1. Luc. i. 6. 2 Reg. xxiii. 25. 2 Chron. xv. 17. sed si attendamus ad loca illa Scripturæ, patebit sic designari. 1. Sinceritatem eorum obedientiæ. 2. Ita loqui Scripturam, comparatè ad alios homines, cum quibus vivebant. Non dissimulandum etiam ad perfectionem nos hortari Scripturam, Matth. v. 48. vi. 10. sed id fit, non quod eam possimus consequi in terris, sed quia ad eam semper debemus contendere totis viribus.

III. Non mirum est, si Deus cujus opera omnia sunt perfecta, non perfectè nos sanctificet, nam omnia Dei opera sunt perfecta eo modo, et eo gradu quo vult esse perfecta; vult quidem nos perfectè sanctificari, sed non in hac vitâ at sensim et per gradus in hac vitâ sanctificat. Sic voluit Deus terram à cœlo distinguere; sic voluit suos exercere

eodem modo ac reliquos manere voluit Amorrhæos, et Philistæos in terra Canaan ad Israëlitarum exercitium, ne ignavo otio torperent; sic etiam voluit ostendere salutem suæ gratiæ deberi, et vitam nobis à Deo non ut *meritorum æstimatore*, sed ut *veniæ largitore* concedi.

CAPUT V.

De Pœnitentiâ.

I. QUANDOQUIDEM sanctificatio est imperfecta, et in multis labimur, necessaria est *pœnitentia.*

II Vox illa *pœnitentiæ* et *resipiscentiæ* sumitur duobus modis. 1. Pro tota vitæ mutatione quâ peccator à statu peccati ad justitiam convertitur, novamque vivendi rationem instituit, ita sumitur, Luc. xxiv. 47. Act. iii. 19. xxvi. 20. 2. Pro illo hominis actu, quo eum status sui piget, de peccatis dolet, liberationem desiderat, ac vitæ in meliùs mutandæ propositum concipit, Matth. iii. 2. iv. 17.

III. Græci utuntur voce μετανοίας et μεταμέλειας, quæ promiscuè sumuntur aliquando; quibusdam placet μεταμέλειαν denotare dolorem animi, μετάνοιαν conversionem ipsam; μεταμέλειαν prædicari de illis qui verè non resipiscunt, ut de Judâ, μετάνοιαν nunquam. Ac certum tamen 1. Originem vocis nihil tale docere, μετανοῶ *post intelligere*, μεταμέλεσθαι est *solicitum esse*, quum aliquid commiseris. 2. Auctores Græcos has duas voces confundere, Hesychium, Suidam, Etymologicon magnum. 3. In sacro codice confundi, μεταμέλειαν in bonam partem sumi, Matth. xxi. 29, 32. μετανοιαν contra Luc. xvii 3, 4. Matth. xii. 41. 4. LXX. vertere promiscue נחם per μεταμέλεσθαι, et μεταμοῦν. 1 Sam. xv. 29, 35. Psalm cx. 4. Joël ii. 14. Jon. iii. 9. Jerem. iv. 28. et viii. 6. xxxi. 19. His vocibus respondent Latinæ voces *pœnitentiæ* et *resipiscentiæ*, apud Hebræos נחם et תשובה.

IV. Ad veram *resipiscentiam* requiruntur 1. *Notitia peccatorum.* Ps. li. 3. *Prævaricationes meas agnosco.* 2. *Dolor commissorum peccatorum, et dolor secundum Deum.* 2 Cor. vii 10. qui oritur (1.) ex consideratione peccati, (2.) ex metu pœnæ propter peccatum, (3.) sed imprimis ex consideratione Dei offensi. Doloris illius effecta sunt, (1.) *Confessio* Deo, scilicet, 1 Joh. i. 9. Ps. xxxviii. 4. Ps. li. 4, 5. Sive publicè cum tota Ecclesia, Neh. ix. 2, 3. aut coram

Ecclesia et publicis scandalis, 2 Cor. ii. 6. vel apud homines et fratres offensos, ad eorum reconciliationem, Jac. v. 16. (2.) *Lachrymæ* ita *David*, Ps. vi. 6. *Petrus*, Matth. xxvi. 75. *Peccatrix*, Luc. vii. 38. (3.) Aliquando *jejunium*. (4.) *Serium* emendationis *propositum*, unde novæ obedientiæ opera vocantur *fructus* resipiscentiæ *convenientes*, Matth. iii. 8. In primitivâ Ecclesiâ erant distincti gradus pœnitentiæ; προσκλαυσις, ἀκρόασις, σύστασις, μίτιξις, quod tamen primis sæculis locum non habuit.

V Triplex distinguitur resipiscentia, 1. Per quam nos pœnitet in genere omnium peccatorum perpetratorum. 2. Per quam pœnitentiam agimus de peccatis particularibus à nobis commissis 3. Per quam nos pœnitet peccatorum nobis ignotorum, ac per errorem commissorum. Ps. xix. 12. *Ab occultis munda me.* Triplex hæc à nobis exigitur.

VI. Ejus salutaris resipiscentiæ Deus est auctor, variaque ad eam producendam media adhibet. 1. *Verbum*, quod Spiritus Sancti efficacia comitatur, in quo verbo multa motiva reperiuntur ad pœnitentiam. dum loquitur, (1.) de irâ Dei contra impœnitentes. (2.) De exemplis judiciorum divinorum. (3.) De beneficiis variis quibus ad pœnitentiam incitamur. (4.) De promissis gratiæ et remissionis pœnitentibus factis, Is. i. 16, 17, 18. Ezech. xviii. 27. (5.) De exemplis misericordiæ divinæ in pœnitentes. 2 Variis *castigationibus* quoque affligit peccatores ipsos, quos vult ad pœnitentiam adducere. 3 Varia etiam *judicia* in alios homines, exercet, ut terreant eos quos vult convertere.

VII Hæc resipiscentia ut sit Deo grata debet esse *prompta*, *sincera*, *perpetua*, et *constans*.

VIII. Quæritur 1. an *pœnitentia* reperiatur in reprobis? Respondemus si per *pœnitentiam* nihil aliud intelligamus quàm dolorem aliquem ob peccata commissa, concedimus posse reperiri in reprobis, at si de vera pœnitentiâ agatur, non esse nisi in fidelibus, certum est.

Quæritur 2. an pœnitentia præcedat fidem, an verò sequatur. Respondemus distinguendos actus pœnitentiæ; *dolor* et *peccatorum sensus* vera fide prior est, at *emendatio cordis* et *praxis bonorum operum* sequitur *fidem*.

Quæritur 3. cur dicatur Luc. xv. 7. resipiscentem unum peccatorem, majus gaudium creare in cœlo, quam nonaginta novem justos. Respondemus id dici, quia magis in conversione peccatorum elucet sapientia, bonitas, ac potentia Dei. Judæi dicebant Hebræo peccante fiere angelos; Christus dicit homine resipiscente, angelos gaudere.

IX. Opposita *resipiscentiæ* sunt, 1. *Falsa pœnitentia*, qualis est eorum, qui simulant se peccatorum admissorum dolore tangi, non tamen dolent; ut *Pharaonis*, Exod ix. et x. *Simonis Magi*; aut eorum qui externa pietate sunt contenti, et externis quibusdam ritibus. 2. *Impœnitentia*, quum quis de admissis peccatis non dolet, nec ea emendare vult. Ea est vel *ad tempus*, vel *finalis*. Hujus variæ causæ sunt. (1.) Opinio, vel nullum numen esse, vel non curare mortalia. (2.) Falsa impunitatis spes, ex persuasione temeraria de infinita Dei misericordia. (3.) Aliquando etiam desperatio veniæ.

X *Impœnitentiæ* pœnæ sunt variæ, tum *temporales*, tum *spirituales*, tum in *hac vita*, tum in *futura*. Levit xxvi. Deuteron. xxviii. Ezech. xiv. Roman. i 26, 27, 28. Eph. iv. 18, 19 Job. iii. 36. Rom. ii. 4, 5. At pœnitenti promittitur remissio peccatorum, Ezech. xviii. 21. Act. iii. 19. Prov. xxviii. 13. Cætera quæ de hoc argumento dici possunt, in Moralibus tractavimus.

XI Verùm quandoquidem de *Jejunio religioso* mentionem injecimus, quædam hîc observare non pigebit. Ac 1. quidem jejunia religiosa esse divinæ institutionis, Joel i. 14. et ii. 15. Matth. vi. 16, 17 2. Frequentia fuisse sub veteri Testamento, Lev. xvi. 29. Zach. vii. 5. et viii. 19. Ezr. viii 21. 3. Sub novo Testamento nullum certum tempus à Christo et Apostolis fuisse definitum, sed unicuique licitum jejunare tempore luctus, calamitatis publicæ et privatæ, præsentis, vel imminentis, et quidem spiritualis, vel corporalis, boni obtinendi, vel mali avertendi causâ, sine superstitiosa temporis ac dierum observatione. 4. Jejunium esse abstinentiam ab omni cibo, non verò à certis quibusdam cibis. 5. Esse vel publicum, vel privatum. 6. Jejunium esse rem per se nec malam, nec bonam; nec enim *regnum Dei est cibus aut potus, sed justitia et gaudium per Spiritum Sanctum*, Rom. xiv. 17. 7. Jejunium posse multum conducere, tum ad carnis lasciviam compescendam, tum ad animum liberiorem, et ardentiorem reddendum quò preces ferventiùs concipiantur. 8. Non debere fieri hypocritarum in morem, sed conjungendum cum precibus et vitæ sanctimonia, Isaia lviii. 6. &c.

CAPUT VI.

De Oratione, et Juramento.

I. QUANDOQUIDEM *Oratio* sanctificationi promovendæ potissimum inservit, de eâ dicendum, idque postquam observaverimus, aliquando per *precationem* totum Dei cultum designari, ita *omnis qui invocaverit nomen Dei salvus erit*, Act. ii. 21. Rom. x. 13.

II. Hîc sumitur pro divini numinis imploratione, quâ sive voto, sive voce, rogamus Deum, ut quæ sunt nobis, vel aliis necessaria, dentur, cum certâ fiduciâ exauditionis. *Precatio* est cultus religiosus, et maximum quod Deo offerri potest sacrificium; qui enim oratur, creditur esse *omniscius*, omnium preces audiens, imò vota ac suspiria intelligens, omnium necessitates cognoscens; *omnipotens*, qui potest dare rogata, et summoperè *misericors* ac *benignus*, qui non recusat dare quod petitur, Jac. i. 5. ac proinde solus Deus orandus est, et solus est objectum fiduciæ nostræ, Jer. xvii. 7.

III. Non igitur invocandi sancti, nec ullo religioso cultu afficiendi, quamvis de iis ut beatissimis, et in Domini consortium admissis Dei servis, præclarè sentire debeamus, eorum memoriam jucunda recordatione usurpare, certamina et victorias prædicare, doctrinam servare, virtutes celebrare et mirari, pro iis gratias agere Deo. Non esse autem colendos patebit omni attendenti, 1. Nullibi hoc in Scriptura præcipi. 2. E contrà soli Deo servire injungi, Matth. iv. 10. 1 Sam. vii. 3. 3. Orare simpliciter poni non semel pro orare Deum, quia nulla scilicet est legitima invocatio, nisi Dei. 4. Nullum exemplum invocationis Sanctorum videri in Scriptura. 5. Sanctos nec esse omniscios, nec omnipotentes. 6. Ignotam fuisse apostolicæ Ecclesiæ, et primis purioris antiquitatis seculis hanc sanctorum invocationem.

IV. Necessitas precum ex duobus evincitur, 1. Ex mandato Dei, Matth. vii. 7. Luc. xxi. 36. Ps. l. 15. et mandato cum promisso, *Petite, et dabitur; Quæcunque petieritis à Patre in nomine meo, hoc faciam*, Joh. xiv. 13. 14. etsi enim Deus noscat, quâ re opus habeamus, vult tamen ut petamus; requirit hoc homagium, quo testamur nostram fidem, humilitatem, et agnoscimus Dei veritatem, ejus summam *Majestatem*, ejus *Omnisufficientiam*, quâ creaturis omnibus ad felicitatem sufficit. *Omniscientiam*, Psal. cxxxix. 1, 2, 3, 4, 17, 18. *Omnipotentiam*, Ephes. iii.

20. inexhaustamque bonitatem. 2. Ex sensu indigentiæ nostræ ea necessitas demonstratur. Hanc necessitatem precum ipsi Ethnici cognoverunt; refertur totam Socratis vitam fuisse continuam precationem, et hoc officium omnibus præscribit Plato.

V. Debemus orare non tantum pro nobis, sed pro aliis. Jac. v. 16. Ephes. vi. 18. 1 Tim. ii. 1, 2. et quidem pro omnibus, excepto eo qui peccat ad mortem, si nobis notus sit: non tantum pro amicis, sed et pro inimicis, Matth. v. 44. Precari pro mortuis absurdum esse censemus; 1. Quia nullum talium precum extat præceptum. 2. Quia nullum ejusmodi precum habemus exemplum in sacris codicibus. 3. Quia nihil possumus pro defunctis obtinere; nihil pro piis servatis, nihil pro impiis à salute irrevocabiliter exclusis.

VI. Omnia possumus petere, quæ Dei voluntati consentanea sunt, 1 Joh. v. 14. et quæ vocationi nostræ sunt conformia, bona spiritualia et temporalia; sed illa absolutè, hæc sub conditione, ea conducere ad Dei gloriam et ad nostram salutem. Quod in memoriam revocat dictum veteris Poëtæ apud Platonem in Alcibiade.

> Ζεῦ βασιλεῦ τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ ἰυχομένοις καὶ ἀεύκτοις.
> Ἄμμι δίδου, τὰ δὲ δεινὰ καὶ ἰυχομένοις ἀπάλεξος.
>
> *Tu Rex summe, dato nobis bona, sive rogemus,*
> *Seu non; at mala vel poscentibus usque negato.*

Conditiones precum sunt, 1. Ut fiant ex fide, Jac. i. 6. id est, cum persuasione illa nos Deo in Christo gratos fore, rem quam petimus bonam esse, nosque eam impetraturos, si ad Dei gloriam nostramque salutem faciat, simulque cum fiducia in Dei promissis. 2. Cum attentione, 1 Cor. xiv. 15. 3. Cum zelo et vehementiâ, Jac. v 16. 4. Ex intimo cordis affectu. 5. Ex corde puro et manibus puris. 6. In nomine Christi. 7. Cum assiduitate et constanter, 1 Thess. v. 17. Luc. xviii. 1. 8. Cum *humilitate*, ut publicanus, Luc. xviii. 9. 9. Cum *fraternæ charitatis studio*, Matth. v. 23, 24.

VII. Gestus corporis in precibus admittendi, qui numinis reverentiam seriam, veramque coram Deo humilitatem testentur, et animi attentionem in sacro exercitio juvent. Nullos definit præcisè Scriptura. A sanctis viris sub veteri et sub novo Testamento usurpata aliquando *genuflexio*, 1 Reg. viii. 54. 2 Par. vi. 13. Dan. vi. 10. Esr. ix. 5. Act.

vii. 60. xx. 36, xxi 5. Ephes. iii. 14. et hoc passim in Christiana Ecclesia obtinuit: aliquando *statio*, Luc. xviii. 13. Justinus in Apologiâ, exercitia publica diei Dominicæ describens hæc inter alia habet Ἔπειτα ἀναστάμεθα κοινῇ πάντες καὶ εὐχὰς ποιούμεθα *Dein surgimus communiter omnes, et preces fundimus.* Constit. dictæ Apost. lib. VI. cap. lxiii. *Die Dominico tres orationes stantes concipimus in memoriam illius qui tertia die resurrexit.* In Liturgia Marco malè adscripta diaconus aliquoties inclamat, *Ad orationem state*, et *stemus honestè.* Veteres die Dominico totoque illo tempore quod inter pascha et pentecosten intercedit, de genicolis orare, uti et jejunare, nefas ducebant.

VIII. Nulli loco, nunc sub novo Testamento ad hoc pietatis exercitium alligamur, quovis in loco puras ad Deum manus attollere fas est, 1 Tim. ii. 8. Joh. iv. 23.

IX. Omnium precum præstantissima est *Oratio Dominica*, cujus expositionem multi tradiderunt, nosque aliquando daturi, si Deo placeat.

X. *Juramentum* est invocationis propriè species, quâ Deum tanquam cordium scrutatorem testem appellamus, veritatis eorum quæ affirmamus, aut promittimus, et vindicem, si pejeramus.

XI. Tale juramentum esse licitum probatur, 1. Ex illis locis, ex quibus liquet Deum instituisse juramentum ad lites dirimendas, Exod. xxii. 11. Heb. vi. 16. 2. Ex plurium sanctorum exemplis; imprimis *Pauli*, Rom. i. 9. Phil. i. 8. 1 Thess. ii. 5. 2 Cor. i. 23. Rom. ix. 1. 2 Cor. xi. 31. Gal. i. 20. 1 Thess. v. 27. &c. de *Angelo* expresse legitur, Ap. x. 5, 6. *levasse manum suam ad cœlum et juravisse per viventem in secula seculorum.*

XII. Ut juramentum rectè fiat, hæc observanda, 1. Juramentum debet fieri in nomine Dei, non per creaturas; unde Christus damnat eos qui per cœlum, Jerusalem &c. jurabant. 2. Debet fieri verbis claris, omni missa æquivocatione, non imprudenter, sed post accuratam et seriam deliberationem. 3. Debet nuncupari, non pro re vili, aut exigui momenti, sed pro re, quæ facit ad gloriam Dei, et ad gravium litium dissolutionem.

XIII. Duplex vulgo distinguitur juramentum, *assertorium* et *promissorium.* Assertorium est illud quo aliquid, interposito Dei nomine, asseveramus; promissorium, quo nos ad aliquid præstandum obligamus. Quoad hoc observamus, 1. non licere juramentum concipere tale, iis qui sunt sub aliorum potestate. 2. Neminem se posse obligare

ad peccatum, ideo malè jurasse Judæos, qui jurejurando se adegerant ad nihil comedendum, quin priùs Paulum interemissent, Act. xxiii 12. et Davidem, quum se domum Nabalis deleturum juravit, 1 Sam. xxv. 22. 3. Non debere fieri de re impossibili.

XIV. Ad preces referuntur *gratiarum actiones*, per quas agimus Deo gratias ob beneficia accepta, non modo verbis et cogitationibus, sed et sanctimoniæ studio, de his *fusiùs* in Ethicâ.

XV. Verbum addam de *votis*, quibus nos ad Deum adstringimus, ad aliquid aut faciendum, aut omittendum; quod ipsius gloriæ illustrandæ, nostræ saluti juvandæ et promovendæ, gratitudini contestandæ, inserviturum arbitramur.

XVI. De *votis* hæc observentur, 1. Omne *votum* soli Deo nuncupandum, Deut. xxiii. 21. Ps. lxxvi. 12. Est enim *invocationis* species, quâ opem Dei imploramus, et quandoque in se imprecationem pœnæ continet, si votum non solvamus. 2. Debere fieri *sponte* et à personis sui juris, Numer. xxx 6, 9. 3. Vota non debere esse de rebus naturâ malis, ut votum *Matris Micæ*, Jud. xvii. 3. *Judæorum*, Act. xxiii 12. 4. Debere voveri *possibilia*, non *inepta* et *inutilia*, non *necessaria* et *inevitabilia*; non *ea quæ nos avocant à melioribus*. 5. Vota, si processu temporis noxia fiant, tum aliorum ædificationi, tum nobis, aut impossibilia aut mala, impleri non debent: extra hos casus obligant.

XX. Duplex rectè distinguitur votum; *generale* quod in Baptismo præstamus, ac sæpiùs renovamus, nos nostraque Deo consecrando; et *speciale*, quo expressè aliquid Deo dicamus: sed de speciali voto hoc accuratè notandum nunquam debere voto generali repugnare.

CHRISTIANÆ THEOLOGIÆ

LIBER DUODECIMUS.

De Glorificatione.

CAPUT PRIMUM.

De statu Animæ post mortem.

I. *QUOS Deus justificavit, eos glorificavit*, Rom. viii. 30. Glorificatio hæc incipit in hac vita, per sensum amoris Dei in Christo, pacem, gaudium, spiritualium donorum communicationem, imò per sanctificationem; unde Paulus à justificatione statim ad glorificationem pergit. Verùm quod imperfectè admodum fit in his terris, longè perfectiùs fiet statim à morte secundum animam à corpore separatam, quæ ministerio angelorum in cœlum transfertur, dum corporis exuviæ sepulchro committuntur in spem futuræ resurrectionis.

II. Ut de ea distinctè loquamur, observandum est, 1. Animam non interire cum corpore, sed superstitem manere: hoc probat ratio, confirmat Scriptura, Eccl. xii. 7. *Pulvis redit in terram in qua fuerat, et spiritus ad Deum, qui eum dederat.* Cui loco conveniunt dicta Euripidis citata Philoni libro de Mundi immortalitate; quæ interprete Grotio sic habent,

Retròque meant, quæ terra dedit,
Iterum in terram, quod ab æthereo
Venerat ortu, cœlestis poli
Repetit cœlum.

Confirmatur et Matth xxii. 32. Quibus addi possunt loca, in quibus fideles morientes animas suas Deo commendant, Actor. vii. 59. 1 Pet. iv. 19. 2. Animam corpori superstitem non dormire, omnique cogitatione carere, qui status somni, annihilationi proximus; nec enim videtur consistere

posse cum naturâ Spiritus, cujus essentia absque cogitatione vix concipi potest; distinguendæ hîc sunt operationes, ad quas ministerio corporis indiget, ab aliis operationibus; primas non exercet, secundas exercere non est dubitandum; aliàs si cogitare desineret, esse desineret; cur fideles cuperent dissolvi, si suavissima Dei communione post mortem carerent; cur beatos prædicaret Scriptura? 3. Animam post hanc vitam sese conferre aut in cœlum aut infernum, non in alium locum; nam non alium memorat Scriptura, nec purgatorium, nec limbos, non specus subterraneos, aut lethæa flumina; quicquid eâ de re docent homines, nititur hominum otiosorum fictitiis revelationibus, falsis spirituum apparitionibus et falsis hypothesibus. 4. Animas fidelium esse beatas in cœlo et paradiso probatur, non modò ex loco Apoc. xiv. 13. ubi dicuntur *beati qui in domino moriuntur*, sed et ex iis quæ dixit Dominus latroni, Luc. xxiii. 43. *Hodie mecum eris in paradiso*; ex *voto* Pauli, qui optat dissolvi et esse cum Christo, Phil. i. 23. et ex verbis Apostoli, 2 Cor. v. 1. *Scimus, quoniam si terrestris domus nostræ hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem à Deo habeamus, domum non manufactam in cœlis*, et vers. 8. ait *gratum esse nobis abesse à corpore, et adesse apud Dominum*. Illud cœlum vocatur paradisus, sinus Abrahæ, Luc. xvi. 22. allusivè ad ritum veterum in conviviis usitatum, in quibus solebant ita accumbere, ut alter in alterius sinum caput reclinaret, quod de Johanne dicitur, Joh. xiii. 23. quia Christus accumbens in superiori parte lecti habuit Johannem proximum, qui proinde dicitur recubuisse in ejus sinu. 5. Animas impiorum in infernum, locum tormentorum detrudi docet parabola, Luc. xvi. 28. describitur locus per *gehennam*, per *tenebras extimas*, Matth. xxiii. 13. Marc. ix. 43, 44. allusivè ad cœnas veteres, in quibus intus laquearia luminibus collucent, sed extra nihil est, nisi noctis caligo.

III. De felicitate aut infelicitate *animarum* loquemur, quum de vitâ aut morte æternâ dicemus.

CAPUT II.

De Resurrectione mortuorum.

I. STATUM animæ separatæ excipit resurrectio corporis ex mortuis, quæ Ethnicis ridicula visa est, à Sadducæis ne-

gata, ut et à multis aliis, Simonianis, Carprocratianis, Valentinianis, Marcionitis, Cerdonianis. &c. sed quæ religionis Christianæ est fundamentum, *Resurrectio mortuorum fiducia Christianorum* Tert.

II De eâ antequam dicamus, observandum, non agi hic de *mysticâ ac spirituali hominis resurrectione*, quæ est regeneratio et conversio ad Deum, de quâ Ephes. ii 5. et v. 14. Col. ii. 12. et iii. 1. non de *resurrectione* illa, quam *civilem* Theologi vocant, quæ nihil aliud est, quàm liberatio ex ingenti calamitate, et restitutio ex conditione misera in statum feliciorem, Ps. xxx. 34. Is. xxxviii. 16. 2 Cor. ix. 10 sed de *resurrectione* propria et corporali; nec de *particulari* resurrectione quorundam qui suscitati sunt, et in veteri et in novo Testamento; sed de *universali* omnium hominum resurrectione, quæ fiet novissima die.

III *Resurrectionem* hanc ultima die futuram probamus, 1. Ex oraculo celebri, quo usus est Christus ad probandam resurrectionem, Matth xxii. 31, 32. cùm enim fœdus gratiæ, in quo Deus se Deum Abrahami, Isaaci et Jacobi dicit, non mentes tantum separatas spectet, sed et personas integras, quas signum fœderis in corpore circumgestare Deus voluit, sequitur vitam fœdere promissam ad corpus quoque se extendere. Aben Ezra ad Levit. xviii. 4. iis verbis, *Ego sum Jehova Deus vester*, contineri dicit promissionem vitæ in utroque seculo. 2. Ex oraculo Jobi xix 25, 26, 27. *Novi meum Redemptorem vivere;* quod enim de *resurrectione* agatur, non verò de *restitutione* pristinæ felicitatis in hâc vitâ, patet ex eo quòd de restitutione bonorum corporalium in hâc vitâ desperabat, Job. vi. 8, 9, 11. vii. 7, 8. x 20, 21. xvi. 22. xvii. 12, 13. xix 20. Hinc Hieronymus scribens ad Pammachium, ait nullum tam apertè post Christum, quàm Jobum ante Christum de resurrectione loqui. 3. Psal. xvii. 15. *Ego in justitiâ videbo faciem tuam, et satiabor similitudine tua quum excitatus fuero.* 4. Ex Daniel xii. 2. *Multi ex his qui dormiunt in pulvere terræ evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in ignominiam sempiternam* 5. Ex innumeris locis novi Testamenti. Joh v 28. 29. et vi 39, 40, 44. et xi. 24, 25, 26. Actor. iv. 2. et xvii. 18. et xxiii. 6. et xxiv. 15. totum caput xv. 1 Cor. 1 Thess. iv 13—16. Apoc. xx. 5, 6. 6. Eandem resurrectionem deducimus ex resurrectione Christi, 2 Cor. iv. 14. 1 Thessal. iv. 14. Rom. viii. 11 1 Cor. xv. 12, 13 quod dedit locum veteribus vocare *resurrectionem Christi* clavim sepulchrorum nostrorum, et

pignus nostræ resurrectionis. Ac revera, præterquam quòd Christus fuit redemptor corporum et animarum, unde sequitur debere eum corpora suscitare, ut cum animabus vitâ à Christo partâ fruantur. Qualis est conditio capitis, talis est membrorum, quale enim esset corpus, cujus caput vivum, membra mortua? Quia *vivo, vos etiam vivetis*, Joh. xiv. 19. Christus à mortuis resurgens *primitiæ eorum qui obdormiverunt* factus est. Ut igitur primitiæ offerebantur Deo, alterâ paschatis Judaïci feriâ, in spem, imò ad consecrationem insecuturæ messis; ita Christus è sepulchro prodiens, et ut primitiæ dormientium coram Dei facie elevatus, suos omnes Deo consecravit, ut messis tempore ad eandem resurgant vitam. 7. Argumentum ex justitiâ Dei et bonitate peti potest; ut enim vitium et virtus totius hominis sunt, non autem unius partis, sic retributionem utrique illi rei propriam, ad totum hominem, non ad partem tantam illius pertinere par est. *Unusquisque debet reportare in corpore, quæ in corpore fecit, sive bona sive mala*, 2 Cor. v. 10. Non inelegans, ad hujus rei illustrationem in Judæorum Talmude apologus extat de cæco et claudo. Tandem illud ex inhabitante Spiritu probatur, qui pro suis templis elegit corpora, 1 Cor. iii. 16. et vi. 19. An pateretur Spiritus templa sua in pulvere semper manere, et sua domicilia in æternum perire? *Si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis, is qui suscitavit Christum è mortuis, vivificabit mortalia corpora, per inhabitantem ipsius Spiritum in vobis*, Rom. viii. 11.

IV. Equidem fatendum est difficile esse capere resurrectionis modum, sed cùm hoc sit Dei opus, cujus scientiam nihil effugere, cujus potentiam nihil remorari potest, quis hoc impossibile censeat? æquè facile est capere, quomodo restituet mortuis sua corpora Deus, ac quomodo Adami corpus ex pulvere formavit. Deus potest solo nutu revocare, quicquid unquam, vel à brutis, vel ab aliis hominibus absumptum et voratum, vel in cineres conversum, vel in humores solutum, vel in auras exhalatum. Hujus resurrectionis imaginem nobis exhiberi docet Paulus, 1 Cor. xv. 36—38. in semine moriente priùs, mox resurgente. Minutius Felix Cæcilio ridenti Christianos renasci se ferentes post mortem et cineres, ac favillas respondet, *Vide quàm in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditatur. Sol demergit et nascitur; astra labuntur et redeunt, flores occidunt et reviviscunt, post senium arbusta frondescunt, semina non nisi corrupta revirescunt.*

Ita corpus in sepulchro ut arbores in hiberno occultant virorem ariditate mentita. Expectandum nobis corporis nostri ver.

V. Omnes omninò homines resurgent, non pii tantum, sed et impii; illud probamus, 1. Ex loco jam allegato, 2 Cor. v. 10 *oportet nos omnes manifestari coram tribunali Christi, ut reportet unusquisque propria corporis, quodcunque fecerit sive bonum sive malum.* 2. Ex Joh. v. 28, 29. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in quâ omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et excitabuntur, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem judicii.* 3. Act. xxiv. 15. ubi Paulus ait *se spem habere in Deum resurrectionem fore justorum et injustorum.* 4. Ex Apoc. xx. 12, 13, 14, 15. ubi *mortui stantes in conspectu throni dicuntur judicati secundum opera ipsorum, et qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus dicitur in stagnum ignis.*

VI. Quum autem omnes resurrecturos dicimus, illos excipimus tamen qui tempore Christi adventus superstites sunt futuri, quos transmutandos tantùm dicimus, de quibus, loquitur Paulus, 1 Cor. xv. 52. 1 Thess. iv. 16, 17. *Non omnes quidem dormiemus, sed omnes transmutabimur; Mortui in Christo resurgent priùs, deinde nos vivi rapiemur cum ipsis in nubibus in occursum Christi.* Ideo judicandi distinguuntur in vivos et mortuos, Act. x. 42. Quomodo autem fiet transmutatio sanè ignoramus.

VII. Etsi pii et impii resurrecturi sint, diversa tamen futura est utrorumque resurrectio; *piorum* fiet à Christo, ut *capite* per efficaciam Spiritus vivifici, Rom. viii. 11. ad immortalitatem gloriæ; *impiorum* vero à Christo, ut *Judice* et Domino, per omnipotentiam suam, ad pœnas æternas.

VIII. Eadem corpora quoad substantiam resurgent; quod probatur, 1. Ex naturâ resurrectionis: quid enim est *resurrectio*, quàm δευτερα του πεπτοκότος στασις; quod cecidit tantùm potest dici resurgere; si novum corpus à Deo formaretur, esset non *resurrectio*, sed *creatio* 2. Illud probatur ex diversis Scripturæ testimoniis: *Carne meâ*, inquit Jobus xix. 26, 27. *visurus sum Deum, et oculi mei adspecturi. Idem corpus quod satum est in corruptione et fœdum*, suscitabitur *incorruptibile*, corpus *humile conforme reddetur corpori Christi*, 1 Cor. xv. 42, 43, 53. 54. Phil. iii. 21. 3. Ex similitudine nostræ resurrectionis cum resurrectione Christi; Christus enim non aliud et adscititium corpus assumsit, unde Luc. xxiv. 39. dicit, *Ego ipse sum*, &c

4. Ex justitiâ Dei, quæ postulat ut idem quod peccat niatur, idem quod certat, coronetur; ut anima eade sistet in judicio, ita et idem corpus; nec sanè potest cipi Deum velle punire corpora quæ nihil mali prom sunt, et ea corpora quæ peccata patrarunt non punire in pulvere relinquere; ut et corpora quæ animæ in jeju precibus, divinis laudibus, aliisque pietatis exercitiis m traverunt, sine remuneratione relinquere, alia verò cor justitiæ coronâ donare, quæ nihil præstiterunt. R Ambrosius serm. de fide et resurrect. *Hæc series es causa justitiæ, ut quoniam corporis animique comm est actus, quæ animus cogitavit, corpus effecit, utrun in judicium veniat, utrumque aut pœnæ dedatur, aut riæ reservetur.* Resurget *caro* et *quidem omnis, et qu ipsa, et quidem integra*, Tertull. de resurrect. ca cap. 63.

IX. Verùm etsi ea corpora substantiâ eadem futura diversissima erunt qualitatibus, *suscitabitur* cum incor tione corpus fidelium, et cum gloriâ, 1 Cor. xv. 42. Incorruptibilia quoque erunt corpora impiorum, sed disposita erunt, ut ferendis inferorum tormentis in æteri sufficiant absque cibo et somno.

X. Omnipotentiâ suâ suscitabit homines Christus, resurrectio est opus infinitæ virtutis, et hæc resurrectio brevissimo tempore.

XI. Ex hac doctrina resurrectionis varii usus elici sunt, tum ad nos solandos adversus terrores mortis, tur patiamur fortiter mala quibus exponimur, tum ut corp nostra ad immortalitatem suscitanda arma justitiæ faciat

CAPUT III.

De Consummatione Seculi, de Signis, quæ eam præcedent, et interitu Mundi.

1. Hanc consummationem præviderunt Ethnici, u Ovidius;

> *Esse quoque in fatis reminiscitur adfore tempus,*
> *Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli*
> *Ardeat, et mundi moles operosa laboret.*

Censorinus dixit anni magni hyemem summam esse d vionem, æstatem verò orbis incendium, mundumque al

nis exignescere, et exaquescere. Igne de cœlo depluente conflagraturum credunt Siamenses post certa annorum intervalla. Verùm quod Ethnici obscurè præviderunt, tota Scriptura docet expresse, 2 Pet. iii. 6, 7. Apocal. xxi. 1. Ps. cii. 26.

II. Ignoratur tempus istud; *nemo novit, ne filius quidem hominis*, Marc. xiii. 32. Matth. xxv. 13. Luc. xxi. 34, 35. Latet unus dies ut observentur omnes; horam ultimam Dominus ideò voluit incognitam, ut semper esset suspecta, ut dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. Judæorum, et quorundam Patrum opinio fuit mundum duraturum sex annorum millibus; at rationes quas afferunt absurdissimæ sunt.

III. Varia signa fore docet Scriptura, inter alia hæc pseudo-prophetarum et seductorum multitudinem, totius orbis per bella seditiones, pestilentias et terræ motus, conturbationem horribilem; piorum persecutionem, extremam morum corruptionem, et summam securitatem, universalem per totum terrarum orbem evangelii prædicationem, Antichristi revelationem, et ejus destructionem, imprimis Judæorum conversionem, de quâ expressè Paulus, Roman. xi. 12, 25, 26. Non tamen in terram Canaan restitutionem, ut delirant Judæi; signa in cœlis quoque fore docet Christus, Matth. xxiv. 29, 30. Luc. xxi. 25, 26. Quid autem intelligendum per *signum Filii hominis*, de quo Matth. xxiv 30. obscurum est; an ipse Filius hominis in nubibus apparens, an radii ejus gloriæ, an aliquid aliud? Judæi enumerant signa quindecim, quæ præcessura sint diem novissimam. Ea ex Hieronymo recensent Thomas in IV. sent. dist. 48. Qu. I. Art. IV. Sed hæc sunt commenta mera ac ridicula.

IV. Mundum tunc temporis conflagraturum docet Petrus in 2. epist. cap. iii. 7, 10, 12. atque sic mundum renovatum iri. Non credimus enim per hanc ultimam conflagrationem annihilandum esse, sed existimamus tantùm mutatum iri et renovatum. hoc patet, 1. Ex Ps. cii. 26. *Omnia ista sicut vestimentum veterascent, veluti pallium mutabis et mutabuntur.* In eo enim loco interitus mundi et creaturarum, verbo alterandi et mutandi exprimitur. 2. Ex 2 Pet. iii. 7. ubi elementa liquefactum iri legitur, ad instar metallorum, et confertur mundus secundus cum priore, qui diluvio obrutus è diluvio emersit, repurgatus, non annihilatus, sed præcipuè ex Rom. viii. 19. ubi dicuntur *suspirare creaturæ usque dum vindicentur ex servitute in libertatem gloriæ filiorum Dei;* hoc enim minimè diceretur si revera hæc

creaturæ annihilarentur. Nec verosimile est Deum tot eximia opera velle planè destruere; hæc æternæ potentiæ, sapientiæ, et bonitatis Dei monumenta manebunt, ac gloriam Dei prædicabunt, simulque admirationis nostræ objecta fient. Transmutabuntur igitur, et ea transmutatione liberabuntur creaturæ ab omnibus eorum abusibus, quos hodie præstant homines suâ idololatriâ et suis dissolutionibus; non amplius peccatoribus, et peccatis servient, sed plures Dei laudandi rationes suppeditabunt.

V. Modus tamen hujus immutationis nobis planè est ignotus, nec curiosè ista perscrutanda. At *quandoquidem omnia debent dissolvi, nobis videndum est quales nos oportet esse, in sanctis conversationibus et pietatis officiis, expectantes et accelerantes adventum diei* Dei, 2 Pet. iii. 11, 12.

CAPUT IV.

De Ultimo Judicio.

I. Hic expendendum est, an detur *Ultimum judicium*? Hoc probamus, 1. Ex ipsâ *Scripturâ*, loca sunt innumera. Eccl. xii. 14. *Omne opus Deus ipse adducet ad judicium.* Jud. vers. 14. *Venit Dominus in sanctis millibus, ad faciendum judicium contra omnes.* Act. xvii. 31. *Deus statuit diem, quo judicaturus est orbem.* Matth. xii. 36. et xvi. 27. xxv. 2 Cor. v. 10. 2 Timoth. iv. 1. 2. Ex ipsâ consideratione justitiæ Dei et Providentiæ: justitia Dei vult ut bonis benè sit, malis malè; at hoc in hâc vitâ non contingit, imò contrarium sæpiùs, virtus enim ut plurimùm conculcatur, dum vitium regnat. *Perversi resident celso mores solio, sanctaque calcant injusta vice colla nocentes.* 3. Ex libro conscientiæ, quæ sceleratos accusat, damnat, et torquet, atque eos ad tribunal Christi citat. 4. Ex consensu gentium. Quid enim sibi volnerunt Ethnici, qui Rhamnusiam Deam ultricem, Æacum, Minoa et Rhadamantum apud inferos judicaturos fingebant?

II. Videndum, quinam erit *Judex?* Judex *Deus* est, sed speciali œconomiâ judicium exercebitur per Christum, cui judicium traditum à Patre. Joh. v. 22. *Pater non judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio,* Act. x. 42. et xvii. 31. Et hoc judicium erit augustissimus actus, quo Christus è cœlo summa cum gloria et majestate redux,

judicaturus est universum terrarum orbem. *Judicabit* in eâ naturâ visibili in quâ passus est pro nobis. *Sedebit Judex qui stetit sub judice: damnabit veros reos, qui factus est falsus reus*, ait Augustinus. Hoc plurimùm faciet, tum ad *piorum* consolationem, qui pro judice habebunt patronum, fratrem; tum ad impiorum terrorem, qui videbunt regnantem, quem persecuti sunt: judicium autem exercebit secundum utramque naturam, *divinâ* conferente infinitam potestatem, scientiam, potentiam; *humanâ* actus judicandi visibiliter exercente. Judicabit quâ *Deus*, quia solius Dei est omnia scire, et solus potest manifesta facere cordium consilia, solus quoque potentiâ infinitâ ad tale judicium exequendum pollet; judicabit quâ *homo*, natura enim humana sententiam pronuntiabit. Habet omnes qualitates judicis; summus erit, nec ab eo dabitur provocatio, *omniscius*, *justissimus*, *potentissimus*. Gloria ejus erit maxima, Matth. xxv. 31. *Angelis* stipatus, Jud. vers. 14. 2 Thess. i. 7. Luc. ix. 26. qui judicandos *congregabunt*, Matth. xxv. 32. *separabunt*, Matth. xiii. 49. impios ad locum supplicii *detrudent*, Matth. xiii. 41, 42. et fortè pios ad cœlum *subvehent*. An sancti in hoc judicio futuri sint Christi assessores, decidere nolumus; hoc posse concludi ex loco 1 Cor. vi. 2, 3. non credimus.

III. Videndum quinam erunt judicandi? Omnes sanè judicabuntur, et angeli et homines; de angelis malis dubitare non possumus, 2 Pet. ii. 4. dicuntur enim *reservati ad judicium magnæ Dei*. Nisi malimus dicere judicium eorum latum fuisse, sed reservari ad pœnas post ultimum judicium luendas, longè iis graviores, quas jam patiuntur. De bonis non ausim affirmare; jam enim judicati sunt, et describuntur passim ut Christi Judicis comites. At præter angelos judicabuntur omnes homines, Judæ vers. 15. Rom. xiv. 10, 11, 12. 2 Cor. v. 10. Cujusvis sexus, conditionis, omnium locorum, temporum; nullus judicio subducetur.

IV. Quæritur, super quibus judicabimur? Respondemus 1. Judicabuntur facta externa, Jud. vers. 15. Ap. xx. 12, 13. 2. Dicta, Matth. xii. 36, 37. etiam inania et otiosa. 3. Occulta hominum, sive facta nemine conscio peracta, sive cogitationes, Eccl. xii. 14. 1 Cor. iv. 5. 4. Omissiones officii, Jac. iv. 17. Matth. iii. 10. Matth. xxv. 30. Luc. xii. 47.

V. Quæritur, quænam erit ratio et forma judicii? Respondemus consistere in hisce tribus; 1. In *causæ cognitione*, 2. In *sententiæ pronunciatione*, 3. In *executione*.

Causæ cognitio non erit difficilis Judici *omnis* 13. Libri omnes aperientur. Dan. vii. 10. A *Liber providentiæ et omniscientiæ Dei*, de quo 16. et lvi. 9. *Liber conscientiæ*, in quo scripti ab unoquoque boni vel mali factum erit. *Lib* xx. 12. hisce verbis nihil Judici fore incog Scriptura, metaphorâ sumptâ à consuetudine judiciis adhiberi solita. Norma hujus judici *latio; Ethnici* judicabuntur juxta *naturalem r Judæi* juxta *legalem œconomiam, Christiani gelium;* sic qui sine lege peccarunt, sine lege ju Rom. ii. 12. Sententiæ pronuntiatio fiet po causam, primò absolvens, postea condemnans; tione incipiet, ad ostendendum se esse proniore nandum, quàm ad condemnandum, ad majus gaudium, et ad acriorem impiorum dolorem set videri nonnullis, Christum recensentem, N quale pronuntiabit judicium in ultima die, nor nisi operum misericordiæ erga Christum, quum patratio possit imputari, nec defectus possit innumeris hominibus, qui nihil de Christo audi rectè observatum hæc exempli gratiâ tantum Christo, et quidem juxta Catechesim veterum E cujus rudera extant in Paraphrasi Chald. Ec cap. ix. 7. Quæritur, an peccata piorum æqu rum revelabuntur? Nos non existimamus: peccata revelarentur, caderet hoc in confusion à quibus debet exulare. 2. Quia gratuita Ch cordia non vult recordari peccatorum fidelium non est verisimile Christum velle exprobrare s eorum peccata. Sequetur executio, Matth. xx *bunt impii ad supplicium æternum, justi ver æternam.* Nemo poterit judicis istius potestate sapientiam fallere, æquitatem flectere, judicium ille Judex nec gratiâ prævenietur, nec miserico tur, nec pecuniâ corrumpetur, nec pœnitentiâ v tione mitigabitur.

VI. De loco quæritur? Designatur per *aëre* 1 Thess. iv. 17. Matth. xxiv. 30. Ap. i. 7. *Ecc nubibus, et videbit eum omnis oculus.* Vallem ex malè intellecto loco Joëlis iii. 2. definire pro l ridiculum est; vallis Josaphati hîc designat omn ubicunque Deus in hostes Ecclesiæ judicia de cere. Sermo est allegoricus, de Ecclesia Dei e

manu liberanda; eodem modo quo olim Josaphato insignem indulserat victoriam Deus de Moabitis et Ammonitis.

VII. De tempore judicii quæritur etiam, et idem dicimus, ac de tempore finis mundi. Nihil addo ampliùs nisi verba, quæ Hieronymo tribuuntur: *Sive comedam, sive bibam, sive aliquid aliud faciam, semper vox illa in auribus meis sonare videtur: Surgite mortui, et venite ad judicium. Quoties diem judicii cogito, totus corde et corpore contremisco. Si qua enim præsentis vitæ est lætitia, ita agenda est, ut nunquam amaritudo futuri judicii recedat à memoria.*

CAPUT V.

De Inferno ac pœnis infernalibus.

I. Vox *inferni*, ut et Heb. שאול, et Græca ἅδης, ut plurimum sumitur in Scripturâ, imò ferè semper pro *sepulchro*, hic sumimus pro loco damnatorum, aliàs loco Gehennæ parato Diabolo et angelis. *Gehenna* dicitur voce ducta à valle filiorum *Hinnon*, in qua impii Israëlitæ horrendâ idololatriâ Molochi, crudelem Phœnicum superstitionem imitati, solebant infantes, vel per ignem traducere, vel candentibus statuæ idoli brachiis innixos, horrendis cum cruciatibus ustulare, circumstrepentibus tibiis ac tympanis. Eadem argumenta quæ probant dari ultimum judicium, probant esse inferos: locum inferorum quærere sanè curiosum nimis est. In Islandiæ monte investigare absurdum.

II. Pœnæ infernales consistent, non in annihilatione; sed 1. In privatione omnium bonorum, ac in separatione à gloriosa Dei facie. 2. In sensu iræ Dei et in doloribus summis.

III. An in ignem materialem conjicientur corpora, imò an igne cruciabuntur animæ, controvertitur; curiosum hoc nimis, omittimus. Hæc tantùm notasse sufficiat, 1. Fore inæquales pœnas, Matth. x. 15. *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii quàm urbi illi.* Nec mirum; pœna respondere culpæ debet, et peccata alia aliis graviora esse quis nescit? Luc. xii. 47, 48. Matth. xxiii. 14. 2. Fore adeò intensas, ut nec mente concipi, nec verbis exprimi possint, hoc docent phrases Scripturæ *vermis rodentis, ignis ardentis, fletus et stridо-*

ris dentium, dolorum parturientis. 3. Fore æternas, unde meminit Scriptura ignis æterni, mortis æternæ, vermis non morientis, ignis inextinguibilis. Nec mirum si æternæ sint, siquidem Majestatem infinitam offenderunt, nec unquam in eam peccare desinent damnati.

CAPUT VI.

De Vitâ æternâ.

I. NIHIL superest nisi ut verbum addam de Vitâ æterna, de quâ pauca dicere sufficiet. Felicitas fidelium non erit unicum simplex bonum, sed status variorum bonorum congerie perfectus. 1. Consistet in immunitate ab omni malo, Ap. xxi. 4. et omni peccato. 2. In perfectâ Dei cognitione, videbimus enim Deum. 3. In familiari cum Deo conversatione, et intimâ cum eo unione. 4. In possessione omnium bonorum, quæ ex communione Dei fluunt. 5. In visione Christi. 6. In summo Dei amore. 7. In ineffabili gaudio. 8. In gloriâ tantâ, quanta potest creaturæ competere.

II. Hanc exprimere nulla lingua potest, nullus calamus adumbrare; hinc sub symbolis rerum præstantissimarum, dulcissimarum et utilissimarum describit Scriptura. Nota sunt hæc symbola, nec referre necesse est. Sed sequentia annotanda. 1. Non existimandum, Dei essentiam oculis corporeis posse conspici, ut quidam delirarunt; qui enim fieret, ut spiritus sub sensus caderet, sed visio Dei importat tantùm, *perfectam ejus cognitionem*, quantam poterit habere creatura, non amplius in ænigmate, non in speculo; et illius *possessionem*. 2. Non igitur omni ex parte cogniturі sunt beati Deum, quasi nihil eos lateat, finitum enim non est capax infiniti, et longè plura ignorabunt fideles quàm cognoscent, sed quidquid ab iis cognosci poterit, cognoscetur. 3. Æterna erit felicitas, quia æternùm vivent cum Deo, Ap. xxii. 5. ipsi Gentiles agnoverunt beatitudinem plenam consistere non posse cum metu ejus amittendæ. 4. Non tantùm *animæ* felices futuræ, sed et corpora gloriosa erunt, ab omni corruptione, peccato liberata, et Christi corpori glorioso similia; *immortalia*, nullis *malis obnoxia* et *doloribus; splendida, coruscantia*, oculis mortalibus vix aspectabilia, cujus specimen in Mosis radianti facie exhib-

itum, aut in Christi transfiguratione; *valida et robusta, agilia et velocia, spiritualia*, id est, non amplius cibo vestimentisque indigentia. 5. Beati in æternum Deum laudaturi sunt, non tantùm mente, sed et sermone; quamvis ignoretur, quâ linguâ sint usuri. 6. In cœlo manebunt, unde hæreditas dicitur servari in cœlis, 1 Pet. i. 4. 2 Cor. v. 1. Matt. viii. 11. Joh. xiv. 2, 3.

IV. An dentur gradus gloriæ ut et pœnæ, disceptatur; dari verisimile est et ex quibusdam locis videtur colligi, imprimis ex 1 Cor. iii. 14, 15. et 2 Cor. ix. 6. Res tamen obscura est, quamvis satis facilè capi possit, Deum posse augere in infinitum sensum sui amoris, ac sui cognitionem.

CHRISTIANÆ THEOLOGIÆ

LIBER DECIMUS TERTIUS.

De Ecclesiâ.

CAPUT PRIMUM.

De Ecclesiæ voce et Definitione.

I. HACTENUS de officiis ac beneficiis Christi diximus, jam ordo postulat, ut de Ecclesiâ, cui uni destinantur et applicanda veniunt, dicamus; nec enim alium in finem venit Servator in mundum, quàm ut Ecclesiam sibi compararet, et ad communionem gratiæ et gloriæ vocaret.

II. Derivatur Ecclesia ἀπὸ του ἐκκαλεῖν, à convocando, et ita appellabatur in rebuspublicis democraticis cœtus populi, præconio aliquo publico convocati, et in certum locum collecti. Optimatum conventus vocabatur συγκλησία vel βουλὴ. Voci Ecclesiæ respondet vox Græca συναγωγῆς, ἐπισυναγωγῆς, πανηγύρεως, et Hebræorum vox קהל unde derivari videtur τὸ καλειν apud Græcos, et calata comitia apud Romanos, quæ per præconis vocem convocabantur. Observandum est tamen vocem συναγωγῆς respondere voci Hebraicæ עדה, et plerumque in novo Testamento, significare cœtus Judæorum, qui religionis causâ habebantur, vel locum cœtus, Luc. vii. 5. Imò vix unum in sacro codice locum inveniri viri doctissimi notant, ubi ea vox Christianorum societatibus denotandis adhibeatur. Paulus quidem Hebræos monet ne deserant ἐπισυναγωγὴν ἀυτῶν Heb. x. 25. sed ita loquitur, quia Hebræos alloquens, eorum locutionibus se accommodat, nec tamen utitur voce συναγωγῆς Jacobus solus utitur hâc voce συναγωγῆς, Jac. ii. 2. ubi Judæos potissimùm alloquitur, quibus rem gratam facturum se noverat, si voce apud ipsos frequenti uteretur. Vox πανήγυρεως ab Apostolo usurpatur, Heb. xii. 23. quæ vox à Græcis adhibebatur, ad designandum conventum illum populi, qui invitabatur ad specta-

culum aliquod solemne, et oratio, quæ habebatur in hoc conventu, vocabatur παπγυρικὸς λόγος.

III. Etsi Ecclesiæ vox pro cœtu publico usurpata aliquando reperiatur, sive confuso illo ac tumultuario, Act. xix. 32, 40. sive certo consilio convocato, Ps. xxvi. 5. et 12. inter se collatis, certissimè tamen, tum in veteri Testamento secundum versionem LXX. tum in novo cœtum sacrum designat, ac significat, 1. Vel *cœtum electorum, qui efficaciter vocantur, per verbum et Spiritum*, et corpus Christi mysticum, ut Eph. v. 23. *Christus dicitur caput Ecclesiæ, et Servator corporis sui.* 2. Vel *cœtum illorum omnium, qui fidem Christi profitentur, et communionem habent sacrorum;* ut quum Ecclesia dicitur crevisse quotidie, Actor. xvi. 5. et xiv. 23. et passim fit mentio Ecclesiæ Romanorum, Ephesiorum; ac in eo cœtu sunt duo ordines hominum; alii qui professione externâ sunt Christiani, alii qui reverâ credunt; eo respectu comparatur Ecclesia, *areæ*, in quâ palea est cum tritico, *sagenæ*, in quâ boni et mali pisces, *domui*, in quâ vasa aurea et argentea. 3. Vel *cœtum rectorum et pastorum Ecclesiæ, quibus commissa est dispensatio verbi et sacramentorum, et disciplinæ administratio*, quò Christus respicit juxta plerosque, Matth. xviii. 17. *Dic Ecclesiæ* &c. Licet alii explicent alio modo, imò quidam credunt intelligi per Ecclesiam, multitudinem eorum imprimis, qui ad eandem pertinebant sectam, prout istius usus quædam vestigia videre est apud Thalmudicos.

IV. Ratio triplicis hujus acceptionis est, quod Ecclesia potest spectari, vel repectu *communionis internæ* cum Christo, vel respectu *professionis externæ*, vel respectu *regiminis et gubernationis sacræ*. Pro diversâ hac acceptione potest diversimodè definiri. Primo respectu definitur, *Societas religiosa hominum electorum, quos Deus per verbum et Spiritum efficaciter vocat, quique non tantùm in Christum credere profitentur, sed et revera credunt, ac vitæ novitate fidem suam probant.* Secundo respectu definitur, *Societas religiosa hominum præconio evangelii vocatorum.* Tertio respectu definitur, *Cœtus rectorum et pastorum Ecclesiæ, qui legitimâ vocatione et potestate instructi sunt, ad verbum prædicandum, sacramenta administranda, et sanctam disciplinam exercendam.*

CAPUT II.

In quo explicatur Definitio prima Ecclesiæ, simulque demonstratur vera membra Ecclesiæ esse Fideles.

I. DIXIMUS Ecclesiam esse *Societatem religiosam hominum electorum, ministerio verbi vocatorum efficaciter in iis operante Spiritu Sancto.* Vocamus illam 1. *Societatem*, nec enim credendum unam personam constituere Ecclesiam, nec etiam existimandum plures personas, nisi in societatem coalescant, posse componere Ecclesiam, unde vocatur *grex*, &c. 2. *Societatem religiosam* dicimus, ut distinguamus à societatibus naturalibus et civilibus, quales sunt societates familiarum, urbium, provinciarum, rerumpublicarum, artium, scientiarum, exercitationum; Ecclesia est societas personarum simul conjunctarum vinculis conscientiæ. 3. Societatem vocamus religiosam hominum *vocatorum per ministerium verbi Dei*, ad distinguendam eam à *societatibus religiosis solo naturæ motu formatis et coalescentibus.* 4. Societatem eam dicimus esse hominum *electorum* quos Deus *vocat*, quia sola *electio* non sufficit ad constituendum verum membrum Ecclesiæ. 5. Societatem eam dicimus esse hominum vocatorum efficaciter ac verè credentium, ut sic excludamus ab Ecclesiâ hypocritas, hominesque reprobos.

II. Sic responderi potest ad varias quæstiones quæ formari possunt. Quæritur, *primò*, an *hypocritæ* et *reprobi* sint vera membra Ecclesiæ illius, cujus Christus est caput, et an ad eos pertineant prærogativæ illæ quæ concessæ Ecclesiæ à Christo? Nos negamus absolutè, ac sententiam hanc tuemur; 1. Ex variis titulis, qui dantur Ecclesiæ, relatè ad Christum, (1.) Vocatur *corpus Christi*, et *ejus membra* dicuntur *membra Christi*, Ephes. v. 23. Col. i. 18. at corpus Christi non aliud est, quàm illud quod revera *salvandum est*, Ephes. v. 23. quod *crescit in incrementum*, Ephes. iv 16. quod Spiritu Christi animatur; *Quisquis enim Spiritum Christi non habet non est Christi*, Roman. viii. 9. *Non potest Christus habere membra damnata*, inquit Aug. contra Cresc. lib. ii. cap. 21. (2.) Dicitur *sponsa* Christi, quæ ita arctè unitur cum eo, ut non sint duo, sed unum, Eph. v. 28. et quam ut propriam carnem diligit. At nunquam sibi univit Christus reprobos; mundo adhærent, non Christo. (3.) Dicitur *ovile Christi*, Joh. x. 16. at illæ sunt tantum oves Christi, quæ vocem Christi audiunt,

sanctitas gentis Judaïcæ. 3. Quia purificata est et sanctificata à Spiritu Sancto. Dici quoque potest *sancta*, respectu doctrinæ quam docet, quæ dogmatum suorum puritate, præceptorum sanctitate, quicquid in omnibus legislatorum, hierophantarum et philosophorum placitis laudabile legitur, superat.

V. *Catholica* dicitur, non modò quia *orthodoxa*, quo sensu Patres vocem *catholicæ* adhibebant, imperatores *catholicos* vocando, imperatores *orthodoxos*; ideò lege quâdam Theodosii apud Sozomenum, lib. vii. cap. 4. sancitum, ut illorum duntaxat Ecclesia *Catholica* diceretur, qui Trinitatem divinam æquali honore colerent; et qui diversum sentirent, *hæretici* appellarentur: sed 1. quia per totum orbem diffusa est, oppositè ad Ecclesiam veteris Testamenti, quæ angustis Judææ finibus ineludebatur, nec certo loco affixa est. 2. Quia absque discrimine ex quovis hominum genere, ordine, et statu legitur, non enim *est distinctio vel Judæi, vel Græci*, Rom. x. 12. Act. x. 35. 3. Quia per omnia tempora durare debet ad consummationem seculi.

CAPUT IV.

Quo sensu Ecclesia dicatur visibilis *et* invisibilis?

1. PROUT duplex est vocatio, quæ ad Ecclesiam dirigitur, alia *externa* per *verbum*, alia *interna* per *Spiritum*, et prout duplex est *status* Ecclesiæ, alius *externus*, alius *internus*, ita potest dici *visibilis* et *invisibilis* diverso respectu. Vocatur *visibilis*, 1. Ratione *hominum* qui eam constituunt, et qui sunt visibiles. 2. Ratione *prædicationis* verbi et *administrationis* sacramentorum; quo sensu ministerium evangelii vocatur *candelabrum*, quod lucet in Ecclesia. 3. Ratione *splendoris*, quo aliquando fulget in mundo. Vocatur *invisibilis* ratione *fidei*, *spei* et *charitatis*, quæ constituunt essentiam Ecclesiæ, et quæ Deo soli notæ sunt, et ratione *fidelium* quà talium; etsi enim fideles quà homines sint *visibiles*, non sunt *visibiles* quà *fideles*, multi videntur qui non sunt. De Ecclesia ratiocinari debemus, ut de homine; potest dici idem homo *visibilis* et *invisibilis*, *visibilis* quoad *corpus*, *invisibilis* quoad *animam*. Verùm ut hæc materia clariùs elucidetur, observandum quatuor posse fieri quæstiones.

Primò, an possit cognosci certâ cognitione aliquam societatem esse societatem Christi seu veram Ecclesiam? cui respondemus posse cognosci, videndo Ecclesiam quandam, id est, corpus quoddam personarum, quæ profitentur Religionem Christianam; et quidem posse cognosci cognitione certâ, an hæc sit Ecclesia Christi; nam expendendum est tantùm, an ejus ministerium sit conformè verbo Dei, an nihil de verbo illo detrahat, an nihil illi addat; si enim tale sit ministerium, et si hæc Ecclesia reperiatur immunis ab hæresi, ab omni superstitione et idololatria, aliena à tyrannide, opposita sordibus vitiorum, dici certò potest sub hoc ministerio et in hâc communione, Deum conservare et nutrire electos suos, et unusquisque eam intuens jure meritò dicere valet, En societas in quâ certò sunt homines qui salvabuntur. Ratio est, quia Deus nullibi ministerium publicum verbi conservat, quin ibi habeat aliquos ex suis electis.

Secundò quæritur, an possint distinctè agnosci illæ personæ, quæ sunt vera membra Ecclesiæ? Respondemus non posse eas distincte cognosci; potest quidem dici ex judicio charitatis hos vel illos esse fideles, sed illud judicium nec est certum nec infallibile, et hoc respectu dicitur Ecclesia *invisibilis*, Rom. ii. 28. *verus Judæus non est in aperto, sed in occulto, nec vera circumcisio quæ est in carne;* quæ faciunt hominem fidelem sunt *invisibilia*, *fides*, *charitas*, *spiritus sanctus*, *solus Deus novit qui sui sunt*, 2 Tim. ii. 19. Ideo donum regenerationis vocatur *occultus homo*. Ecclesia est *sponsa Christi*, sed cujus forma latet, *formosa est intus*, Ps. xlv. 13. Nec necesse est agnoscere in particulari illas personas; necesse est illi qui Ecclesiæ se debet adjungere cognoscere ubi sit vera Ecclesia, at non opus est ut agnoscat in particulari, quænam sint genuina membra in individuo. Prius potest illi innotescere, posterius Deo soli notum.

Tertiò quæritur, an semper vera Ecclesia sit *visibilis* quâ *Ecclesia*, id est, quatenus habet suos cœtus publicos et omnium cognitioni expositos? Respondemus ita aliquando Ecclesiam vexari, ut nullus cœtus illustris in mundo appareat: similis est Christo capiti, habet suum statum exinanitionis et exaltationis, aliquando tranquilla sacrorum administratione fruitur, ac incorrupto ministerii splendore, et publico cultûs Divini exercitio coruscat: at aliquando persecutorum irâ et hæreticorum potentiâ latere cogitur; ut columba degens in fissuris petræ; ita erat sub veteri Tes-

tamento *tempore Eliæ*, 1 Reg. xix. quum solum se relictum putabat Prophetа, quamvis essent 7000 hominum, qui coram Baal non flexerant genua; *temporibus* illis de quibus Azarias, 2 Chr. xv. 3. dicit *plures dies præteriisse, in quibus Israëlitæ fuerunt sine vero Deo, sine sacerdote docente, sine lege*, sub *Achazo*, *Manasse*, *Amone*, et aliis impiis regibus, sub quibus juge sacrificium interruptum erat, fores templi clausæ, altare ad formam Damasceni ab Uria scilicet sacerdote constructum, et idololatria passim introducta, 2 Reg. xvi. 11, 12, 14. 2 Chr. xxiii. 3, 4, 24, 25. sub *captivitate Babylonicâ* in quâ gravissimè lugebant fideles sibi Prophetas, et omnia signa ablata fuisse, Psalm lxxiv. 9. sub *persecutionibus* primis; quibus fideles in cavernis latitare cogebantur; sub *Arianorum* furoribus, quibus temporibus liberum Orthodoxi non habebant exercitium, et totus orbis ingemiscens mirabatur se esse Arianum: tandem sub *Antichristo* non raro. Per quæ tamen tempora Deus servos suos sigillo obsignavit, Apocalyps. vii. 3. ac mirum in modum Ecclesiam conservavit.

Quartò quæritur, an Ecclesia sit semper ita visibilis, quâ vera Ecclesia, ut semper dici possit, *hîc est vera Ecclesia?* Respondemus ea tempora incidere aliquando, quibus ministerium corruptum est, verbum adeò neglectum, ac totus Christianismus ita involutus erroribus, superstitionibus et falsis cultibus, ut si quis judicare velit ex iis quæ apparent, vix dici posset, hîc esse Ecclesiam Dei, adeò est deformis; ita fuit sub *Judicibus* aliquando Ecclesia veteris Testamenti, quum post mortem Josuæ, Israëlitæ relicto Deo patrum suorum, post alios Deos iverunt, Jud. ii. 12. et iii. 6, 7. et sub Antichristi seculis ante reformationem.

II. Sic semper distinguendi sunt in Ecclesia, 1. *Status internus* et *externus*. 2. Duo tempora, *tempus prosperitatis* et *tempus persecutionis*. 3. *Status purus et status corruptus;* prout enim major est corruptio vel minor, eò magis vel minus est *visibilis*. Ad alias quæstiones pergendum.

CAPUT V.

An Ecclesia sit infallibilis et an deficere possit?

I. QUÆRITUR igitur, an Ecclesia sit infallibilis? Ad quod respondemus tribus hisce propositionibus. 1. Apostolos fuisse infallibiles. 2. Sed post tempora Apostolorum,

nec ullum fidelem, nec ullum cœtum Ecclesiæ, esse erroris immunem; Ecclesia enim militans variis err ut et variis peccatis est obnoxia. 3. Nullum esse i cœtum visibilem particularem, qui non possit essen errare in fide et in moribus, in quæstionibus juris e *Prima* propositio non indiget probatione. *Secunda* tur ab imperfectione regenerationis nostræ, et cogni *ex parte enim cognoscimus*, at infallibilitas supponit tam rerum cognitionem. *Tertia* comprobatur exp omnium seculorum, ita Ecclesia Israëlitica erravit, Aaron vitulum aureum fudit, et altare extruxit, xxxii. 2—5. Ita quum post mortem Josuæ deser Dominum et servierunt Baalim, Jud. ii. 13. Ita erravit goga tempore Christi, quando Christum condemnavi Spiritus Sanctus prædixit Ecclesiam erraturam ultim poribus, 2 Thess. ii. 9, 11. 1 Tim. iv. 1. 2 Pet ii. 1. inde injungitur fidelibus, ut explorent spiritus, 1 Joh 1 Thess. v. 21. quod non præscriberetur, si Ecclesi fuisset infallibilitas. Verùm hîc observandum, distin dos esse fideles à cœtu visibili; nullus est cœtus visibi non possit essentialiter errare, sed quoad fideles, exi mus fidelem non posse in eos errores cadere, qui ns et essentiam veræ fidei destruant, et impediant sa quia non potest vera fide excidere; in errores potest cadere et perniciosos errores aliquando, sed in iis non non quod impossibile sit à parte ejus, cùm è contra n fallibilitas ingenio humano, sed quia Deus non patit supra vires tentetur.

II. Quæritur etiam, *an Ecclesia deficere possit?* pondemus 1. posse deficere hunc vel illum cœtum p larem visibilem, unde aliquando Deus interminatur s turum candelabrum, Ap. ii. 5. 2. Non posse planè d totam Ecclesiam, ita ut nulla sit Ecclesia. Illud evin variis argumentis. (1.) *A promissionibus divinis*, Christus spondet, *Portæ inferorum non prævalitur versus Ecclesiam*, Matth. xvi. 18. (2.) *A naturâ Fœ gratiæ*, quod cum Ecclesiâ pepigit Deus, quodque æte est, nec unquam abrogandum. Isai. lix. 21. et lxi. 8 xxxi. 35, 36. et xxxii. 40. Ezech. xxxvii. 26. Ps. lxxxi (3.) A naturâ Ecclesiæ Christi; *corpus* est *Christi* divelli ab eo nequit; caput sine corpore esse non p *sponsa Christi*, quam desponsavit in æternum, re Christi, quod in secula non corrumpendum est aut ev dum, Dan. ii. 44.

CAPUT VI.

De Notis veræ Ecclesiæ.

I. DIXIMUS posse dignosci, *ubinam sit vera Ecclesia*, jam ergò investigandæ sunt ejus *Notæ;* idque postquam observaverimus, 1. Per *notas* nos intelligere *signa* quædam externa in sensus incurrentia, per quæ in rei occultæ cognitionem devenitur. 2. Duo requiri ad notam, (1.) ut sit propria, (2.) ut sit notior re cujus est nota. 3. Non agi de notis ex quibus dignosci possint fideles ab hypocritis, sed de notis ex quibus dignosci possit, an aliqua communio sit vera, ut nos illi adjungamus. 4. Non agi de notis Ecclesiæ Christianæ in genere; professio enim Christianismi satis distinguit eam ab aliis, sed de notis veræ Ecclesiæ, inter eos cœtus qui Christianos sese vocant.

II. Hoc posito dicimus veras notas esse, 1. *Puram verbi Divini prædicationem.* 2. *Legitimam sacramentorum administrationem.* 3. *Disciplinæ exercitium;* sed imprimis *puram verbi Divini prædicationem:* nam non parem habet necessitatis gradum *sacramentorum administratio*, quæ abesse ad tempus potest, ut visum in Ecclesiâ Israëliticâ in deserto, quæ circumcisione caruit. Idem dicimus de *disciplinæ exercitio.* Nec obstat, quod verbi et sacramentorum dispensatio sint bona et dotes Ecclesiæ, utrumque enim verum est; ut in rebus terrenis possessio et usus earum, est nota translati dominii, neque propterea desinit fructus esse.

III. Probamus autem hanc esse notam veræ Ecclesiæ, 1. Ex variis locis Scripturæ, Joh. x. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt et me sequuntur*, Joh. viii. 31. *si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis*, et vers. 47. *Quisquis ex Deo est vocem Dei audit*, unde ex illâ notâ dignoscuntur falsæ Ecclesiæ à vera, 2 Joh. vers. 9. *Omnis qui recedit et non permanet in doctrinâ Christi, Deum non habet, qui permanet in doctrina, hic et Patrem et Filium habet*, vers. 10. &c. 2. Probatur ex eo quòd illa nota est *propria* Ecclesiæ, ac *soli veræ* Ecclesiæ convenit; sola enim Ecclesia est domus Dei, columna et firmamentum veritatis; sola fundamento apostolorum superstructa; sola habet sigilla fœderis. Eâ notâ quidem gloriantur hæretici, sed falsò. 3. Quia non alia certior est, quàm ea quæ petitur ab eo quod constituit, conservat, et ahit Ecclesiam; at talis est verbi prædicatio, unde ministerii verbi ablatio, post se Ecclesiam trahit.

Atque ea nota notior est Ecclesiâ, quamvis enim Ecclesia sit Scripturâ notior nobis, cognitione confusa et inchoata, quia est medium quod nos ducit ad Scripturam, et quod nobis eam tradit, Scriptura tamen notior est Ecclesiâ cognitione distincta, quia distinctè et clarè non potest cognosci vera Ecclesia sine vera ac legitima prædicatione. *Non audiamus, hæc dico, hæc dicis, sed audiamus, hæc dicit Dominus; sunt sane libri Dominici, quorum auctoritati utrique consentimus, utrique servimus, ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.* Aug. de unit. Eccles. cap. 3.

IV. Hîc autem observandum est 1. Eò puriorem esse Ecclesiam, quò perfectius habet istas notas. 2. Dari istarum notarum quandam latitudinem, ut gradus varios admittant puritatis, modò perfectiores, modò imperfectiores. Quæ tamen latitudo non eò usque extendenda, ut errores fundamentales tolerentur, sed tantùm nævi et errores leviores. 3. Non statim veræ Ecclesiæ nomen amittere Ecclesiam, quæ alicubi in doctrina impingit, et licèt non sit perfectè pura. Alias notas non agnoscimus, nam vel *soli* Ecclesiæ non competunt, vel non *semper*, vel Ecclesiâ longè ignotiores sunt.

V. Sanè non dignosci potest vera Ecclesia, 1. Ex aliquo *superbo nomine*, quod sibi arrogabit, nam multi titulum habent sine re; *Singuli*, ait Lactantius, *quique cœtus hæreticorum, se potissimùm Christianos, et suam esse Ecclesiam Catholicam jactant.* 2. Non ex *antiquitate* quam jactabit; non semper antiquitas convenit Ecclesiæ, quia initio non fuit antiqua: et eam quoque jactant Pagani; *antiquitas et consuetudo sine veritate, vetustas est erroris;* præterquam quod ejus cognitio pendet ex accurata omnium seculorum notitia. 3. Non ex *duratione;* hæc siquidem falsis multis religionibus competit. 4. Non ex *multitudine;* nonne enim audimus, inquit *Athanasius*, aut potius *Theodoretus*, Dominum Jesum dicentem, multi vocati, pauci electi; porta est angusta, quæ ad vitam ducit, et pauci sunt, qui eam ingrediuntur? Quis ergò non mavult esse ex numero paucorum, qui salvantur, quàm ex multitudine eorum qui per latam portam in exitium ruunt. Quem latet, *Paganismum et Muhammetismum*, Christianismum longè superare? 5. Non ex *successione Episcoporum continua.* Nam quis ignorat Arianos episcopos aliquando successisse orthodoxis, et Scribas ac Pharisæos sedisse in cathedra Mosis? 6. Non ex *unione membrorum;* nam

competit hæc multis falsis religionibus; ac præterea unio potest esse fucata, et à veritate doctrinæ sejuncta: datur *unio mala*, quæ nihil aliud est, quàm *exitialis conspiratio*. 7. Non ex *miraculis*; iis enim gloriantur pseudoprophetæ, Matth. vii. 22 et nemo est, qui nesciat multas fraudes super hac re committi. 8. Non ex *felicitate temporali*; si enim ex eâ notâ judicium de primorum seculorum Ecclesiâ feratur, eam falsam fuisse inferetur.

CAPUT VII.

De Capite Ecclesiæ.

I. Ecclesiæ caput *Christus* est, docente tota Scriptura; Eph. i. 22. *et eum dedit caput, super omnia, Ecclesiæ*, Eph. iv. 15, 16. et v. 2. Col. i. 18 et ii. 10. Christus habet omnia quæ in capite requisita sunt. 1. Ducit, dirigit, et regit omnia sua membra; caput est quod nec dormit nec dormitat. 2. Influit in membra quicquid habeat motus vitæ, Joh. xv. 5. Comparatur *palmiti*. Ex ejus *plenitudine haurimus gratiam pro gratia*, Joh. i. 16. *ascendit super cœlos ut impleat omnia*, &c. Eph iv. 10, 15, 16. 3. Dignitate super alia membra eminet. 4. Inter illum et membra arctissima est conjunctio. Quamvis semper Ecclesiæ *caput* fuerit Christus, tamen præcipuè factus est caput *per exaltationem*, quando *Pater ei omnia subjecit*, Eph. i. 20, 21, 22.

II. Nullum aliud caput est Ecclesiæ in terris. 1. Quia de nullo alio capite meminit Scriptura; dicit quidem Paulus Christum alios constituisse pastores, alios *apostolos*, &c. Eph. iv. 11. sed nullibi constituisse caput legitur. 2. Quia si daretur aliud caput Ecclesiæ, diceretur Ecclesia alterius corpus quàm Christi. 3. Quia impossibile est Ecclesiam toto orbe dispersam, ab uno mortali regi, qui nec omnibus locis interesse, nec omnia quæ ubique fiunt videre et cognoscere per se potest. Nec dubitare poterit, qui et virium humanarum infirmitates non ignorat, humanæ sapientiæ, prudentiæ, humanique judicii angustos limites et curtam supellectilem non nescit, ac simul gubernandæ Ecclesiæ gravitatem attendit.

III. Sub veteri Testamento fuit quidem summus pontifex, sed, 1. Ecclesia intra limites Judææ coarctabatur, at nunc Ecclesia in toto orbe dispersa est. 2. Summus ille pontifex

aunquam dictus est *Caput* et *Monarcha* aliorum sacerdotum, licèt ordine primus inter eos esset, unde magni Synedrii censuræ subfuit. 3. Typus fuit Christi summi Sacerdotis, non verò ullius mortalis.

IV. Petrus minimè fuit caput Ecclesiæ et aliorum apostolorum. *Primus* quidem fuit inter apostolos, vel *vocatione*, quia primus *vocatus*, vel *ætate*, vel quoad *dona*, sed negamus datam fuisse illi aliquam auctoritatem supra cæteros apostolos, per quam constitutus fuerit Pontifex œcumenicus, vicarius Christi et caput Ecclesiæ. Idque probamus, 1. Quòd nulla talis superioritas legitur collata supra cæteros à Christo, vel ab ipso Petro usurpata, vel ab apostolis agnita. 2. Quòd munus apostolicum summum est, nec majus agnoscit. 3. Quia ipse Petrus à collegis ire in Samariam jussus est, Act. viii. 14. 4. Quòd ipse Paulus testatur se nulla in re inferiorem esse τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων, 2 Cor. xi. 5. et xii. 11. et Petrum reprehendit ipsum, Galat ii. 11. 5. Ex Petri declaratione, qui se cum aliis eodem gradu collocat, et omnem in Ecclesia dominationem prohibet. 1 Pet. v. 1, 2, 3. *Seniores inter vos hortor, senior vobiscum*, &c. *Pascite gregem non coacte, sed libenter, non sicut dominantes cleris. Hoc erant*, inquit Cyprianus, *utique et cæteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædili, et honoris et potestatis.*

V. Non super Petri personam, sed super Petri doctrinam, aut super petram Christum, fundata est Ecclesia; *nullum enim aliud fundamentum præter Christum*, 1 Cor. iii. 11.

VI. *Claves regni cœlorum* ipsi concreditæ sunt Petro, Matth. xvi. 19. sed claves, non *dominii*, aut *principatus*, quæ soli Christo competunt, *qui habet clavem Davidis, qui aperit et nemo claudit*, Ap. iii. 7. At claves *ministerii* et *subjectionis*, sive claves *scientiæ* et *cognitionis*, quibus per verbi prædicationem aperiuntur thesauri mysteriorum cœlestium, et docetur quod permissum est sive *solutum*, quod vetitum sive *ligatum*, sive claves *regiminis* et *disciplinæ*, quibus cœlum aperitur pœnitentibus et clauditur rebellibus.

VII. Verùm etsi Petrus fuisset caput Ecclesiæ, quod nequaquam concedimus, non inde sequitur hanc prærogativam ad alios extendi posse, quia apostolis in munere eorum apostolico nemo succedere potuit, nec ullibi legitur aliquem successorem instituisse Petrum.

CAPUT VIII.

De Antichristo.

I. Vox *Antichristi* sumitur modò pro *quovis Christi adversario*, et hoc nomine designat Apostolus, 1 Joh. ii. 18. eos qui vel divinitatem Christi, vel ejus incarnationem negabant; modò pro *insigni quodam Christi adversario*: hoc sensu nos sumimus. Vox *Antichristi* duo dicit, 1. Hostem et æmulum Christi. 2. Ejus vicarium; prout explicari potest præpositio ἀντὶ, quæ modò *oppositionem* significat, modò *vicem* et *substitutionem* denotat. Antichristi adventum prædixit Paulus 2 Thess. ii. et Johannes in Ap. xiii. 17, 18. sub specie, modò *meretricis*, modò *bestiæ*; Daniel sub typo, *Antiochi Epiphanis*.

II. Antichristus non est *una singularis persona*, sed *ordo sive series personarum* in eadem sede sedentium, quod probatur ex eo quod dicit apostolus Paulus Antichristum describens, mysterium iniquitatis cœpisse operari tempore suo, et demum in fine mundi confectum iri; at hoc non de una persona dici potest.

III. Characteres Antichristi sunt 1. Quoad *locum* ubi sessurus est, (1.) Locus communis est *Templum Dei*, id est, Ecclesia, non *templum Hierosolymitanum*, sed Ecclesia Christiana, 2 Thess. ii. 4. in eo sessurus dicitur, quia in Ecclesia dominationem et imperium est usurpaturus. (2.) Locus singularis Antichristi est *Babylon* urbs magna ἑπτάλοφος. 2. Quoad *tempus revelationis*, Scriptura refert ad periodum sublati è medio τοῦ κατέχοντος *dissipati scilicet imperii Romani*, 2 Thess. ii. 7, 8. ut explicant scholia Græca, dum inquiunt, τὸ κατέχον esse τὴν Ῥωμαίων βασιλείαν τὴν νῦν ἐμποδίζουσαν. Hos autem gradus præcipuos notare possumus sublati e medio imperii; (1.) Quum sedes imperii à veteri Româ ad novam, seu Constantinopolim, translata est. (2.) Quum per divisionem imperii in orientale et occidentale, non modo imperatores occidentis relictâ Româ, sedem Ravennæ vel Mediolani posuerunt, vel imperium abdicare coacti sunt, A. C. 475. quando *Augustulus ab Odoacro victus est.* (3.) Quum Græci Imperatores quicquid juris habuerunt in Italiâ, Paparum artibus amiserunt.

IV. Quoad personam Antichristi, characteres ejus personæ sunt; 1. *Apostasia*, 2 Thess. ii. 3. 1 Tim. iv. 1, 2, 3. 2. *Oppugnatio Christi*, non quidem apertè, quasi Christum neget, sed clam, unde ejus apostasia vocatur *mysterium*

iniquitatis. 3. *Superbia summa*, quâ sese efferre debuit super omnem, qui dicitur Deus aut numen, 2 Thess. ii. 4. 4. *Fœda idololatria*, unde ejus sedes nomine *meretricis*, matris *scortatorum*, indigitari solet. 5. *Miracula et falsa signa*, 2 Thess. ii. 9. Ap. xiii. 13. 6. *Crudelitas et violentia*, Ap. xiv. et xvii. 7. *Numerum et characterem bestiæ* designat Johannes, Ap. xiii. 16, 17.

V. Hæc omnia competere Pontifici Romano tuentur Protestantes, nec opus est ut probemus. Observabo tantum hæc sequentia. 1. Ridiculè per ἄνομον apud Paulum 2 Thess. ii. 8. intelligi *Simonem Magum*, nam patet ex sola lectione loci illius, istum ἄνομον eundem esse ac *hominem peccati*. 2. Absurdè quoque per *hominem peccati* intelligi *Caligulam*; cùm Caligula jam obiisset eo tempore, quo dicebat Paulus, revelatum iri hominem peccati, et cùm apostasia non possit tribui Caio, qui nunquam verum Deum agnovit. 3. Ridiculè etiam per Antichristum, de quo Johannes 1 Joh. ii. Barchocab intelligi, qui se sub Adriano Imperatore Messiam dixit, et Judæos ad seductionem induxit; nam Barchocab à fide non defecit; nec unquam sedit in *templo Dei*, non in *templo Hierosolymitano*, cùm tum dirutum fuerit; non in *Ecclesia Christiana*, cum eam non agnoverit pro Ecclesia. 4. Ridiculè quoque dici bestiam secundam, quam venturam fuisse dixit Johannes, esse *Apollonium Thyanæum;* cùm vixit sub Domitiano ante Johannis obitum.

VI. Posse considerari Antichristum sub variis gradibus, modò ut *conceptum*, jam ab Apostolorum tempore, Satana præludente, tum Neronianis persecutionibus, tum pluribus hæresibus; tum contentionibus variis per φιλοπρωτεύοντας, qualis Diotrephes 3 Joh. vers. 9. modò ut *nascentem* et *revelatum* A. 606. in Bonifacio III. modò ut *crescentem* et *adultum* à Bonifacio III. ad Benedictum IX. et Greg. VII. modò ut *florentem*, à Greg. VII. ad tempora Reformationis. *Bonifacius* enim magno studio quæsivit titulum *episcopi Oecumenici*, seu universalis, quem ita aversatus erat Gregor. I. ut fidenter diceret eum, qui se universalem episcopum vocat vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrere; et quoad Gregorium VII. Hildebrandum dictum, quis nescit eò audaciæ devenisse, ut dixerit; *Quòd Pontifex Romanus solus possit uti imperialibus insignibus; quòd solius papæ pedes principes omnes osculentur; quòd illi licet imperatores deponere: quod sententia illius à nullo debeat retractari; quòd à fidelitate possit iniquorum subjectos absolvere; quòd solus Romanus Pontifex jure dicatur Universalis?*

CAPUT IX.

De Ministris Ecclesiæ.

I. POSTQUAM de Capite diximus, sequitur ut de ministris agamus, tum de *ministris veteris Testamenti*, tum de *ministris novi Testamenti*. De *ministris veteris Testamenti* verbum dicemus. Ante legem, *patriarchæ* in suâ quisque familiâ tam spiritualia, quam τὰ βιωτικὰ gubernabant.

II. Sub *Lege* ordinarii ministri fuerunt *Levitæ*, in locum primogenitorum assumti. *Levitarum alii erant sacerdotes*, alii Levitæ speciatim sic dicti: commune utrorumque munus erat duplex, tum apud Deum, tum apud homines; et ex utrisque constabat presbyterium. *Sacerdotum* alius erat *summus*, alii *inferiores*, quorum partes erant, legem enarrare, victimas offerre, Deum pro populo orare, cœtui benedicere, causas ex jure divino definire, arcam fœderis portare, milites in aciem exeuntes ad virtutem hortari, tubis clangere. *Levitæ speciatim dicti* sunt reliqui posteri Levi, divino cultui primogenitorum loco dicati, in tres familias distributi, de quibus alibi.

III. *Extraordinarii* ministri erant *Prophetæ*, qui à Deo immediatè vocati, de communibus Ecclesiæ necessitatibus ipsum pro re nata consulebant, legem interpretabantur, cultum Dei collapsum restaurabant, sacerdotes et reges arguebant, in peccata populi invehebantur, futura prænuntiabant, et Ecclesiam spe venturi Messiæ erigebant, et quasi gradatim viam illi parabant.

De iis varia quæruntur; duo tantùm hîc attingam. 1. Quæritur quomodo Prophetæ dignoscebant divinam esse revelationem? Respondemus agnovisse, vel ex insitato et inexpectato gloriæ splendore; vel ex rerum revelatarum majestate, et θεοπνευστίᾳ. 2. Quæritur quomodo se probabant aliis missos à Deo? Respondemus probasse (1.) Signis, ab ipsis, vel circa ipsos editis. 1 Reg. xiii. 4, 5. (2.) Summâ vitæ sanctimoniâ. (3.) Prædicando res, quæ à nemine dignosci poterant, et quæ implebantur, Deut. xviii. 21, 22. (4.) Nihil contrarium legi Dei docendo, et doctrinâ verâ. Plura scire volentem ad summum Theologum D. Witsium amandamus.

IV. Quoad *ministros novi Testamenti* alii sunt *extraordinarii*, alii *ordinarii*. *Extraordinarii* fuerunt, quos Jesus ad Ecclesiæ suæ fundamenta jacienda adhibuit, et quorum

munus illis jactis cessare debuit; quales fuerunt 1. *Apostoli*, quorum fuerunt characteres peculiares, (1.) *Missio* seu vocatio *immediata* ab ipso Christo, uti immediata instructio. (2.) *Ocularis visio* Christi à morte suscitati. (3) *Divinus afflatus* et infallibilitas, deducti enim sunt in omnem veritatem. (4.) *Universalitas muneris*, missio ad totum mundum. (5.) *Donum miraculorum*. (6.) *Potestas judicialis* et legislatoria in spirituali Ecclesiæ regimine. 2. *Prophetæ*, 1 Cor. xii. 28. Eph. iv. 11. et eo nomine designabantur quidam, qui peculiari dono veteres Scripturas explanabant, prophetias interpretabantur, divina mysteria explicabant, ac futura prædicebant aliquando, Act. xi. 27, 28. xii. 10, 11. 3. *Prophetis* accensentur *evangelistæ*, qui apostolis in curandis, quas illi plantaverant, Ecclesiis, atque in obedientiâ fidei confirmandis præstò erant, illorumque vice fungebantur, quales *Marcus*, *Lucas*, *Philippus*.

V Quoad *ministros ordinarios*, *sunt pastores*, ἡγούμενοι, πρεσβύτεροι, ἐπίσκοποι, προϊστάμενοι, promiscuè dicti, quibus alii *doctores* jungunt, de quibus Eph. iv. 11. An verò doctorum munus fuerit *ordinarium*, an *extraordinarium;* an *doctorum* et *pastorum*, munus fuerit unum, an distinctum, inquiritur? Hoc certum, Scripturam non meminisse doctorum, quum meminit *ministrorum ordinariorum*, 1 Tim. iii. 1. &c. et quando loquitur de ministris *extraordinariis*, nominare *doctores*, non episcopos, Eph. iv. 11. 1 Cor. xii. 28. Ministerii *ordinarii* institutionem probamus, 1. Ex eo quod Apostoli passim ministros ordinarios, per singulas Ecclesias constituerunt, et constitui voluerunt, Actor. xiv. 23. Tit. i. 5. 2. Ex eo quod illos dicunt à Deo institutos ut Ecclesiam pascant, Actor. xx. 28. et ad illos epistolas suas dirigunt, Phil. i. 1. ipsisque Ecclesiæ curam concredunt, Act. xx. 17. 3. Regulas præscribunt, juxta quas illorum electio in perpetuum fieri debeat, 1 Tim. iii. 1. Tit. i. 5, 6, 7.

VI. Summam autem utilitatem ministerii, nemo est qui non videat. De ejus præstantia non dubitabit, qui attendet, 1. Deum hujus ministerii esse auctorem. 2. Versari circa animas hominum, et tractare mysteria sublimia regni cœlorum. 3. Christum, Prophetas, et Apostolos hoc exercuisse. 4. Ad hominum renovationem, conversionem, salutem et felicitatem institutum fuisse.

VII. De qualitatibus Pastorum audiendus Paulus, 1 Tim. iii. &c. ut et de obedientia, honore, amore, quem ipsis debent populi, Heb. xiii. 7, 17. &c. Observandum hîc tamen licere ipsos non audire, quum à doctrina Christi recedunt;

imò ipsis anathema dicere, ut docet Paulus Gal. i. 8, 9. Fideles non uniri debent cum pastoribus nisi in Christo et propter Christum, quoties igitur separantur à Christo pastores, ab illis secedendum est.

CAPUT X.

De Ministrorum Vocatione et Ordinatione.

I. Ad munus ministerii exercendum, necessaria est *Vocatio. Nemo sibi sumit hunc honorem, sed qui à Deo vocatur*, ut Aaron, Heb. v. 4. *Quomodo prædicabunt nisi missi fuerint*, Rom. x. 15. Ideo graviter in eos, qui à Deo non vocati sunt, invehitur Scriptura, et qui veniunt in suo nomine, non in nomine Christi, Jer. xxiii. 21, 22. Joh. v. 43. Hæc igitur vocatio necessaria est, tum ut satisfiat mandato Dei; tum ut auditores de legitima suorum pastorum vocatione persuasi, eorum doctrinam libentiùs audiant, tum ut pastores de vocatione sua certi non dubitent, quominus Deus velit uti operâ ipsorum, ad suum prædicandum verbum, et ejus benedictionem expectent. Omnes quidem tenentur docere ex charitate et vocatione generali Christianorum, sed nemo publicè et cum auctoritate id potest nisi vocatus.

II. Duplex est vocatio, alia *interna*, alia *externa*. Internam dicimus *dispositionem animi* ad munus suscipiendum, quando cor à Deo excitatur, ut ad opus ministerii se consacret. *Externa* est, quâ homo ita dispositus, ad munus exercendum expressè vocatur. Vocatio externa, vel est *immediata*, quæ fit ab ipso Deo sine interventu hominum, Gal. i. 1. vel *mediata*, quæ fit mediante hominum operâ. Rursus vel est *ordinaria*, vel *extraordinaria*. *Ordinaria* dicitur, quæ per media ordinaria fieri solet. *Extraordinaria* dicitur, non modo vocatio illa quæ immediatè fit à Deo sine operâ hominum, ut vocatio *Pauli* et *Apostolorum*; sed et 1. Illa vocatio quæ fit non observato ordine recepto. 2. Illa *vocatio* quæ fit ad *rem novam* prædicandam, ut vocatio *Mosis*. 3. Illa *vocatio* quæ est ad *munus planè novum*, ut vocatio *Johannis Baptistæ*. 4. Minus propriè *vocatio extraordinaria* dicitur, quoad dona extraordinaria, quibus præditi sunt homines qui vocantur.

III. His distinctionibus positis jam decidendæ veniunt

plures quæstiones. *Primò*, an vocatio à pastoribus ad ministerium sit necessaria absolutè? Respondemus in statu Ecclesiæ constituto necessariam esse, sed in statu perturbato et corrupto non esse semper necessariam, quando Reformatione eget Ecclesia; tunc enim fideles possunt pastorum vices præstare; illud probamus, 1. non modo ex eo quod necessitatis casus multa legitima præstat, quæ aliàs non licerent: in republicâ, quando rectores et præfecti sunt proditores, licet unicuique civi officio rectoris fungi; ubi grassatur incendium, omnium est aquam afferre ut extinguatur. Sed 2. quia unusquisque tenetur ad veritatem amplectendam et propugnandam, rejiciendum mendacium ac procurandam salutem proximi. Hæc autem necessitas crescit, vel quum munus publicum, quod ad hoc inservire debet, aut nondum est constitutum, aut si constitutum est, ita est corruptum, ut loco veritatis mendacium doceatur; tum enim cuilibet licet, non modò curare ea quæ sunt salutis propriæ, sed et omni studio salutem proximi procurare. Hoc confirmatur multis exemplis, tum illorum de quibus Act. viij. 4. qui persecutione dispersi evangelium prædicarunt, quales illi *Cyprii* et *Cyrenæi*, de quibus Act. xi. 20, 21. tum *Ædesii* et *Frumentii* juvenum, qui in Indias delati, evangelium prædicarunt, ac cultos publicos instituerunt; tum *captivæ*, quæ Iberos ad Christum convertit, adductâ primò ad fidem reginâ, mox per reginam rege, qui totius gentis conversionem quærens, factus est suæ gentis Apostolus ut dicit *Ruffinus;* tum *fidelium Samosatensium*, qui à pastoribus deserti, pastoris munus obierunt. Hoc ulterius evincitur ex eo, quod nisi res ita se haberet, tunc posset fieri, ut manerent populi sine pastoribus, aut vera religio planè interiret. In tali causâ necessitatis non magis peti potest, quo jure et quâ auctoritate id fiat, quàm potest peti à cive, quam vocationem habeat sese opponendi hosti ingredienti, si præfecti sunt proditores, nec minùs ridiculus esset, qui id peteret, quam si à me peteretur, quod jus habeam Deo obediendi, me opponendi Satanæ, ac proximorum salutem procurandi. Nec timendum ne lata sic porta aperiatur confusioni, et quibusvis turbonibus, nam is tantùm turbo dicendus, qui ordinem benè constitutum temerè et sine ratione negligit, non verò is, qui invicta et ineluctabili necessitate coactus est eum omittere.

Secunda quæstio, quæ movetur, est, Ad quos jus vocationis pertineat? Respondemus jus vocationis ad Ecclesiam originaliter et radicaliter pertinere, apud quam illud depo-

suit Christus; exerceri verò à *rectoribus* nomine *Ecclesiæ*, ut in republicâ potestas creandi magistratum residet in corpore communitatis, quæ rempúbliçam constituit, et inauguratio fit nomine communitatis ab eo qui ad id delegatus est. Observamus autem, quandoquidem in Ecclesiâ tres hominum ordines videmus, *pastores*, *magistratus*, et *populum*; *pastoribus* competere jus examinis eorum qui vocantur, jus eligendi et ordinandi; *magistratibus*, ut præstantissimis Ecclesiæ membris, jus approbandi electos à pastoribus, vel repudiandi; *populo* verò, jus assentiendi vel non assentiendi, admittendi vel rejiciendi. Probatur autem ad Ecclesiam jus vocationis competere originaliter et radicaliter; 1. Ex eo quòd idem jus habet Ecclesia ac omnes aliæ societates jus habent sibi præficiendi aliquos, à quibus regantur, et qui leges ferant ac observari curent ad totius communitatis bonum. 2. Ex eo quod Deus, qui dedit Ecclesiæ fidem et pietatem, eam obligavit indispensabiliter, non modò ad perseverandum in istarum virtutum exercitio usque ad finem, et ad eas adversus errores et Satanæ fraudes tuendas, sed etiam ad eas confirmandas et augendas pro virili, et ad liberos propagandas. At non potuit ad ea officia obligasse, quin ipsi dederit jus ad ministerium sibi constituendum, quod medium est ad hoc legitimum et aptissimum; nec enim fieri potest, ut Deus qui non deficit in necessariis, non dederit Ecclesiæ sufficiens jus, omnia media impendendi, quæ sunt necessaria ad sui conservationem. 3. Id evincitur ex praxi apostolica, nam hunc vocandi ordinem observavit prima Ecclesia, ut non fieret vocatio sine Ecclesiæ consensu, Actor. i. 23. vi. 3. et 6. xiv. 23. Hoc confirmarunt decreta veterum conciliorum; ac inter alia Conc. Niceni decreta. In Epistola synodica quæ apud Theodoretum, lib. i. cap. 9. legitur, hæc reperiuntur. *Si quis fortè Ecclesiæ præsul obdormierit, jus esto paulò ante receptis succedere in locum demortui, si modo et mereri videbuntur, et populus elegerit.* His addi possunt loca plurima Patrum. Ita Cyprianus Ep. 68. ad Clerum &c. *Plebs ipsa maximè habet potestatem, vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi, quod et ipsum videtur de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico judicio et testimonio comprobetur* Et Ep. 52 id confirmat exemplo Cornelii Episcopi Romani. *Factus est episcopus de Dei et Christi judicio, de clericorum penè omnium testimonio, de plebis quæ tunc affuit suffragio, et de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio.*

Tertia quæstio est; an postquam Ecclesia exercitium juris vocandi pastores commisit presbyterio, se spoliaverit plane omni jure, ut eo non possit amplius uti? Respondemus, ita commisisse jus suum rectoribus Ecclesiarum, ut illud tamen originaliter sibique proprium reservaverit. Tantùm abest ut Ecclesia se spoliaverit jure suo, ut è contra certum sit non posse eo se spoliare. In societate civili, ubi agitur tantùm de bonis temporalibus, nihil obstat, quominus populus suum jus absolutè resignet ad vitandam anarchiam, sed in Ecclesia, ubi agitur de salute, fideles non possunt sine crimine absolutè se exuere jure illo quod habent in media quæ illis dantur ad promovendam salutem, quale est ministerium, ne pastores eo abutantur, et pro veræ doctrinæ errores tradant et doceant. Unde ubi Ecclesia nullos habet pastores, nec potest habere sine periculo dissipationis, aut ubi pastores sunt corruptissimi, nec volunt reformare abusus, potest Ecclesia tunc vocationem conferre, nec desinit vocatio esse sufficiens, quoad essentialia, sine pastoribus, etsi ritus et cæremoniæ vocationis, non adhibeantur, qui non sunt de essentiâ vocationis, nam essentia vocationis consistit in triplici consensu, *Dei*, *Ecclesiæ*, et *vocati*: *Dei* quia vocatus ejus nomine loqui debet; *Ecclesiæ*, quæ debet doceri et regi; *vocati*, qui debet partes muneris obire.

Quarta quæstio est; Quid censendum de Reformatorum vocatione? Respondemus 1. Frustra inquiri in veritatem vocationis, si de veritate doctrinæ constet, quia fides non pendet à vocatione, sed contra vocatio à fide; fides non est vera, quia, qui eam prædicant, legitimè sunt vocati, sed contra illi legitimè vocati, qui veram doctrinam retinent. 2. Reformatorum vocationem fuisse optimam: (1.) Quia doctrina eorum fuit vera, nec enim aliud docebant quàm quod Christus et Apostoli docuerunt. (2.) Quia cœtus, in quo ministerium exercuerunt, jus habuit tale ministerium instituendi. 3. Vocationem Reformatorum, tum eorum qui ordinati sunt in Ecclesiâ Romanâ, tum eorum qui à cœtibus fidelium sine pastoribus vocati sunt, esse legitimam. Ac revera (1.) Vocatio eorum qui ordinati fuerunt in Ecclesiâ Romanâ legitima fuit, quia vocati sunt modo ordinario ac recepto in Ecclesiâ, nec hâc vocatione exciderunt impugnando doctrinam receptam in Ecclesiâ Romanâ, nam in eâ re secuti sunt mandatum Dei, primarii Auctoris eorum vocationis, cui obedire tenebantur, veritatem docendo ac animas Christo lucrando. (2.) Vocatio eorum qui à cœti-

bus sine pastoribus vocati sunt, fuit quoque legitima, quia casus erat summæ necessitatis, et quia cœtus quo erant jus habebat eos vocandi. Inutile disquirere, an eorum vocatio debeat dici *ordinaria*, an *extraordinaria*. Vocari potest *ordinaria*, respectu eorum qui vocati fuerant jam in Ecclesia Romana; *extraordinaria*, in respectu eorum qui vocati fuerant à populis, modo non ordinario: *ordinaria*, quia ministerium non fuit novum, nec nova doctrina; *extraordinaria*, quia non quotidie fit quod tunc factum est. Quoquo modo vocetur, certum miraculis non indiguisse, non omnis enim vocatio iis opus habet, sed ea tantùm quæ novam doctrinam nuntiat. *Signa necessaria*, ut ait Gregor. Hom. XXIX. in Evangel., *in Ecclesiæ exordio fuerunt, ut enim ad fidem cresceret multitudo, miraculis fuit nutrienda, quia et nos, quum arbusta plantamus, tamdiu in aquam infundimus, quousque ea in terram jam coaluisse videamus; et si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.*

IV. Vocationem sequitur Ordinatio, quâ electus ac probatus per solemnem ritum in muneris possessionem immititur, ac Ecclesiæ mancipatur. Pastorum electio fiebat olim per χειροτονίαν totius plebis, quæ audito nomine pastoris eligendi, suum suffragium sublatis manibus indicabat. Ordinatio fiebat postea ab aliquo ex pastoribus per χειροθεσίαν, 1 Tim. iv. 14. χειροθεσίαν adhibebant Judæi in Doctoribus creandis. Ordinationem præcedere debet examen doctrinæ et morum, ac videndum, 1. An sit διδακτικὸς, id est, aptus ad docendum. 2. An sit immunis ab iis vitiis quibus tam honorificum munus dedecore afficitur, et illis instructus sit virtutibus, quibus ornatus, cum fructu ministerium exercere possit. Hoc examen sedulò fiebat ab antiquis; nomen eligendi in tabula perscriptum ubi id licebat, omnibus publicè solebat proponi; ubi verò id non licebat, in cœtu Ecclesiastico palam recitabatur, ut si quid vitii, probri, aut scandali in eo compertum fuisset, illud intra diem definitum ad presbyterium deferretur; et hoc usurpabatur non modo respectu Presbyterorum, sed et respectu Diaconorum, quod imitatus est Alexander Severus. Pastorum munus est verbum prædicare, sacramenta administrare, disciplinam exercere.

V. Illis pastoribus debentur stipendia, quod probamus, 1. Ex loco expresso Pauli, 1 Corinth. ix. 4, 5. ad 19. et ex dicto Christi, operarium esse dignum mercede, Matth. x. 10. Luc. x. 7. imò ex minis factis denegantibus stipendium, Malach. iii. 8, 10. Gal. vi. 6, 7. 2. Ex stipendiis ministro-

rum in veteri Testamento, Num. xviii. 8, 9, 10, 11, 12. Iis enim ordinariò concedebantur sacrificia, decimæ, primitiæ, et alia id genus, præter urbes quasdam et agros suburbicarios. 3. Ex naturali justitiâ et æquitate. Annon enim æquum est ut qui docentur, docentes sustentent, et temporalia impertiant spiritualia tradentibus? 4. Ex variis absurdis quæ sequerentur si nulla stipendia darentur. Parvi refert, unde ista solvantur stipendia, modò ne plus æquo angusta sint, quæ non sufficiant pastori ejusque familiæ honestè alendæ, nec nimis ampla, quæ ad luxum et fastum faciant.

VI. De bonis ecclesiasticis nolo hîc disserere, hoc certum, post apostolorum tempora singulas Ecclesias æraria sua habuisse, in quæ quisque stipem conjiceret, ut patet ex Justino et Tertulliano. Sequentibus temporibus agros et latifundia possidere cœpit Ecclesia, profusis largitionibus imperatorum et regum.

VII. Cœlibes esse pastores neutiquam necesse est. 1. Eadem necessitas iis imponitur ac omnibus, qui continentiæ dono non sunt præditi. 2. Paulus dixit episcopum esse unius uxoris maritum. 3. Matrimonium esse inter omnes honestum docuit idem, Heb. xiii. 4. 4. In prisca Judæorum Ecclesia non modo sacerdotes, sed et excellentissimi prophetæ uxores habuerunt, Isaia viii. 3. 5. Apostoli aliquot uxorati fuerunt. 6. Complures episcopi uxores habuerunt.

VIII. Verbum addam de Senioribus et Diaconis. Seniores sunt secundum genus ministrorum Ecclesiæ, qui non habent jus concionandi, sed qui cum pastoribus disciplinam ecclesiasticam exercent; quorum officium est infirmos sublevare, trepidantes firmare, ἀταχτοῦντας officii admonere, pervivaces ad presbyterium deferre. An de illis loquatur Scriptura, 1 Tim. v. 17. quidam crediderunt, nos non credimus; de *pastoribus* hîc fit mentio, et dubium est an iste ordo institutus sit tempore apostolorum. Quoad diaconos, qui dispensandis, et colligendis pauperum subsidiis prosunt, legimus institutionem, Act vi. 1. dotes 1 Tim. iii. 8, 9, 10. Erant et olim fœminæ Diaconissæ, quarum sequentibus temporibus officium fuit, ubi baptizandæ erant fœminæ adultæ, operam dare, ne nudata ipsarum corpora à viris conspicerentur, ut docet Epiphanius.

CAPUT XI.

De Potestate Ecclesiasticâ.

I. POTESTATEM aliquam et auctoritatem Ecclesiæ datam esse probamus. 1. Quia ipsi datæ sunt claves, Matth. xvi. 19. quæ sunt insignia auctoritatis, sive auctoritatis summæ, sive subalternæ. Nec enim tantùm usus clavium ad prædicationem verbi refertur, sed ad exercitium quoque disciplinæ extendi patet, ex eo quod per eas claves potestatem habent pastores, remittendi et retinendi peccata. 2. Quia non potest denegari ea auctoritas, quæ omnibus societatibus conceditur: at nulla societas potest stare, et tuta manere sine aliquo ordine et regimine, et regimen non potest subsistere sine aliquâ potestate. 3. Hoc probatur ex titulis datis pastoribus, dicuntur enim προϊστῶτες 1 Tim. v. 17. προϊστάμενοι 1 Thess. v. 12. ἡγούμενοι Heb. xiii. 17. ἐπίσκοποι.

II. Hæc potestas ecclesiastica distincta est à politicâ. 1. *Politica* potest esse penes Ethnicos, et à *fœminis* exerceri potest; *ecclesiastica* minimè. 2. *Politica* est αὐτοκρατορικὴ, qualis *dominorum*, *ecclesiastica* ministerialis, qualis *œconomorum*. 3. *Politica* versatur præcipuè circa res civiles; *ecclesiastica* circa res *spirituales*. 4. *Politica* exercetur *modo politico*, pœnas corporales inferendo peccatoribus; *ecclesiastica* modo *spirituali*, per gladium *Spiritus*. 5. *Politica* attingit tantùm *hominem externum*; *ecclesiastica*, *conscientiam*. Hæc *potestas* est penes pastores, non verò penes magistratum, nec ab illo derivatur ad pastores; quod probatur, 1. Quia sic datæ fuissent magistratui claves; quod absurdum. 2. Quia ipse magistratus potestati ecclesiasticæ subest. 3. Quia ministri essent magistratus ministri, non verò Christi.

III. Illa *potestas* versatur, 1. Circa dogmata fidei; non sanè quòd auctoritatem verbo conciliet Ecclesia, aut nova fidei dogmata condat, aut pro lubitu Scripturam interpretetur; sed ea potestas consistit, non modò in eo quod scripturam custodiat, et adversus sophismata vindicet, sed imprimis in eo quod condat symbola et confessiones ad doctrinæ conservationem et unionis ecclesiasticæ vinculum. Confessionum autem illarum magna auctoritas est, licèt multùm sit infra auctoritatem Scripturæ, siquidem in illis falli possunt homines. Unde non obligant, nisi quantùm cum verbo Dei convenire deprehenduntur. 2. *Potestas*

Ecclesiæ versatur in eo, quod jus habeat condendi leges, constitutiones ad ἐυταξίαν. Pastores quidem non revera jus habent leges propriè dictas condendi, quæ conscientiam obligent: nam (1.) *Unus est legislator*, Deus scilicet, Jac. iv. 12. Solus Deus in conscientiam jus habet. (2.) Quia nihil licet addere, ac detrahere legi divinæ; at jus habent condendi canones et constitutiones ecclesiasticas ad bonum ordinem, 1 Corinth. xiv. 40. et xi. 23. de rebus merè adiaphoris, ut quæ respiciunt tempus, locum, formam precum, concionum et administrationis sacramentorum, quia Deus, qui in genere præscripsit, ut omnia decenter fiant, nihil tamen in specie sancivit, sed prudentiæ pastorum reliquit. Hæ leges et constitutiones ecclesiasticæ servandæ sunt ad boni ordinis conservationem; non tamen obligant extra casum scandali et contemptus: sed debent cavere pastores, ne ultra res indifferentes progrediantur; et ne multitudine canonum Ecclesiam obruant. 3. Potestas illa versatur circa disciplinæ exercitium, quâ peccatores publici *corrigantur*, *arguantur*, propter doctrinæ aut vitæ impuritatem; et post privatas ac publicas Ecclesiæ admonitiones rejectas et contemptas, per sacros ministros ex presbyterii ordine et auctoritate à signis divinæ gratiæ arcentur, et si in eadem contumaciâ perseverent, tandem in nomine Dei ab Ecclesiæ communione exclusi prænuntiantur, donec per veram resipiscentiam Deo et Ecclesiæ reconcilientur.

IV. Disciplinæ igitur sunt *duæ* partes, *Correctio* et *Excommunicatio*; sed rursus observandum, *duplicem* esse *excommunicationem*, aliam *minorem*, aliam *majorem*. *Minor* est illa, quâ ii qui in bonos mores impingunt, ad tempus à cœnâ Domini arcentur, donec publico scandalo remedium allatum fuerit. Hi veteribus vocati *abstenti*. *Major* est illa, quâ extra Ecclesiam ejicitur in peccatis contumax, atque ut tabidum membrum, quod pestem partibus sinceris affare posset, spirituali ense veluti resecatur. *Disciplinæ* exercitium necessarium est, quia nulla societas subsistere potest sine disciplina; et finis hujus *disciplinæ* est, 1. Ne opprobrio exponatur evangelium. 2. Ne corrumpantur boni malorum consuetudine, 1 Cor. v. 6. 3. Ut peccatores excitentur, et pudore afficiantur.

V. Jus habere excommunicandi Ecclesiam, probamus, 1. Ex jure quod habent omnes societates benè ordinatæ, separandi à suo grege homines incommodos et noxios. 2. Ex usu veteris Testamenti sub quo circumcisi legaliter immundi, aut rei criminis à sacris cœtibus excludebantur,

Esd. x. 8. Nehem. xiii. 28. Hinc toties fit mentio de iis qui ἀποσυνάγωγοι fiebant, sequendo Christum, Joh. ix. 22. Præterea, si plerisque credamus, apud Judæos fuere tres ἀφορισμῶ species חרם נדוי, et שמתא. Alii duas tantùm fuisse agnoscunt, et observant apud Thalmudicos *Schammata* coalescere et confundi, modò cum *Herem*, modò cum *Niddui*. 3. Ex praxi *Apostolorum* et *Pauli*, 1 Cor. v. 3. et ex illis locis in quibus jubemur repellere hæreticum, recedere ab offendiculorum auctoribus, nullum cum iis commercium habere, Tit. iii. 10. Rom. xvi. 17. 2 Thess. iii. 14, 15. 4. Ex Matth. vii. 6. ubi Christus vetat sancta dari canibus. 5. Ex eo quod nemo particeps fieri debet sacræ Eucharistiæ, qui pro indigno habeatur, ne in condemnationem incidat. 6. Ex praxi Ecclesiæ primitivæ; plura de hac praxi apud *Cyprianum* legi possunt.

VI. Hîc quædam annotare necesse est. 1. Excommunicationis objectum debere esse *homines*, non *bestias*; *vivos*, non *mortuos*; *domesticos fidei*, non *exteros*. 2. In *exercitio disciplinæ* nimiam severitatem, ut et nimiam indulgentiam vitandam esse, nec nisi gradatim ad extrema veniendum. 3. In eo *exercitio*, rationem habendam esse (1.) *Personarum*; aliæ enim sunt ingenio præfracto, aliæ peccata sua agnoscunt, aliæ ingenio servili asperè tractandæ, aliæ animi generosioris molliter habendæ. (2.) *Ætatis*, aliter cum senibus, aliter cum juvenibus agendum, 1 Tim. v. 1. aliter cum magistratibus, aliter cum privatis. (3.) *Peccatorum*, alia clandestina, quæ clam arguenda; alia publicè, quæ coram omnibus reprehendenda, 1 Tim. v. 19. 4. Excommunicationem nòn abrumpere vincula naturalia et moralia, quibus inter se junguntur homines, nec se extendere ad corporalium bonorum, aut vitæ ablationem; non exuere principes suis regnis, unde Theodosius nunquam regno privatus; non dispensare filios ab obsequio debito patribus, conjuges ab officiis conjugalibus; nec divites suis opibus privare. 5. Excommunicationem non esse expulsionem ex corpore Christi mystico, nunquam enim ab eo quis pelli potest. 6. Excommunicationem non diutius durare, nisi quamdiu durat peccatoris impœnitentia.

CAPUT XII.

De Ecclesiarum unione earumque Conciliis et Synodis.

I. QUAMVIS singulæ Ecclesiæ de jure divino liberæ sint, nec ullam Ecclesiam Dominam agnoscant, tamen utile est, ut plures Ecclesiæ mutuâ confœderatione uniantur; tum ad commune periculum vitandum; tum ut parti laboranti ab universo corpore succurratur; tum ad colendam communionem mutuam; tum ad hæreses confundendas. Hâc in re præiverant nobis suo exemplo Apostoli, Actor. xv. quum simul congregati sunt; et hanc praxim secuta est Ecclesia, indicendo synodos, et concilia; etsi enim Gregorius Nazianzenus dixit se fugere omnes conventus episcoporum, quia nullius unquam synodi bonum et felicem exitum viderat, certum tamen est posse esse utilissima concilia.

II. Quæritur ad quos pertineat jus indicendi concilia? Respondemus jus ad Ecclesiam pertinere, quæ habet auctoritatem omnia illa sibi procurandi, quæ faciunt ad sui conservationem; quia verò convocatio synodorum et conciliorum non potest fieri nisi ex auctoritate, ad eos censendâ est pertinere magis propriè, qui sunt præcipua Ecclesiæ membra, et quos Deus dat Ecclesiæ in alumnos et custodes utriusque tabulæ, quales sunt Reges et Magistratus, quibus competit jus, locum, tempus conventuum definire, securitatem advenis præstare, sumtus suppeditare, externam vim prohibere, decreta legitimè facta suâ auctoritate sancire, pœnas in contumaces statuere. Ea fuit praxis veteris et novi Testamenti, ut patet exemplo *Davidis*, 2 Samuel. vi. *Salomonis*, 1 Reg. viii. *Josaphati*, 2 Chron. xx. *Ezechiæ*, 2 Chron. xxix. *Josiæ*, 2 Reg. xxiii. et sub novo Testamento Constantini Magni in Concilio Nicæno, Theodosii I. in Constantinopolitano, Theodosii II. in Ephesino, Martiani in Chalcedonensi, Justiniani in Constantinopolitano II.

III. Quæritur etiam, quænam sit auctoritas conciliorum? Respondemus eorum auctoritatem longè subsidere infra auctoritatem Scripturæ, nec ulterius eorum decisiones obligare conscientiam, nisi quatenus constat esse conformes verbo Dei. Verùm ut hoc clariùs explicetur, observandum est circa tria occupari concilia, 1. Circa *dogmata fidei*. 2. Circa *canones*, seu *constitutiones* regiminis et ἐυταξίας. 3. Circa *exercitium disciplinæ*. Quoad *dogmata fidei*, decreta eorum se habent ad modum *placitorum sapientium*, qui maturè de re quaque disserere possunt. Quoad *canones* circa

ἐντολαὶ sunt directiones, quibus jus habent sanciendi quod expedit. Quoad *exercitium disciplinæ* sunt *Judices* ab Ecclesiâ constituti, ad pœnas peccatoribus infligendas.

IV. Magni est ponderis auctoritas illa conciliorum, quamvis ab illis detur provocatio. Verùm hæc duo notanda, 1. Illa concilia tantùm esse legitima, quæ convocantur ab iis qui auctoritatem habent legitimè convocandi, in quibus viri pii in nomine Christi congregati judicant, ac nihil nisi probè cognitâ causâ et sine pravo affectu, de controversiis pronuntiant, et quidem juxta verbum Dei; unde ita Constantinus Magnus, teste Theodoreto, lib. i. cap. 7. Patres Nicænos affatus est: *Evangelici et apostolici viri, et veterum prophetarum oracula perspicuè nos erudiunt, quid oporteat de Deo petere. Abjecta igitur contentione, dissidiorum et bellorum effectrice, è verbis divinitus inspiratis solutionem eorum, quæ quæruntur, accipiemus.* 2. Nullum fuisse concilium quod fuerit œcumenicum, licèt multa œcumenica dicta, quia ex toto imperio Romano convocata. Illud patet (1.) Quod concilia illa convocarentur ab imperatoribus Romanis, qui suas *divales* seu *sacras* ad episcopos tantùm imperio suo subjectos mittebant, quique sumtus suppeditabant itinerum, equos, vehicula, &c. Imperatores enim scripsisse ad episcopos alieni imperii non est credibile. (2.) Quia postquam concidit imperium in occidente, in oriente verò multum accisum, concilia tamen convocata sunt, quæ dicta universalia, quamvis ad ea ex Gallia, Hispania, et Britannia non veniretur. 3. Observandum est nulla concilia dono infallibilitatis fuisse donata, et complura graviter peccasse.

CAPUT XIII.

De Magistratibus.

I. POSTQUAM de ecclesiastico regimine diximus, aliquid de politico dicendum ac de Magistratu, circa quem videndum, 1. *An divinæ institutionis sit Magistratus*? illud autem probamus, ex Proverb. viii. 15. *Per me reges regnant, &c.* Daniel. ii. 21. *Deus aufert regna et constituit reges.* Roman. xiii. 1. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta sit, non enim est potestas nisi à Deo, et quæ sunt potestates, sunt à Deo ordinatæ, sic quisquis, &c.* Ita locuti ipsi Ethnici. Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες, *à Jove sunt*

reges. Hæc institutio non abrogata est à Christiana religione, unde nunquam legimus, si qui ex Magistratu in Christum crederent, quòd se munere suo abdicaverint.

II. Quæritur etiam, quænam sint munia magistratus? Respondemus 1. æquas ac justas leges condere, easque sancire pœnis delicto proportionatis. 2. Jus secundùm leges administrare, bonos remunerando, malos puniendo, ac capitalia in sontes supplicia exercendo, Roman. xiii. 3, 4. 1 Pet. ii. 14. sed hîc debent cavere, ne judicent ex affectu, ex irâ, odio, et absque exacta cognitione facti. 3. Juramenta exigere ad veritatis elucidationem. 4. Bellum gerere, non animo fines ampliandi, sed tum ad justam sui defensionem et suorum, tum ad graviorem injuriam ulciscendam, tum ad res violenter raptas recuperandas. 5. Fœdera cum exteris inire, imò cum infidelibus.

III. Non tantùm circa *civilia*, sed et circa *sacra* versantur magistratus, unde illis commissa est custodia legis Dei, Deut. xvii. 18. et vocantur nutritii Ecclesiæ, Is. xlix. 23. Pastores, Is. xliv. 28. Patres, 1 Sam. xxiv. 11. nec mirum, si circa sacra versari debere dicimus, nam omnia debent procurare, quæ ad reipublicæ salutem, et ad subditorum bonum pertinent, quod præstiterunt pii principes, *David, Salomo, Josaphat, Ezechias, Josias. Constantinus*, in epistola Ecclesiis scripta post synodum Nicænam apud Euseb. lib. iii. de ejus vita, aiebat: *Putavi mihi ante omnia in id enitendum esse, ut in Ecclesiâ fides una, felicissimi populi sincera charitas, et religio erga auctorem omnium Deum nusquam discrepans observetur.* Et idem, referente quoque Eusebio, dicebat Ecclesiæ pastores esse τῶν ἔξω τῆς Ἐκκλησίας, se verò τῶν ἐντὸς *Episcopum esse constitutum.* Honorius dicebat, *inter imperii sui maximas curas catholicæ legis reverentiam, aut primam, aut solam esse:* et *Theodosius* commendatur ab Ambrosio, quòd morti vicinus potiorem Ecclesiæ, quàm imperii curam egerit.

IV. Jus magistratus circa sacra non est absolutum, sed limitatum, et longè differt à jure pastorum.

1. Non potest novos fidei articulos condere. 2. Non potest vim inferre conscientiæ. *Maximilianus* Cæsar aiebat, *conscientiis velle dominari, esse arcem cœli invadere*, et quidem recte, solus enim Deus jus habet in conscientiam. Equidem Paulus dicit magistratui obediendum esse *propter conscientiam*, Rom. xiii. 5. Verùm sensus verborum horum est, non tantùm propter metum pœnæ obsequendum esse principibus, sed ut satisfaciamus conscientiæ dictamini, quæ

jubet, ut obediamus potestatibus secundum mandatum Dei. 3. Non potest verbum prædicare, sacramenta administrare. 4. Non potest disciplinam ecclesiasticam exercere. 5. Non potest præscribere ministris, ut aliquid contra regulas ministerii præstent.

V. Sed debet 1. Sacram doctrinam, et purum Dei cultum constituere, constitutum conservare, et collapsum reformare, ut fecit *Asa*, *Josaphatus*. 2. Scholis et Academiis idoneos præficere doctores. 3. Ecclesiam pro virili protegere. 4. Ministris stipendia concedere. 5. Providere, ut quisque ministrorum suo officio defungatur. 6. Pacis ecclesiasticæ turbatores coërcere. 7. Templa erigere. 8. Synodos et conventus cogere. 9. Constitutiones ecclesiasticas suâ auctoritate munire. 10. Sabbathi profanationem impedire.

VI. Magistratum debent revereri populi, ei obedire, in omnibus quæ non lædunt conscientiam, ei tributa solvere, ac pro eo orare. Ita agebant primi Christiani; *In cœlum*, hæc Tertullianus, *suspicientes manibus expansis quia innocuis, capite nudo quia non erubescimus, denique sine monitore quia pectore oramus, precantes semper omnes, semper pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum.*

VII. Nullus à subjectione magistratus immunis est; ne clericis exceptis, 1. Docet hoc Paulus loco jam allato Roman. xiii. 1. *Omnis anima potestatibus sit subjecta.* 2. Illud probatur ab exemplo sacerdotum veteris Testamenti. 3. A testimonio Pontificum Romanorum, Gregorius I. Imperatorem, *suum Dominum* vocat et ejus se *indignum* servum dicit. 4. Ex constitutionibus et factis Imperatorum, qui, ut patet ex utroque codice, et novellis, politicis legibus subjecerunt clericos.

VIII. Verùm, quamvis sint subditi *clerici* regibus et magistratibus in rebus civilibus et criminalibus, decet tamen principes et magistratus, quædam iis privilegia concedere; ut *immunitatem ab oneribus personalibus*, quæ imponi non possunt, quin muneris ecclesiastici exercitio sint impedimenta, et aliquid decedat dignitati muneris sacri; ut *esse militem*, excepto summæ necessitatis casu; *immunitatem à certis quibusdam vectigalibus;* ita exemti sunt sacerdotes Ægyptii à Josepho, Gen. xlvii. 22. et sacerdotes Judæorum ab Artaxerxe, Esd. vii. 24. Atque hæc de *Magistratu.*

CAPUT XIV.

De Matrimonio.

I. QUANDOQUIDEM Ecclesiæ propagandæ causâ institutum est *matrimonium*, sive *conjugium*, de eo dicenda pauca. Hoc vitæ genus mox à creationis primordio in statu naturæ integræ in paradiso terrestri instituit Deus, legibus sancivit, et benedictione locupletavit, Genes. ii. et Christus corruptæ naturæ instaurator, nuptias præsentiâ suâ, et primo suo miraculo ornavit, Joh. ii. Conjugium igitur est divinitus instituta unius maris et unius fœminæ contrahere valentium in unam carnem, justo pleno et sincero consensu, legitima conjunctio. Triplex est finis conjugii, 1. Procreatio liberorum ad Ecclesiæ et reipublicæ seminarium. 2. Mutuum auxilium. 3. Libidinis remedium. Absque conjugio genus humanum propagari, Ecclesia augeri, scortatio vitari, electorum numerus compleri non posset.

II. Ad matrimonium requiritur, 1. Ut qui inire volunt, contrahere valeant, non impuberes. 2. Ut sit mutuus consensus. 3. Ut ille consensus, non verbo Dei, non legi naturæ, non sapientibus magistratuum constitutionibus contrarius sit; non vi aut metu extortus, non verbis dolosis enunciatus, non ab ebrio vel furioso traditus; non clandestinus vel contra parentum voluntatem. Non igitur potest contrahi matrimonium à filiis, invitis parentibus. Etenim, si Deo facta promissio sive votum ratum non est, contradicente Patre, Num. xxx. 3, 5. quantò minùs promissio inter adolescentulum et puellam facta, nisi animadvertatur parùm sanos parentes velle impedire quoad legitimum est; sed tunc res à Senatu ecclesiastico decidi debet.

III. Non potest contrahi matrimonium inter eos, qui nimis propinqua consanguinitate sunt conjuncti, Lev. xviii. 6. *Nemo accedat in carnem carnis suæ.* Nulla conjunctio potest fieri inter filiam et Patrem, filium et matrem, Lev. xviii. 7. Insitus pudor, et verecundia omnibus hominibus innata ab ejusmodi conjunctione abstinere jubet. Nulla inter privignum cum noverca, aut privignam cum vitrico, vers. 8. quia facta est noverca una caro cum patre. Ab ejusmodi nuptiis, utpote incestis, gentiles abhorruisse docet Paulus 1 Cor. v. 1. Hinc Antonius Caracalla incestus à Romanis gravissimè notatus est, quòd primus novercam ducere ausus esset, referente Spartiano. De eo consuli potest *Tiraquellus de Lege Connub.* Nulla inter fratres et sorores, vers. 9. sive ex utroque parente sint fratres atque sorores, sive sint uterini. Sed quæritur hîc, an conjunctio

fratrum et sororum sit jure naturæ prohibita? Illud non videtur, siquidem sub initium mundi necessariò, ipsoque Deo ordinante inter primorum parentum liberos, fratres et sorores, matrimonia invicem contrahenda fuerint; verùm solvitur quæstio, si observaverimus, cum celeberrimo D. D. Heideggero, totius Helvetiæ jubare fulgidissimo, aliisque Theologis, distinguenda esse, quæ sunt juris naturalis absolutè, ab iis quæ sunt hujus juris in certo rerum statu. Conjunctio fratrum cum sororibus non repugnat juri naturali absolutè; neutiquam enim, si hoc esset, eam probasset Deus, sed repugnat juri naturali in certo rerum statu, post generis humani multiplicationem. Nulla conjunctio cum filia filii sui, vel filia filiæ suæ, vers. 10. Nulla cum filia uxoris patris sui, ex patre suo nata, vers. 11. Nulla cum amita, vel matertera, vers. 12, 13. Nulla pariter cum avunculo, vel patruo. Nulla cum uxore patrui, vers. 14. Nulla etiam cum nepte uxoris defunctæ. Nulla cum nuru, vers. 15. Nulla cum fratria seu fratris uxore, vers. 16. Nec hîc opponenda lex, quæ vulgo leviratus dicitur Deut. xxv. 5. nam si hæc verba de germano defuncti primogeniti fratre intelligantur, ut intellexerunt Judæi, quod patet ex Matth. xxii. 24, 25, 26. et si hoc usurpatum sit post legem latam, ut certum est usurpatum fuisse ante Mosem, quod constat exemplo Judæ, post mortem primogeniti sui, despondentis Onanem Thamari viduæ, &c. Gen. xxxviii. 8. Si, inquam, hæc intelligantur, non dubium est, quin hæc exceptio legi facta fuerit à Deo certis de causis, quæ locum habere potuerunt ante Messiæ adventum. Nulla conjunctio etiam vitrici cum privigna. Alios *Scriptura* prohibitos gradus non recensetur, sed integrum censemus summæ potestati ultra illos gradus divinitus prohibitos, alios vetare. Ita consobrinorum nuptias interdixere imperatores Theodosius et Arcadius. Verùm hîc observandum. 1. Hæc interdicta non esse adæquanda legibus divinis; quasi essent legis divinæ supplementa; sed esse tantùm libera civilis societatis fulcimenta, quæ conscientiam per se non obligant, sed quæ possunt facilè rescindi. 2. Cavendum esse, ne interdicta ejusmodi nimiùm extendantur.

IV. Matrimonium est vinculum indissolubile, quod abrumpi non potest nisi alterius partis adulterio, docente Christo Matth. xix. 9. *Dico autem vobis; quicunque dimiserit uxorem suam ἐκτὸς λόγου πορνείας; nisi ob scortationem, et aliam duxerit, eum mœchari, et qui dimissam duxerit, mœchari.* Carpit sic Servator orbis Judæos, quibus levissimæ causæ sufficiebant, ut suas dimitterent conjuges, cibus

nimis coctus, secundùm *Hillelem*, vel cùm formosior uxor potest haberi, secundum *Akibam*. Plerique Theologi censent ob malitiosam desertionem abrumpi matrimonium ex loco Pauli 1 Cor. vii. 15. *Si infidelis se separet, separatus esto, non enim servituti subjectus frater aut soror in his casibus.* Hic locus aliter ab aliis explicatur, nihil decidimus. Alias divortiorum causas quamvis imperatorum auctoritate sancitas, et jurisconsultorum patrocinio defensas non agnoscimus, ut si homo sit veneficus, si perduellis, si homicida, si falsitatis crimine damnatus, si sepulchrorum dissolutor, si sacris ædibus aliquid subtraxerit, si latro fuerit, vel latronum susceptor, vel abactor, vel plagiarius, &c. Hujusmodi constitutiones leguntur in Codice lib. v. tit. 17. De Repudiis, in Rescripto Theodosii et Valentiniani imperatorum ad Hormisdam Præfectum Prætorio, et in Novellis. Quas in constitutionibus ecclesiasticis legimus quoque causas, non magis probamus. Non hominis est laxare legem quam Deus adstrictam voluit. Nec dicendum, matrimonium esse contractum mere humanum; est enim contractus mixtus, habet quædam quæ humani arbitrii sunt, quædam quæ juris divini. Illis derogari potest magistratus auctoritate, non istis.

V. Unusquisque matrimonium potest inire, modò sit nubilis, et nemo perpetuæ continentiæ voto sibi laqueum injicere debet; cùm ne senilem ætatem extra ustionis aleam positam esse constet multis exemplis, et præstet *ducere uxorem quàm uri*, 1 Cor. vii. 9. Nec dubitamus, quin illi, qui temerè ac stultè tale votum nuncuparunt, ab eo seriâ pœnitentiâ sese exsolvere possint, imò ad id obligari credimus, si uri se attendant; *Tolerabilius est*, ait Concilium Toletanum VIII. c. 2. *stultæ promissionis vota rejicere, quàm per inutilium promissorum custodiam exhorrendam criminum mensuram implere.*

VI. *Matrimonium* non est sacramentum, nec enim habet requisita in sacramentis, ut patebit cùm de sacramentis dicemus. Mirum sanè est ab iis *matrimonium* pro sacramento haberi, qui illud ἀσύγκριτον esse credunt cum *ordine*, quem pro sacramento quoque habent. Si enim matrimonium remedium contra concupiscentiam applicat, non videtur, cur cum alio sacramento esset ἀσύγκριτον; hoc enim remedio non minùs egent clerici. Mirum quoque sacramentum esse iis matrimonium, qui in illud aliquando ita debacchantur, ut Siricius Papa laudante Innocentio III. apud Gratianum dist. 28. qui conjugatis applicabat illud Pauli; *Qui sunt in carne, Deo placere non possunt*, sed de matrimonio satis.

THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ

LIBER DECIMUS QUARTUS.

De Sacramentis.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramentis in Genere.

I. EA est Dei erga Ecclesiam bonitas, ut fœdus gratiæ cum eâ inire non contentus, ad majorem fidem *Sacramentis* tanquam sigillis confirmare illud non dedignatus sit. Verbum *Sacramenti* apud priscæ linguæ auctores significat, 1. *Pignus*, quod litigantes apud pontificem deponebant, ea conditione, ut victor pecuniam suam auferret, dum victus apud Pontificem relinquebat. 2. *Juramentum* quod nonnisi invocato sacro numine concipiebatur; peculiariter verò adhibetur ad notandum juramentum militare, quo milites certo ritu et præscriptis verbis adstringebantur reipublicæ et magistratui, se omnia, quæ Imperator præceperat, strenuè facturos, nec signa militaria deserturos. A re militari ad sacros ritus translatum vocabulum, à scriptoribus Ecclesiasticis rursus variè usurpatur. Vulgata versio utitur hâc voce, quum *mysterii* vox occurrit. Ita Eph. iii. 9. 1 Tim. iii. 16. Col. i. 27. Ap. i. 20. Eph. v. 32. Ap. xvii. 7. tribuitur et quibuslibet signis promissionem corporalem confirmantibus, ut iridi. Tertulliani ævo omnes figuræ, omnesque allegoriæ dicebantur *sacramenta*. Tandem adhibitum fuit ad designanda sigilla fœderis gratiæ, et quidem rectè, quia qui sacramentis initiantur sese oppignerant, et juramento Deo sese obstringunt, ac ad sanctam militiam vocantur; prout dicebat Tertullianus lib. ad Martyres, cap. 3. *Vocati sumus ad militiam Dei vivi, jam tunc, cum in sacramenti verba respondimus*, vel potiùs, quia revera hæc sigilla sunt *res sacræ arcanæ*, gratiam spiritualem significantes. Sed observandum est vocem *sa-*

cramenti aliquando sumi pro ritibus externis, et pro signis, aliquando pro re significata, aliquando pro utriusque rei externæ et internæ, signi et rei significatæ complexu. Huic voci apud Græcos respondet vox μυστήριον, sed notandum nunquam in Scriptura sumi pro sacramento. Definiri possunt sacramenta, *Sigilla et signa gratiæ Dei in Christo*, vel paulo clariùs; *Signa et sigilla sacra, visibilia, divinitùs instituta, ad significandas et obsignandas conscientiis nostris promissiones gratiæ in Christo, et ad nostrum vicissim obsequium erga Deum contestandum.*

II. Atque inde patet, *Primò* ad Sacramentum requiri, ut instituatur à Deo. Solus Deus horum institutor esse potest, quia solus ille, qui est auctor fœderis et promissionum gratiæ, potest esse auctor sigillorum fœderis, solus potest obsignare fœdus.

Secundò, ut sint signa; per *signa* autem intelligimus non tantùm *ritus externos*, sive *actiones*, cæremoniales, tum *Ministri* vices Dei gerentis, tum *fidelium* recipientium sacramenta, sed præcipuè *elementa externa*. At observandum est, 1. Non esse signa *naturalia*, quæ à se ipsis vim habeant significandi id quod significant, ut *fumus signum est ignis*, sed *signa ex instituto divino*, quæ tamen habent aliquam analogiam, *Nam*, ut inquit Augustinus, *si sacramenta quandam similitudinem non haberent, sacramenta non essent.* Signa, quæ ad sacros usus consecrantur verbo, et precibus. 2. Non esse *signa* quæ *audiantur*, sed *visibilia*, nam sic sacramentum idem esset cum verbo. 3. Non esse tantum *accidentia*, sed *substantias*, quia analogia signi cum re significata sumitur ex signi naturâ, et ab ejus proprietatibus. 4. Esse talia signa quibus adjungitur verbum, unde dicit Augustinus, *Accedat verbum ad elementum, et fiet sacramentum;* verbum determinat elementum, ut in baptismo, elementum est aqua, ac verba hæc, *Ego te baptizo*, determinant elementum aquæ, ad significandum purgamentum spirituale. Verbi autem quod *sacramentale* dicitur duæ sunt partes, *mandatum* et *promissum*; *mandatum* est, quo Deus jubet sacramenta ritè administrari, et formulam eorum præscribit, ac usum legitimum præcipit; *promissio* demonstrat rem significatam, et totam sacramenti efficaciam: verbum autem illud altâ voce proferri debet. (1) Quia aliàs nihil significaret, si non audiretur. (2.) Quia verbum sacramentale à Christo palam est pronuntiatum. (3.) Quia est verbum fidei, quod prædicandum ergo est. 5. Esse *signa fœderis Dei;* ita Gen. xvii.

10. ait Deus; *Hoc est fœdus meum inter me et vos, quod servabitis, ut circumcidatur vobis omnis mas:* quod explicatur vers. seq. *Circumcidetis igitur carnem præputii, ut sit* signum fœderis *inter me et vos.*

Tertiò requiritur, ut illa signa non tantùm sint signa commemorantia præterita, sed et sigilla obsignantia et exhibentia præsentem gratiam ac futuram significantia; illud probamus, 1. Ex eo quod dicit Paulus circumcisionem esse σημεῖον et σφραγῖδα τῆς πίστεως, signum et sigillum fidei, quod Abrahamo applicari non tantum debet, sed et omnibus credentibus, quorum erat Pater: nam promissiones gratiæ et justitiæ fidei, quarum circumcisio fuit sigillum, sunt communes omnibus fidelibus. 2. Quia eodem modo se habent sacramenta ad promissa gratiæ, quomodo alia signa et sigilla addita promissioni, quæ eam obsignarunt, ut iris se habuit ad promissionem de diluvio non amplius immittendo, nec enim ad memoriam tantùm juvandam de diluvio præterito à Deo instituta est sed ad fidem confirmandam de diluvio nunquam futuro.

Quartò, debet esse in sacramentis res *significata*, et illa res est Christus cum omnibus iis, quæ fides sibi applicat, et hæc *res significata* differt à *signo*. 1. Quod sit res spiritualis, signum verò res *terrena;* quòd sensus feriat *signum*, animam verò *res significata*. 2. Quód modus communicationis signi est corporalis, at modus communicationis rei significatæ est spiritualis.

Quintò, debet esse analogia inter *signa* et *rem significatam*. *Si sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omninò sacramenta non essent*, Aug. Epist. XXXIII. ad Bonifacium; et in hâc analogiâ consistit unio signi cum re significata, quæ in tribus consistit, in *significatione*, in *obsignatione* et in *exhibitione;* in *significatione*, quæ pendet ex similitudine quæ est inter signum et rem significatam; in *obsignatione* ex Dei instituto, quo symbola ista externa majorem rei promissæ fidem faciunt, ita tamen ut illis fulciatur fides nostra, non verbum Dei; in *exhibitione*, quia Deus in sacramento exhibet fidelibus quod promittit. Ex hâc autem analogiâ illæ enunciationes oriuntur, in quibus signorum et rerum significatarum, nomina inter se permutantur, ut Christus dicitur *pascha*, circumcisio dicitur *fœdus*, corpus Christi *panis*.

III. Hinc patet finem sacramentorum esse confirmationem fœderis gratiæ, et obsignationem à parte Dei, nostræ cum Christo unionis in fœdere promissæ, et omnium ejus

beneficiorum ; ut à parte nostri est solemnis gratitudinis in Deum testificatio, quod non impedit, quominùs dicamus etiam instituta sacramenta ut sint publicæ professionis et divini cultus tesseræ, quibus, qui pertinent ad Ecclesiam visibilem, à reliquis cœtibus distinguuntur. Verùm omnibus sacramenti requisitis addendum est ultimum istud, nempe, ut sit status et ordinarius ejus usus in Ecclesiâ, ut sic distinguatur illud ab aliis rebus, quorum usus fuit tantùm per tempus.

IV. Necessitas sacramentorum non est absoluta et simplex à parte Dei, sed hypothetica et à parte nostri, non quod verbum opus habeat ullâ confirmatione, sed ad sublevandam infirmitatem nostram ; instituit itaque Deus sacramenta, 1. Ut infirmitati nostræ consuleret, quia sumus rudes et rebus sensibilibus affixi. 2. Ut magis ac magis firmaretur fides, etsi enim ea fides, quæ verbo ingeneratur, verbo sustentari queat, tamen magis adhuc confirmatur, quia verbum promiscuè homines alloquitur ; at sacramenta sigillatim distribuuntur. Jam autem etsi quæ promiscuè proponuntur, omnes movere debeant, quia neminem excludunt, multos tamen vehementiùs percellunt ea, quæ sigillatim assignantur, quia non modo neminem excludunt, sed et quemque peculiariter admonent rem propositam ad ipsum pertinere. Rursus

Segnius irritant animos demissa per aurem
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Verbum ferit auditum tantum, sacramenta plures sensus. 3. Ideò instituit sacramenta, quia Deus voluit idem præstare in fœdere suo, ac fit quotidie in fœderibus ; nam in fœderibus, quæ contrahuntur inter homines, mos fuit usitatus fœderum tabulas sigillis utrinque munire.

V. Ex dictis jam facilè colligitur multiplex relatio, quæ est inter *verbum* et *sacramenta*, simulque discrimen inter ea ; utriusque auctor est Deus, fundamentum Christus, finis salus ; sed differunt. 1. In eo quòd *verbum* absolutè est necessarium, *sacramenta* tantùm ex hypothesi. 2. Verbum auditur, sacramenta videntur. 3. Verbum generat fidem, sacramenta confirmant. 4. Verbum promiscuè ad omnes extenditur, sacramenta ad fideles tantùm. 5. Adultis verbum prodest sine sacramento, sacramenta non juvant sine verbo.

CAPUT II.

De Ministris Sacramentorum et efficacia Sacramentorum.

I. *Ministri* sacramentorum sub veteri Testamento poterant esse privati homines; ita circumcisio à privatis administrabatur: at ministri novi Testamenti ii sunt tantùm, quibus jus docendi ac prædicandi concessum est, ut videbimus in sequentibus, quum de baptismo dicamus. Illi ministri debent esse intenti ad ea quæ ipsis agenda sunt, ne aliud intendant agere quàm quod debent, sed intentionem ministri neutiquam ad essentiam sacramenti esse necessariam credimus. 1. Quia eadem est ratio *sacramenti* quæ *verbi* prædicati; at *verbi* prædicati efficacia non pendet ab intentione ministri, Phil. i. 16, 17. 2. Quia sic actio sacramentalis ab homine penderet. 3. Quia sic nulla daretur certitudo de sacramentorum effectu salutari, et sic tolleretur omnis vera consolatio. 4. Quia pastores sunt tantùm ministri, at non minùs valent diplomata à rege concessa, etsi ministri, qui sigillum apponunt, non intendant favere iis quibus concedunt. August. lib. III. contra Cresconium cap. 8. *Nihil refert ad efficaciam sementis, et plantationis, an lotis manibus, an sordidis id fiat; modò bonum sit semen et terra fertilis; nec desit calor solis, et pluvia de cœlo.*

II. Quoad *efficaciam* sacramentorum, existimamus sacramenta non operari gratiam, nec vim ullam inhærentem habere gratiam conferendi et producendi, sed esse tantùm *Signa et Sigilla*, quæ in usu legitimo gratiam obsignant, et exhibent fidelibus, Deo per Spiritus Spiritus virtutem verè præstante, et implente in fidelibus, quicquid signis promittit et significat; hinc nullam habent efficaciam nisi respectu fidelium, propter quos instituta sunt, interveniente fide.

III. Probamus autem sacramenta non operari gratiam. 1. Quia *gratia* est solùm effectum Spiritus Sancti non verò *sacramentorum*. *Remissio peccatorum*, aiebat Cyprianus, quæ *sive per baptismum, sive per alia sacramenta donatur, propriè Spiritus Sancti est, et ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet.* 2. Quia sic sacramenta physicè gratiam in se continerent, vel gratia esset alligata *sacramentis*, at hoc absurdum est, nam ut sine sacramentis multi servantur, ita cum sacramentis multi damnantur, ut Simon Magus. 3. Quia nullum corporale vi sua potest penetrare ad animam. 4. Quia si sacramentorum signa efficerent id quod significant

vi aliquâ sibi inhærente, in baptismo ablutio sordium carnis salvaret baptizatum contra locum 1 Pet. iii. 21. qui vult non eam baptismum servare, *quo carnis sordes abjiciuntur, sed inte rogationem bonæ conscientiæ.*

IV. Ut rectè intelligatur efficacia sacramentorum; observamus in genere sacramenta esse *signa*, quæ nobis ob oculos ponunt mysteria salutis nostræ; *sigilla*, quæ nobis confirmant promissa Dei; *pignora*, quæ nos certos reddunt gratiæ Dei, et ejus nobiscum communionis; *arrhabones*, qui nobis confirmant jus ad vitam æternam; *notas*, quæ nos distinguunt ab infidelibus; hæc paulò clariùs propohenda.

V. Dicimus itaque sacramenta non tantùm significare nobis gratiam, nam si hoc esset, frigidæ essent loquiones Scripturæ: imo si Deus in hunc tantùm finem instituisset sacramenta, ut significarent tantùm, signa magis viva, et *magis expressa* selegisset, quàm revera dedit, et multum prævalerent signa veteris Testamenti super signa novi Testamenti, imagines enim erant magis distinctæ; aliquid igitur ulterius præstant sacramenta. Ac. 1. sunt *notæ professionis* nostræ, ac militiæ nostræ tesseræ, baptismus, verbi gratiâ, est noster ingressus in Ecclesiam, *cæremonia* est quâ sub Christi vexillo nomen nostrum damus, nos Deo obstringimus, et Deus se nobis obstringit, salutem pollicetur, et nos, obsequium promittimus; sunt etiam notæ, ex quibus nosmet agnoscimus cum fratribus nostris, filios ejusdem familiæ, membra ejusdem corporis, milites ejusdem exercitus. 2. Sunt *sigilla*, quæ obsignant promissa Dei, et ea nobis confirmant; idque præstant, (1.) Quia rem, cui obsignandæ destinata sunt, præsentem animo faciunt, quantum signo fieri potest, atque rem, quasi per novam januam, si ansim ita fari, per oculos scilicet, in mentem introducunt. (2.) Quia applicant unicuique fideli particulariter promissa Dei. Promissa evangelii sunt generalia, ac proinde minùs feriunt, sed in participatione sacramentorum Deus omnibus illis, qui ad ea, ut par est, accedunt, dicit; *Peccata tua tibi sunt condonata*, et hæc applicatio est sigillum ac confirmatio, quæ reddit promissa certiora. 3. Sunt *signa exhibitiva*, quæ exhibent ea, quæ promittunt fidelibus: *exhibent*, (1.) Eodem modo ac clavium traditione quis mittitur in ædium possessionem, et olim Episcopi per baculum et annulum, investituram suam consequebantur. (2.) Exhibent, quia eo momento quo symbola accipimus, et ad ea cum fide accedimus, Spiritus Spiritus ineffabilibus modis operans, fidem firmat, ac gaudio summo animas perfundit,

sensum dat remissionis peccatorum, communionis Dei nobiscum, adoptionis nostræ, et juris ad vitam æternam, auget spem, et dat novum gradum sanctitatis. Utitur illis objectis Spiritus Spiritus ad excitandas in mentibus ideas pietatis et devotionis, et ad excitandam memoriam amoris Dei et beneficiorum ejus, sed adhuc alia præstat, de quibus alibi; non igitur augent et confirmant *fidem* sacramenta tantùm, quia nobis proponunt objecta quæ debemus credere, et *amorem*, quia docent, quantum Deus amavit nos, sed et quia Spiritus Sanctus ea sacramenta comitatur suâ gratiâ in iis qui benè utentur, et ideò dicuntur sacramenta nos *salvare*, ac vocatur baptismus *lavacrum regenerationis*.

VI. Tria præcipuè beneficia exhibent sacramenta, 1. *Remissionem peccatorum*, 2. *Sanctificationem nostram*. 3. *Nostrum cum Christo unionem*. 1. Remissio peccatorum nobis confertur in sacramentis, ut per sigillum appositum literis gratiæ, Deo sic volente, ut qui tale sigillum cum fide accepit, certus sit de remissione peccatorum. 2. Sanctificare dicuntur sacramenta quia excitant in mente ideas, quæ ad sanctificationem impellunt, et quia ea comitatur in fidelibus virtute sua Spiritus Sanctus. 3. Nos uniunt cum Christo, recipimus enim pignora amoris Christi, et nos ei damus nostri τεμάχια, tuncve recipimus novam mensuram Spiritus Christi.

VII. Verùm hic notandum, 1. Nihil conferre sacramenta impœnitentibus, et hypocritis. 2. Nihil fidelibus ipsis, si negligenter participent. 3. Deum gratiam justificationis ante sacramenti usum sæpè concedere, ut exemplum Abrahami probat. 4. Ideo has gratias tribui sacramentis, sive, quia aliquando in usu sacramenti Deus hasce concedat, sive quia, ut loquitur *Vossius*, has fides in sacramentis videt clarius, apprehendit firmius, tenet certiùs. 5. Sacramentis verbum esse præferendum, (1.) Quòd verbum in adultis et generet fidem et genitam foveat; sacramenta vero non gignant, sed tantùm conservent fidem. (2.) Quòd absque verbo non salvemur, quia qui non credit est condemnatus, fides autem est ex auditu: at sine sacramentis salvari possumus. 6. Sacramenta contemni non posse sine crimine, quia ea non possunt contemni, quin contemnatur is qui ea instituit, et gratia quam in iis offert.

CAPUT III.

De Sacramentis Veteris Testamenti et discrimine eorum à Sacramentis Novi Testamenti.

I. Duo ordinaria fuere veteris Ecclesiæ sacramenta. 1. *Circumcisio.* 2 *Pascha.* Sacramenti *Circumcisionis*, quæ *erat amputatio præputii, in confirmationem fœderis Dei*, duæ fuerunt periodi; *una* ab Abrahamo ad Mosem; *secunda* à Mose ad Christum. Primus ergo accepit circumcisionem Abrahamus, Genes. xvii. an. 99. Postea tempore Mosis factum est publicum totius Ecclesiæ sacramentum, *Moses nobis dedit circumcisionem*, Joh. vii. 22. *non quod ex Mose sit, sed ex patribus.* Hæc circumcisio *signum* erat initi *fœderis* à Deo cum Abrahamo, et semine ejus, Gen. xvii. 7; *obsignabat* remissionem peccatorum; *signum* erat, quod Christus ex ejus semine esset nasciturus, in quo pater fieret multarum genitum, Gen. xvii. 4. et xxi. 18. Rom. iv. 11, 13, 16, 17. Gal iii. 29. Admonebat et officii, juxta illud Jer. iv. 4. *Circumcidite corda vestra.*

II. *Minister* circumcisionis erat unusquisque pater familias, aut alius quis peritus: sic Abrahamus circumcidit filium, Gen. xvii. 23. non *fœmina* (exemplum enim Zipporæ fuit contra ordinem) aliis placuit esse sacerdotem, ex 1 Macchab. ii. 46.

III. Peragebatur hæc circumcisio cultro lapideo, vel vitro, vel ferro, Jos. v. 2. et omnes mares ita circumcidebantur, Israëlitæ et qui illis ex servis et ancillis nascebantur; fiebat octavâ die, nec illam diem anticipare licebat, ut ita infantum teneritati consuleretur, et ne arbitrarentur Israëlitæ, ab externo signo pendere gratiam Dei; ridiculè hodierni Judæi liberos suos ante octavum diem defunctos, in cœmeterio circumcidunt, ut isto signo Deus Israëlis semen agnoscat, nec in futura resurrectione, ut profanos, prætereat. Hac oratione utuntur Judæi in infantum circumcisione; *Ut hunc parvulum introduxisti in fœdus Abrahami patris nostri ita introduc eum in legem Mosis, in protectionem seu salutem, in matrimonium et in bona opera.* Negligere istud sacramentum nefas erat, Gen xvii. 14. nec *infantes* tantùm circumcidebantur, sed et *adulti proselyti*, vers. 23. Circumcisionem autem comitabatur *Nominis impositio*, Gen. xxi. 3, 4. Luc. i. 59. Luc. ii. 21. Testesque advocabantur, Is. viii. 2. Luc. i. 58, 59.

IV. Hæc circumcisio naturæ impuritatem testabatur; quòd recens natus infans in fœdus Dei transire non poterat, nisi libato priùs sanguine suo, illoque veluti lustratus, sed simul sigillum erat justitiæ, ut vocatur à Paulo, Rom. iv. 11. ac fœderis signum inter Deum et homines Gen. xvii. 1, 2, 10, 11. Aiebant Judæi circumcisum è gentium universitate exire, et tutam habere stationem sub alis Majestatis divinæ. Obsignabat promissionem factam Abrahamo solemni juramento, de Messiâ nascituro, sanguis enim in circumcisione fusus, sanguinem Messiæ præfigurabat, ac sanctificationem hominis repræsentabat, quæ vocatur circumcisio ἀχειροποίητος, Col. ii. 11.

V. Hæc Circumcisio abrogari debuit adveniente Christo, et hæc abrogatio habuit gradus suos; per mortem Christi revera antiquata est de jure, tamen propter infirmos adhuc Judæos circumcidi voluit Timotheum Paulus, Act. xvi. 1. 2, 3. Sed noluit circumcidi postea Titum, Gal. ii. 3, 4, 5. Post templi destructionem una cum reliquo templi apparatu abolita est, Gal. v. 3. Qui circumcisionem ut necessariam cultus à Deo instituti partem, vel ut medium justificationis suscipit, is excidit gratiâ, et rejicit Christum, quia sic testatur per Christum omnia non esse consummata, et quia circumcisionem suscipiens ad totius legis observantiam se obligat. Ceterum plures gentes fuisse circumcisas præter posteros Jacobi notum est, imò et legimus Pythagoram hanc sui decurtandi consuetudinem probasse et in se recepisse.

VI. *Pascha* est secundum sacramentum veteris Testamenti nomen ejus פסח *transitum* significat, à transitu angeli, Exod. xii. 13. ac significat hæc vox in Scripturâ. 1. *Angeli transitum.* 2. *Agnum paschalem* Exod. xii. 11. 21. 2 Chron. xxxv. 11. Luc. xxii. 7. 3. *Festum Paschatis* 2. Reg. xxiii. 21, 22. Luc. xxii. 1. 4. *Sacrificia* tunc temporis offerri solita, Deut. xvi. 2. Joh. xviii. 28. 5. *Sacramentum* quod consistebat in agni paschalis mactatione; et comestione hoc sensu nunc hanc vocem sumimus. Etsi fuerit sacramentum quoad epulum et sacrum convivium, fuit etiam sacrificium quoad mactationem agni, effusionem sanguinis, ejusque oblationem ad sacrificium. Institutum fuit in Ægypto primùm, et celebratum ultima nocte, quâ populus Israëliticus excessit, Exod. xii. 1.

VII. Cum certis cæremoniis debuit celebrari prima vice in Ægypto, 1. Adhibendus erat agnus aut hœdus masculus, anno non major; Exod. xii. 5. 2. Decimo die mensis Abib, seu Nisan ab ovili separandus, domi asservandus.

3. Mactabatur die 14 inter duas vesperas, id est, inter initium sacrificii vespertini et occasum solis, à tertia hora ad quintam, ex Josepho lib. VII. de bell. Jud. c. 17. 4. Sanguis illinendus erat postibus Exod. xii. vers. 7, 22. 5. Comedebatur die 15. statim ab occasu solis à circumcisis tantùm Exod. xii. 8. 44. et comedebatur assus à convivis, qui non erant infra decem, nec supra viginti. 6. Cum panibus azymis, lactucis, et herbis amaris ; ac summa cum cura collectæ domi fermenti particulæ flammis absumendæ tradebantur. 7. Comedebant agnum habitu festinantium. 8. Nullum os fragendum erat. 9. Quod in epulo reliquum erat, igni cremandum erat, nefas erat carnes sacras corrumpi.

VIII. Non eo modo celebrata sunt alia Paschata, in Ægypto locus mactationis erat privatorum ædes, Exod. xii. 7. postea moris erat mactare in tabernaculo, aut in atrio templi, Deut. xvi. 5, 6. 2 Chron. xxxv. 6. at manducabatur semper in privatis ædibus. *In Ægypto* ministri Paschatis erant *patresfamilias*, aut filii primogeniti, Exod. xii. 7. sub *lege* verò *patresfamilias* cum *sacerdotibus* et *Levitis*, 2. Paral. xxx. 15, 16, 17. et xxxv. 5, 6, 10, 11. Erat et *Pascha secundum*, quod celebrandum erat mense secundo die 14. ab iis qui primo mense, sive immundi sive absentes fuerant, Numer. ix. 6, 10, 11. tunc unus dies erat festus.

IX. *Pascha*, angeli destructoris *transitum*, et Israëlitarum exitum commemorabat, Exod. xii. 12. *triplicis* enim *transitus* erat commemoratio, 1. *Transitus severitatis et mortis* quoad primogenitos Ægyptiorum, Exod. xii. 12, 22. 2. *Transitus gratiæ* quoad primogenitos Israëlis, vers. 13 et 23. 3. *Transitus* è servitute in libertatem et hæreditatem terræ Canaan, vers. 11, 17. Verum adumbravit præcipuè sacrificium Christi veri agni Dei, qui tollit peccata mundi, Joh. i. 29. Es. liii. 7. sine labe, 1 Petr. i. 19, et qui dicitur *Pascha*, 1 Cor. v. 7.

X. *Implementum* Paschatis reperimus, 1. In *cruce* et *morte* Christi. Quò referendum quod à multis dictum est, agnum assum, in figuram cruci similem conformatum, ad ignem tostum fuisse, de quo videndi Buxtorfius et Bochartus. 2. In *vita fidelis* per prædicationem evangelii. 3. In *morte nostrâ*. 4. In *resurrectione nostrâ*. Celeberrimus Huetius notat apud Peruanos celebrari quotannis Paschales quasdam cæremonias. Atque hæc fuerunt *ordinaria* sacramenta; *extraordinaria* vulgò sic dicta, fuere *nubes miraculosa, transitus per mare rubrum, manna, aqua è rupe*, quibus

additur *serpens æneus*; sunt tamen potiùs typi Christi et beneficiorum ejus, quàm sacramenta.

XI. Differunt hæc sacramenta veteris Testamenti à sacramentis novi. 1. *Signis* ac *ritibus* externis. 2 *Facilitate utendi* 3. *Significationis modo*, venturum enim Christum significabant vetera sacramenta, exhibitum nova. 4. *Solos Abrahami posteros* obstringebant vetera, ad *omnes gentes* pertinent nova. 5. Differebant et duratione, vetera ad *tempus adventus Christi* durarunt, nova ad *finem seculorum*. 6. *Claritate* non ex signorum materiâ, nam signa vetera videbantur magis significantia, sed ex verbi adjuncti perspicuitate. 7. *Efficaciâ*, non quòd magis efficiant ac producant gratiam nova quàm vetera, sed quòd magis obsignent.

XII. At in multis conveniebant. 1. Utrorumque *auctor* erat *Deus*. 2. *Eadem res significata*, Christus cum suis beneficiis, unde dicuntur veteres comedisse *eandem escam*, 1 Cor. x. 3. *Eodem modo* debuerunt *recipi* per fidem. 4. *Idem verbum* mandati et promissionis, licèt non eædem voces, Gen. xvii. 7. Actor. ii. 38, 39. 5. *Idem effectus*, hinc datur permutatio nominum inter sacramenta veteris et novi Testamenti quæ promiscuè tribuuntur fidelibus veteris et novi Testamenti. *Circumcisio et Pascha* nobis tribuitur, Colos. ii. 11. 1 Corinth. v. 7, et *baptismus* veteribus, 1 Corinth. x. 2

XIII. Fuerunt quidem sacramenta veteris Testamenti umbræ, et typi rerum futurarum, tamen corpus ipsum nimirum Christum cum suis beneficiis suo modo exhibuerunt et applicaverunt. Quòd si *nihil esse* dicantur, 1 Cor. vii. 19, et *nihil valere*, Gal. vi. 15 ac esse *infirma et egena mundi elementa* id dicitur de iis, 1 Quando spectantur in se simpliciter, ratione *signorum* tantum, oppositè ad rem significatam, quo pacto idem dicendum de signis nostris. 2. Vel quando considerantur, ut abrogata post adventum Christi. 3. Vel respectu abusus hominum, qui iis alligabant gratiam.

CAPUT IV.

De Sacramentis Novi Testamenti, ac de Baptismo.

I. *Duo* sunt *sacramenta novi Testamenti Baptismus* et *Eucharistia*; non alia leguntur à Christo instituta, solis iis

competunt requisita ad sacramentum, non alia commemorat Paulus, nec plura requiruntur ad vitam spiritualem in fidelibus ingenerandam et confirmandam.

II. In his duobus sacramentis rationem habuit Christus moris inter Judæos usitati. Ac revera, 1. moris erat Judæis eos, qui falsorum Deorum cultu deserto ad cultum unius veri Dei accedebant, aquâ abluere, hinc mos proselytos consecrandi *circumcisione*, *sacrificio* et *baptismo*, unde tritum apud eos axioma; *Non est proselytus, usque dum circumcidatur et baptizetur.* Atque ita procedebant cùm baptizare volebant. 1. Interrogabant Proselytum, an sincerè Judaismum vellet amplecti. 2. De variis articulis eum edocebant, ac imprimis de Dei unitate, et de idololatriæ fœditate. 3. Circumcidebant. 4. Vulnere circumcisionis sanato ad baptismum adducebant præsentibus triumviris. 5. Dum baptizabant, edocebant præcepta legis. 6. Baptizabant in fluviis, stagnis, fontibus, vel in aliis aquarum receptaculis, aliàs nefas erat. 7. Integrum corpus, ne digito excepto, mergebant. Idque præstabant, tum ut baptizatus filius fœderis haberetur, et quasi de novo genitus haberetur; fingebant enim loco gentilis animæ novam aliquam in corpus proselyti mitti, postquam osculo divinæ Majestatis decorata est; unde dicebant *proselytum* esse veluti infantem, qui recens nascitur, ad quæ verba alludit fortè Christus Nicodemum alloquens, Joh. iii. 5. Qui plura voluerit adeat Seldenum, Buxtorfium, Lightfoot, Altingium. Hæc nobis sufficiant.

Ad istum modum Johannes Baptista jussu divino ritum hunc administravit inter Judæos, ut ostenderet istos, utpote corruptissimos, vitæ emendatione non minùs egere quàm profanas gentes; eum in finem hunc ritum usurpavit etiam Christus. Mos etiam erat diebus festis invitare propinquos; et in cœnæ fine panis melior afferebatur; eum convivator frangebat, ac particulas distribuebat convivis, afferebatur et calix, ex quo omnes, convivatore præeunte, bibebant; addebantur et gratiarum actiones, præterea subjungebatur historiæ diei solemnitati respondentis grata commemoratio, ac tandem hymnus in laudem Dei, in *paschate* pro liberatione ex Ægypto, in *pentecoste* pro data lege, in *festo tabernaculorum* pro alimentis et ductu in deserto; Dominus Jesus instituens cœnam hos ritus observavit, sed adjecit mortis cruentæ commemorationem.

III. *Baptismus* primum est sacramentum initiationis, ac quasi προπύλαιον gratiæ; de baptismo autem videbimus, 1.

Quid importet hæc vox? 2. Quotuplex distinguatur Baptismus? 3. Quomodo definiri debeat; quænam sint signa in baptismo, quænam res significata, et quænam analogia inter utrumque? 4. Quinam debeant baptizari? 5. An sit necessarius? 6. Quomodo sit administrandus, et quibus ritibus? 7. Quinam sint ministri baptismi? 8 Quænam sit efficacia baptismi?

Primò, *baptismi* vox ἀπὸ του βαπτειν deducitur, quod est *tingere* et *imbuere*, et quia vox Hebræa טבל, quam LXX. vertunt per βαπτίζειν 2 Reg v. 14. accipitur pro רחץ, quod significat *lavare*, hinc βαπτίζειν simpliciter sumitur pro *lavare* Marc. vii. 4. unde βαπτισμοὶ διάφοροι memorantur à Paulo, Heb. ix. 10.

Secundò, multiplicem *baptismum* distinxerunt veteres; quadruplicis imprimis mentionem faciunt, *baptismi flaminis*, *baptismi sanguinis*, *baptismi luminis*, *baptismi fluminis*: *baptismum flaminis* vocabant Spiritus Sancti effusionem vel ordinariam, vel extraordinariam; *baptismum sanguinis*, martyrium eorum, qui baptismo nondum tincti, in proprio sanguine baptizabantur, ut *Basilius* loquitur homiliâ de XL. martyribus; de eo loquitur Christus, Matth xx. 22. Marc. x. 38. *Potestis baptizari baptismo, quo ego baptizor? baptismum fluminis*, sacramentum aquæ; *baptismum luminis*, id est, doctrinam ab aliquo prædicatam. Distinguit scriptura baptismum *externum* et *internum*. Baptismus *externus et visibilis* est ille, qui fit ab homine; baptismus *internus* est baptismus invisibilis Spiritus; utrumque designat *Johannes Baptista*, Matth iii. 11. *Ego quidem vos baptizo aquâ, sed et ille vos baptizabit Spiritu Sancto et igne*: et Actor. i. 5. et *Petrus*, quum distinguit *baptismum quo sordes abluuntur externæ*, ab eo qui consistit *in stipulatione bonæ conscientiæ*, 1. Petr. iii. 21 quo loco, jam à nobis alibi citato, docet Petrus baptismum esse quasi solenne pactum et mutuum, in quo Deus interrogat baptizandum, et petit, num vult operam dare habendæ bonæ conscientiæ, et baptizandus interrogat quoque Deum, num velit esse suus Deus. In prima Ecclesia episcopus interrogabat catechumenum, num *renunciaret Satanæ*, et respondebat catechumenus, *renuntio*; episcopus petebat, *credis in Christum*, respondebat catechumenus *credo*. Hoc vocat Cyprianus *interrogationem baptismi*

Tertiò, *baptismus* est primum novi Testamenti sacramentum à Deo institutum, quo per externam aquæ aspersionem in nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti declaratur

et obsignatur fidelibus, tum remissio peccatorum per sanguinem Christi, tum sanctificatio per ejus Spiritum. *Auctor* baptismi illius est *Christus*, Deus et homo; institutio legitur, Matth. xxviii. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti*, unde Apostoli leguntur, eos omnes, quos ad fidem in Jesum Christum converterant, aquâ baptizasse, Act. ii. 41 viii. 12, 13, 38. x. 47. xxii. 16 xvi. 15. xviii. 8. *Signum* baptismi est *aqua* vera et naturalis, non oleum, non sputum, non mel. Istorum enim nec vola nec vestigium occurrit in Scriptura, ea respuit Christiana simplicitas. Aquam Christus selegit, tum ob facilitatem, tum ob convenientiam cum re significatâ. Eâ tantùm usi sunt Apostoli, Actor. viii. 38. Actor. x. 47. Ridiculi Seleuciani, et Hermiani, qui baptismum in aqua non excipiebant, ut observat Aug. hæres. LIX. abutentes loco Matth iii. 11. ut et Pauliciani, qui sola pronuntiatione verborum sacramentum perficiebant. *Res significata* in baptismo est, vel *sanguis Christi*, vel *Spiritus* Christi, vel potiùs *utrumque*, justificatio nostra per *sanguinem*, sanctificatio per *Spiritum*, hinc dicimur *baptizari in remissionem peccatorum*, et baptismus vocatur *lavacrum regenerationis*, Tit. iii. 5, 6. *Analogia* inter signum et rem significatam clara est, nam 1. ut aquâ abluuntur sordes corporis, 1 Petr. iii. 21. ita sanguis et Spiritus Christi abluunt sordes animæ, 1 Corinth. vi. 11. 1. Joh. i. 7. 2. *Immersio* in aquam et *emersio* usitata veteribus, notant veteris hominis mortem, et novi resurrectionem, Rom. vi. 3, 4. Col. ii. 12. *In aqua tanquam in sepulchro quòpiam, caput immergentibus nobis, vetus homo sepelitur; ac demersus totus inferiùs occultatur; deinde nobis emergentibus, novus deinde exsurgit;* Chrysost. 3. *Aspersio* aquæ notat nos aspergi sanguine Christi ad remissionem peccatorum.

Quartò, *subjectum* baptismi sunt omnes qui sunt in fœdere, sive verè sint tales, sive tales probabiliter censeantur, aut ob externam professionem et cum fidelibus communionem, aut ob nativitatem ex parentibus Christianis, absque ullo discrimine sexus, ætatis, gentis, quamvis fatendum ad solos electos pertinere baptismum. Unde colligendum 1. Non res inanimes, bestias, naves bellicas, urbium propugnacula, vexilla, campanas, esse baptizanda, quod non ferendum est rei sanctissimæ ludibrium. 2. Non baptizandos infantes Ethnicorum, &c. nisi adoleverint, aut instituti fuerint, ideò Gregorius I. multum improbavit Chilpericum Judæos baptizari coëgisse. *Infantes* itaque possunt et

debent baptizari, quod probatur, 1. Ex eo quod qui præcepit omnes gentes baptizari, is præcepit quoque baptizari infantes. At Christus Matth. xxviii. 19. præcepit baptizari omnes, nec mirum si in hoc loco præmittatur institutio baptismati, nam institutio respicit tantùm adultos, de quibus agebatur, pro statu primævæ Ecclesiæ ex adultis constituendæ. Patres primùm docendi erant, sed baptizatis patribus filii quoque poterant baptizari. 2. Quia ad eos pertinent fœdus Dei et sigilla fœderis, Gen. xvii. 7. et ipsis facta est promissio, Act. ii. 39. 3. Quia ad infantes pertinet *remissio peccatorum*, *regeneratio*, *regnum cælorum*, ergo signa harum gratiarum ipsis conferri possunt. 4. Quia eadem est necessitas baptismi ac circumcisionis; nam baptismo subrogata est circumcisio, et utrumque est sacramentum initiationis. Solitos Judæos baptizare proselytos cum infantibus observat Lightfoot ad Matth. xxviii. 19. Hoc credidit, et usurpavit vetus Ecclesia, quicquid dixerint Ludovicus Vives in lib. i. Aug. de civit. Dei, cap. 27. et Walafridus Strabo lib. de reb. Ecclesiasticis. Illud patet ex Irenæo, Origine, Cypriano, Ambrosio, Cyrillo, Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Innocentio, Augustino; hinc in Carthaginensi Concilio, an. 418. cap. 2. hæc leguntur, *Quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, &c. anathema sit.* Idem præscripsit Concilium Gerundense an. 517. cap. 5. et Bracense ii. an. 572. cap. 7.

Quintò, baptismus ille necessarius est, nec est tantùm ritus temporarius ad discriminandos Christianos à Paganis, non quidem ita necessarius est ut sine illo non possimus salvari; multi enim salvati sine baptismo, unde Christus dicit quidem, *qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit*, at non dicit, qui non baptizatus fuerit, damnabitur, verùm tantùm *qui non crediderit damnabitur*; sed adeo necessarius est baptismus, ut non possit negligi et contemni sine crimine; probatur ista necessitas; 1. Quia baptismus successit circumcisioni, ergo ut ista semper locum habuit, usque ad adventum primum Christi, ita baptismus ad secundum durare debet. 2. Quia eadem est ratio baptismi ac cœnæ. At cœna durare debet usque quò veniat Christus 1 Cor. xi. 26. 3. Quia effecta baptismi non modò pertinent ad conversos ex infidelibus, sed ad natos ex fidelibus, ut *communio cum Christo* baptizato, Rom. vi. 3, 4. Gal. iii. 27. *remissio peccatorum*, Actor. xxii. 16. *regeneratio Spiritus*, Tit. iii. 5. *vita æterna*, Marc. xvi. 16.

Sextò, quoad modum administrationis, olim baptizandi

toto corpore aquæ immergi solebant; ita Matth. iii. 6, 16. Joh. iii. 23. Actor. viii. 38. et hic ritus poterat in locis calidioribus usurpari, ac fatendum illum ritum optimè adumbrasse gratiam istam, quâ peccata quasi submerguntur, et ex abysso peccati resurgimus. At nunc aspersione utimur, nec mirum; quia existimamus in Ecclesiâ apostolicâ hanc aspersionem locum habuisse, nam vix credibile est, quum uno die ter mille baptizati sunt, immersos omnes esse. Rursus, quia domatim administrabatur baptismus. Præterea, quia vox βαπτισμὸς non minus aspersionem quam immersionem denotat. Insuper quia res significata baptismi, nomine aspersionis designatur 1 Pet. i. 2. Heb. x. 22. Deinde, quia sufficit ad analogiam; non à quantitate enim, sed à qualitate aquæ pendet baptismus. Tandem, quia aspersio commodior est tum ad prospiciendum sanitati baptizatorum, maximè in tenellis infantibus, in hisce locis frigidis, tum ut parcatur pudori respecta adultorum. Muscovitæ errant, qui docent immersionem esse de essentia baptismi, et illi Græci delirabant, qui in Concilio Florentino Latinos ἀβαπτίστους vocabant. Indifferens est aspergere ter aut semel; trinam aspersionem ad repræsentandam personarum Trinitatem adhibuisse veteres constat. *Non semel*, inquit Tertull. adv. Praxeam, cap. 16. *sed ter ad singula nomina in personas singulas, Patris, Filii et Spiritus Sancti tingimus.* Nos semel ad unitatem essentiæ notandam; hoc perinde est, nec super hoc cum ullo litigandum. Præstat investigare formulam baptismi. Formula à Christo præscripta est, Matth. xxviii. 19. *In nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti*, nec licet immutare. Equidem non legitur, apostolos usos fuisse hac formulâ; sed non sequitur illos eam omisisse, quòd ex mandato Christi baptizarint. Hæc *formula* plura docet; dum enim pastor baptizat *in nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti*, declarat hanc aquam, quâ infantem abluit, symbolum esse ejus in Dei fœdus et Ecclesiam admissionis. *Patrem* eum acceptare in filium, *Filium* in membrum corporis sui, et fratrem, et *Spiritum Sanctum* in templum, in quo vult habitare; ac vicissim signum esse ejus infantis in Deum triunum stipulationis, ut cultu et obsequio Patrem, Filium et Spiritum Sanctum adoret, et se totum adorandæ Trinitati in perpetuum consecret; notat etiam hæc formula hunc ritum non administrari privatâ hominum auctoritate et arbitrio, sed ex Dei instituto. Alii ritus additi, vestes albæ, gustatio mellis et lactis, ardens cereus, signum crucis in fronte et pectore, exorcismus,

exsufflatio narium et aurium ex saliva contactus cum Ephata; salis gustatio, unctio ex oleo in pectore et scapulis, unctio chrismatis in vertice. Sed hos ritus non instituit Christus, nec usurparunt Apostoli.

Septimò, ministri sacramentorum iisunt, quibus jus datum est à Christo evangelium prædicandi; siquidem hæc duo tanquam partes ministerii publici conjungit Christus, Matth. xxviii. 19. Nullus igitur nobis est baptismus, qui administratus est vel à Laico, (quicquid dixerint Tertullianus, Constitutiones Apostolicæ, Concilium Illiberitanum, Hieronymus, Gelasius, Augustinus, refragantibus tamen Basilio, nonnullisque aliis) vel à muliere, vel à puero; multò minùs censemus baptismum collatum à circulatore Ethnico vel Judæo, qui tantum in nomine Christi baptizaverit, esse bonum, ut credidit Nicolaus I. Papa ad Bulgarorum consulta, et ut statutum Florentini Concilii decreto. Huc referendæ sunt duæ quæstiones quæ fieri solent. 1. An *baptismus Johannis* idem fuerit essentialiter cum baptismo Christi? Respondemus convenire in essentialibus, utriusque auctor Deus est, Joh. i. 33. Luc. iii. 22. utriusque signum idem, *aqua*, Matth. iii. 11. Joh i. 33. utriusque eadem significatio, *remissio peccatorum et regeneratio*, Matth. iii. 7, 8. Luc. iii. 3. Actor. xix. 4. tandem idem *finis*. Hinc Tertullianus dicebat non quicquam referre inter eos, quos Johannes in Jordane, et quos Petrus in Tiberi tinxit. Sed discrepant ratione circumstantiarum quarundam, quæ minimè sunt essentiales; baptismus Johannis *venientem et moriturum* ostendebat Christum; baptismus noster ut *mortuum et suscitatum*. An, qui baptizati fuerunt à Johanne iterum baptizati fuerint à Paulo, Actor. xix. disquiritur inter doctos, nobis perinde est quicquid dicatur, nam cum ministerium Johannis fuerit œconomia intermedia inter œconomiam veterem et novam, æquè potuerunt baptizari baptismo Christi, qui baptizati fuerunt baptismo Johannis, ac baptizari potuerunt, qui circumcisi fuerunt. 2. Quæritur, an *baptismus ab hæreticis administratus sit legitimus*. Respondemus distinguendos esse hæreticos, alios qui substantiam baptismi corrumpunt, et formam institutionis omittunt vel mutant; alios qui substantialia retinent, et veram doctrinam de Sanctâ Trinitate, quæ in formulâ continetur, tuendo, in aliis doctrinæ capitibus errant, ut olim Novatiani, Donatistæ et hodie Pontificii. Quoad *primos hæreticos*, dicimus baptismum ab iis administratum non esse legitimum; eâ de causâ rejectus est baptismus Arianorum illorum, qui *baptizabant*

in solo Patre vero Deo, in Jesu Christo Salvatore et creaturâ, et in Spiritu Sancto utriusque servo, (de Arianis tamen docti dubitant, an revera ita baptizarint.) Pariter rejiciendus fuit baptismus Eunomianorum, qui fiebat, teste Epiphanio, hæres. LXXVI. *in nomen Dei increati, et nomen Filii creati, et in nomen Spiritus sanctificativi, et à creato Filio creati.* Paulianistas sive Samosatenianos rebaptizari jussit Concil. Nicenum cap. XIX. Verùm hîc observandum non agi de baptismo administrato à ministro, hæretico quidem, sed occulto, in Ecclesiâ vere orthodoxâ; nam tunc baptismus est legitimus. Quoad alios *hæreticos*, qui fundamentalia baptismi retinent, nec formam mutant aut corrumpunt, baptismum à talibus administratum ratum esse adstruimus; censemus quippe eorum baptismum esse legitimum: etsi enim non sint vera Ecclesiæ membra, illud non impedit, quominus verum baptismum administrent, modò substantialia ejus retineant, quia linguam et manum tantùm in hâc actione Deo commodant; Deus est qui baptizat. et qui per eorum ministerium est efficax. Baptismus hominem Deo Patri, Filio, Spirituique consecrat; nullius hominis placitis adstringit.

Octavò, superest ut de *efficaciâ* baptismi dicamus; pauca supersunt, dicenda post ea quæ diximus, dum de *efficaciâ sacramentorum* locuti sumus. 1. In genere videndum est, quænam gratiæ nobis in baptismo obsignentur; et repræsententur. (1.) Gratia est communio cum Christo, et jus ad sua beneficia. (2.) Remissio peccati originalis cum quo nascimur. (3.) Gratia est nova nativitas. Eucharistia est sacramentum nutritionis, et vitæ fidelis, nutrit enim eum; at baptismus est sacramentum regenerationis. (4.) Est *adoptio*, recipimur enim in numerum filiorum Dei; neminem Deus regenerat quin adoptet; ut neminem adoptat quem non regeneret. 2. Observandum, distinguendos esse baptizatos, vel adultos, vel infantes; quoad adultos nihil novum dicimus; et resumendum est, quod observavimus, dum de efficaciâ sacramentorum sumus locuti.

IV. Quoad infantes, distinguenda quatuor genera infantum, qui baptismo tinguntur. 1. Quidam adolescunt, sed qui nunquam convertuntur, et quos Deus prævidit morituros in impœnitentiâ; respectu illorum nihil obsignat, nihilque exhibet baptismus, dicere enim Deum iis condonare peccatum originale absurdum est; nam (1.) Vel Deus respicit eos infantes in communione Christi, vel non; si jam respicit eos in communione Christi, quomodo fieri potuit ut

in ea communione non manserint si non respexit in communione Christi, quomodo ipsis condonavit peccatum originale cum nulla remissio obtineatur nisi in Christo per imputationem suæ obedientiæ. (2.) Vel Pater iis remittens peccatum originale, eos in suum fœdus ac in suam communionem recepit, vel non; si non recepit, quomodo iis condonavit, non enim remittit nisi iis quos adoptat. Si recepit, quomodo in corruptione relinquit, nec convertit. 2. Sunt alii *infantes*, qui debent diu vivere post baptismum, sed qui non convertuntur actu, nisi 30. aut 40. anno ætatis, aut sub finem vitæ. Respectu illorum baptismus prius non explicat suam efficaciam salutarem, quàm actu convertuntur, nam quamdiu manent infideles aut impœnitentes, dici non potest, Deum eos justificasse, adoptasse, in communionem suam admisisse, aut aliquam mensuram Spiritus sanctificantis concessisse. Explicat autem suam efficaciam respectu illorum, eodem modo, quo diximus de efficaciâ sacramentorum, memoria eorum baptismi idem præstat respectu ipsorum, ac baptismus præstitisset, et Deus eo momento, quo meminerunt baptismi, exhibet suam gratiam; non est autem memoria nuda et theoretica, sed memoria conjuncta cum pœnitentia peccatorum post baptismum patratorum. 3. Dantur alii *infantes*, qui vivunt post baptismum, sed in quibus, dum explicant actus rationis, observatur pietas et fides, optimæ educationi parentum respondentibus; respectu *illorum* dicere possumus baptismum fuisse efficacem, Deumque ipsis remisisse peccatum originale, ac dedisse eam mensuram Spiritus, quæ reddit eos aptos ad recipienda objecta evangelica, quum ratio in iis incipiet agere. At quæri potest, an tantùm, eo momento, quo baptizantur, iis remittitur peccatum originale, an verò ante? Respondemus posse hæc omnia obtinere beneficia ab ipso utero matris, sed hæc confirmari in baptismo, qui ipsis est sigillum, pignus, et arrhabo; revera nescit quid fiat infans, sed cùm ad adultiorem ætatem venit, tunc id agnoscit, et ex ea cognitione elicit motiva ad sanctitatem. Quidam infantes regenerantur in utero, et ante baptismum; alii in ipso baptismo, alii post; nullum tempus assignamus. Quòd si aliquis dicat se non posse capere quomodo Spiritus Sanctus agat. Respondemus (1.) rem non esse negandam, etsi non capiamus. 2. Non difficilius esse capere Spiritum Sanctum restituere infantis facultates, et reddere aptas ad recipienda objecta evangelica, quum capax erit rationis, se capere peccatum originale, quod nihil aliud est, quàm depravatio harum

facultatum, quæ eos ad res sensibiles inclinat; si concipiatur principium mali ante omnem actum, cur non conciperetur principium boni ante omnem actum? Si Adamus non peccasset, ejus filii fuissent naturâ innocentes; cur non conciperetur Spiritum Sanctum ponere infantes, qui nascuntur peccatores, in aliquo statu regenerationis? Causa corruptionis nostræ est animæ nostræ facilitas ad sequendos motus corporis; quidni intelligeretur, Spiritum Sanctum impedire, quominus anima sequatur eos motus, et facere, ut anima rectificet corporis motus? 4. Sunt alii qui baptizantur, sed moriuntur ante adultam ætatem; respectu illorum, dicimus, quandoquidem dubitari non potest, quin ii infantes salventur, etiam non esse dubitandum, quin baptismus sit publica et authentica declaratio, Deum iis remisisse peccatum originale, et jus concessisse ad vitam, nam non possunt salvari infantes, nisi iis remissa sint peccata, et nisi sanctificentur.

V. Duo hæc addimus. Non existimandum esse, sacramentum baptismi aliquem characterem imprimere, propter quem sit irreiterabilis, nam, (1.) talis characteris nulla mentio in Scripturâ, (2.) Omnis sacramentorum efficacia pendet non à charactere, sed à gratia Spiritus Sancti; credimus tamen baptismum non iterandum esse, ut enim bis non nascimur, ita non opus est ut bis baptizemur. Delirant igitur Æthiopes, qui singulis annis, die Epiphaniæ baptismum renovant, in honorem Christi, quem eo die baptizatum credebant; ut et illi hæretici, qui baptizatos infantes, ubi adoleverint, denuò tingunt, eosque, qui ab una gentis suæ secta ad aliam transeunt. 2. Non existimandum esse infantes non baptizatos morientes damnari. (1.) Quia si filius damnaretur propter privationem baptismi, quæ absque ullâ propriâ culpâ contigit, portaret iniquitatem parentis, aut illius, cujus culpâ baptismo privaretur. (2.) Quia sic salutis certitudo à voluntate obstetricis, Judæi, Pagani sacerdotis suspenderetur.

CAPUT V.

De Sacramento Eucharistiæ.

I. *Alterum* novi Testamenti sacramentum est *sacra Cœna*, in quâ per panis fracti et vini effusi distributionem et perceptionem declaratur et obsignatur fidelibus commu-

nio corporis Christi pro ipsis fracti in cruce, et sanguinis pro ipsis effusi ad vitam æternam.

II. Varia nomina adhibent, tum Scriptores Sacri, tum Ecclesiastici; vocatur in Scripturâ 1. *Cœna Domini*, 1 Cor. xi. 20. quia *vesperi* primùm instituta et celebrata, 2. εὐλογία et εὐχαριστία, quia in eo sacramento Deo gratiæ aguntur, et symbolis benedicitur, 1 Corinth. x. 16. allusione ad poculum Paschatis quo convivium claudebatur, quod vocabatur כוס הלל, ποτήριον ὑμνήσεως, poculum laudis. Tracta hæc vox εὐλογίας partim ad portiones panis consecrati, quæ communicantibus distribuebantur; partim ad easdem portiones, quæ die Paschatis ad alias parœcias vel ἐπιδημοῦντας testandi amoris, et in fide consensus ergò mittebantur; quod prohibuit Concilium Laodicenum, partim ad frusta panis benedicti, quæ ad absentes mittebantur, et catechumenis distribuebantur. 3 Τράπεζα Κυρίου, mensa Domini, 1 Corinth. x. 21. 4. *Communio*, Κοινωνία, 1 Corinth. x. 16. (1.) Propter unionem fidelium cum Christo, et inter se, quæ in hoc sacramento obsignatur. (2.) Quia in eo sacramento Christi mortis et ejus beneficiorum fimus participes. (3.) Quia omnibus fidelibus olim in commune in synaxibus proponebatur. 5. Κλασίς ἄρτου, *fractio panis*, Act. ii. 42 Unde Syrus interpres vertit *fractionem Eucharistiæ*. Quoad scriptores Ecclesiasticos, multis nominibus hoc sacramentum expresserunt. (1.) Δοχὴ, *convivium*. (2.) Τροφὴ πνευματικὴ, *alimentum spirituale*. (3.) *Sacramentum panis*. (4.) Λειτουργία, *ministerium*. (5.) Σύναξις et συνάλιυσις, *conventus* et *congregatio*. (6.) *Collecta*. (7.) Μυστήριον φρικτὸν καὶ ἀπόῤῥητον, *mysterium tremendum*, et ineffabile. (8.) *Desiderata*. (9.) Τέλειον. (10.) Χάρις, *gratia*. (11.) Τὰ ἁγιάσματα, *sanctificata*. (12.) Τὸ ἀγαθὸν, *bonum* (13.) Μετάλημψις, *participatio*. (14.) Αἱ ἅγιαι μερίδες, *sanctæ particulæ*. (15.) Δῶρον, *donum*. (16.) Ἐφόδιον, *viaticum*. (17.) Vita. (18.) Τὸ πάσχα, *pascha*. (19.) Θυσία, *sacrificium*. (20.) λατρεία, *cultus*. (21.) *Pax Dei*. (22.) Εὐχὴ (23.) *Missa*. (24.) *Agapæ*. (25.) *Confirmatio*.

III. Non mirum est, Deum instituisse hoc secundum sacramentum; postquam enim nos in suam familiam recepit, nos ut filios suos alendos suscepit, ut quam vitam semel dedit, subinde conservet et reficiat; dato pignore nos hujus liberalitatis certiores esse voluit; ut ergo baptismo, initiationis nostræ et in Ecclesiam introitus sacramento, regenerationem nostram adumbrare voluit; ita sacra cœna nutritionem nostram et alimoniam per Christum significat. Instituit

itaque Deus hoc sacramentum ad commemorationem Christi et mortis ejus, Luc. xxii. 19. 1 Cor. xii. 26, Hæc enim est novi Testamenti Haggada; ad unionem nostri cum Christo et communionem beneficiorum ejus repræsentandam et obsignandam, et ad nos certos faciendos remissorum peccatorum et salutis per Christi mortem nobis partæ. Hinc Romanæ Ecclesiæ canticum; O *sacrum convivium; in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus: mens impletur gratiâ, et futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Institutionem sacræ cœnæ legimus apud Evangelistas, et apud Paulum Matth. xxvi. 26—28. Luc. xxii. 14—20. 1 Cor. xi. 23—26. Peracta communio ad mensam, cui accubuit Servator more seculi illius Judæis sueto in lectis triclinaribus.

IV. Symbola adhibita in cœna fuerunt panis et vinum; duplex signum, 1. Ad clariorem mortis Christi, et corporis ac sanguinis in ea separatione repræsentationem. 2. Ad perfectam alimoniam, quæ non minùs potu quam cibo indiget, significandam: panis et vinum adhibebantur, in sacrificiis, ac specialis erat oblatio panis ut et vini libamen. Num. xv. 4—10. Christus symbola adhibuit communissima, maximè familiaria et ubivis obvia, quia cum sacramentum ad finem usque seculi, et in omnibus regionibus, et in usum fidelium permanere deberet, signis raris, ac molestis ritibus constare non debebat, ne vel ubivis eorum copia non esset. Spirituali novi Testamenti œconomiæ magis consentaneum fuit, ut quotidianum aliquod symbolum adhiberetur, quod neque oculos neque mentem detineret; et à rei significatæ meditatione averteret. Nec mysterio caret, quod animalium carnes cruentas, ut in sacris veteris Testamenti epulis, ad hanc mensam afferri noluerit, sed solum panem ac vinum; post fusum Christi sanguinem nullus ampliùs sanguis in sacris effundi debet.

V. Panis quo usus est Christus, fuit panis *azymus* ex accidente, propter festum Paschatis, quo nec alio uti, nec alium habere fas erat, Exod. xii. 19. alias fermentato utebantur Judæi, res est planè indifferens, sed tamen convenientius est uti pane fermentato. 1. Quia magis facit ad scopum Christi, qui fuit adhibere panem communem, ubivis obvium. 2. Quia necessitas panis azymi pertinet ad cæremonias Judaicas. Unde constat symbola Eucharistica olim desumpta esse ex oblationibus panis et vini factis à fidelibus, quæ proculdubio erant ex pane ordinario et fermentato.

VI. *Secundum* signum *vinum* est, vitis fructus, Matth. xxvi. 29. indifferens est quo colore tinctum sumatur, an

aquâ dilnatur, ut à veteribus factum est, et ut fortè à Christo præstitum, an merum sumatur, ἀκράτισμα quoque est. Veteres aquâ vinum temperabant, ut triplex mysterium designarent; 1. Ut significarent sanguinem et aquam, quæ ex perfosso Christi latere profluxerunt. 2. Ut duarum naturarum Christi unio designaretur. 3. Ut unio Christi cum populo fideli denotaretur. Hæc nec carpimus, nec laudamus. Observandum tantùm in locis, ubi vini penuria est, loco potus ex uvis expressi, illud quod vini vicem ibi præstat, licitè usurpari posse, quod de pane etiam dicimus. Concessum ab Innocentio Norvegis, quòd vinum apud eos ob intensum frigus durare non posset, absque vino sacra facere, anno 1490. tempore Friderici III. Imperatoris.

VII. Sequitur, ut ritus examinemus, qui usurpantur in celebratione Eucharistiæ; plures adhibuit Christus.

Primo, accepit et benedixit, Matth. xxvi. 26. Luc. xxii. 19. poculum benedictionis vocat Paulus, 1 Cor. xi. 25. sic consecravit panem et vinum, hoc est præparavit ad usus sacros precibus et gratiarum actione; secutus est hac in re Christus consuetudinem Judæorum, apud quos Paterfamilias integrum adhuc panem manu tenens, super eum solemnem benedictionem recitabat; ita in esu Paschatis peculiaris erat benedictionis formula, in consecratione azymorum; *Benedictus sit Dominus Deus noster, rex mundi, qui nos et patres nostros eduxit ex Ægypto, et jussit edere panes azymos:* et in consecratione calicis, *Benedictus sit Dominus Deus noster, rex mundi, qui creavit fructum vitis.* Verisimile est peculiari consecratione usum esse Christum. Hac *benedictione* consecrata sunt symbola, nam in hâc benedictione continebatur gratiarum actio pro beneficiis acceptis ad Deum, et *supplicatio,* ut symbola illa ad sumentium usum beneficiumque spirituale efficacia redderentur. Atque ita solebant precibus consecrare veteres, ut ex liturgiis veterum, et eorum scriptis constat, et hæc omnia fiebant non susurro tacito, sed altâ voce, ut populus posset *Amen* ingeminare; nec timendum sic sacramentum vilescere, nam pari modo evangelium alta voce non esset prædicandum. Ita hâc benedictione consecrata fuisse symbola patet, quia non alium in finem benedicuntur, quàm ut ad usum sacrum destinentur. Consecratio non potest fieri sine precibus, imò consistit in precatione, per quam gratia Dei invocatur super symbola ad eorum sanctificationem. Sic Solomon consecravit templum eximia oratione 1 Reg. viii. sic Christus benedictione consecravit panes, in mira-

culo panum. Per hanc consecrationem non evi
et vinum, sed eorum usus mutatur.

Secundus ritus fuit *fractio panis*, more etia
Judaïcis desumpto, ubi paterfamilias peracta l
panes frangebat, et convivis distribuebat; et
quia Judæorum panes, qui instar placentularu
non spissi, frangi solebant, non scindi; imò s
nius ad an. 58. Judæos panes suos coquentes e
bus in particulas signatos confecisse, unde eos
bant, sed frangebant. Verùm non tantum id fi
usum Judæorum, sed ad designandum mysteriu
sui frangendi in cruce, unde non credimus talen
negligendum. 1. Quia Christus jussit ut faci
fecit, *hoc facite*. Nec dicendum multas circu
Christo observatas, à nobis ad imitationem n
quòd cœnam vesperi accumbens celebrarit.
mum discrimen inter ea, *fractio panis* ad cœ
pertinet; cœnam vesperi vel mane celebrare est
2. Quia Paulus expressè hunc ritum insinuat,
frangimus, 1 Cor. x. 16. 3. Quia ritus iste eg
brat fractionem Christi in cruce, et fructus sa
inde ad nos manant, quod Apostolus testatur, q
xi 24. referens verba institutionis dicit corpus
τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. 4. Quia semper usurpav
Apostolica; unde dicuntur discipuli, Actor. ii
verasse in *fractione panis;* et ita usurpavit s
mum usque seculum vetus Ecclesia, si pene
fides; hinc vocantur *micæ*, *margaritæ*, ἀγίαι
menta panis, et in ordine Romano ante annos
et ultra conscripto, legitur, diaconos frangere l
usquàm dividant. Olim Gothicæ Ecclesiæ i
in novem partes hostiam frangebant, quia Chr
viventis Historiam novem nominibus complectel
erant, *Corporatio*, *nativitas*, *circumcisio*, *app
sio*, *mors*, *resurrectio*, *gloria*, *regnum*.

Tertius ritus fuit *distributio*, idque juxta rit
orum, apud quos, postquam paterfamilias gust
convivis distribuebat.

Quartò, successit præceptum Christi, *accipi
&c. hoc facite in mei memoriam*, unde colligitu
porrexisse panem manu prehendendum. Ex
canon apud Judæos citatus à Maimonide, qui i
*Frangens dat particulam coram unoquoque,
datur, tollit eam manu sua, neque licet ei illan*

comedentis dare, nisi fuerit lugens. In veteri Ecclesiâ aliquomodo variatum. *Justini* tempore diaconi distribuebant unicuique præsentium. Tempore *Clementis Alexandrini*, quisque de patina partem sumebat. Tempore *Tertulliani* institutum, ut de præsidentium manibus sumeretur, postea δοχικοῖς vasculis pretiosis vel aureis utebantur, quod vetitum in Concil. VI. in Trull. cap. 102. jussumque manus in formam crucis componere et recipere communionem. Anno 590. ordinatum, ne nudis manibus, quod viri faciebant, mulieres Eucharistiam tractarent, sed adhibito linteolo nitido eam acciperent, quod *Dominicum* vocabant. Postea cœptum est interdici, ne manu sacramentum contrectaretur, ut vetitum in Concilio Rhotomag. c. 2. Eadem præstitit Christus respectu *poculi*, quæ præstiterat circa *panem*, quum jussit bibere, ut jusserat comedere.

VIII. Quæritur, an Christus ipse cœnam comederit? Respondemus 1. Certum esse morem fuisse à Judæis usurpatum, ut paterfamilias de benedicto pane primus ederet; ad mores autem Judæorum allusisse Christum notum est, 2. Eadem phrasi quâ usus est Christus de poculo paschali, *non bibam*, Luc. xxii. 18. usum quoque de poculo sacræ Eucharistiæ, Matth. xxvi. 29. 3. Nullam rationem afferri posse, cur Christus cœnæ minùs quàm baptismi particeps esse voluisset. 4. Ita sensisse patres.

IX. Res *significata* in sacrâ cœnâ docetur à Christo ipso, dum de pane ipso dixit, *hoc est corpus meum*, juxta morem Judæorum, qui agnum paschalem vocabant, *corpus Paschatis;* ac de *vino*, hic *est sanguis meus &c. fractio* et *effusio* notant fractionem corporis Christi et effusionem ejus sanguinis; *manducatio* et *bibitio* notant intimam cum Christo conjunctionem.

X. Analogia horum signorum cum re significata clara est: nam 1. ut panis et vinum sufficiunt ad vitam corporalem sustentandam, et conservandam; ita corpus et sanguis Christi sunt media sufficientissima vitæ spirituali fovendæ et conservandæ. 2. Ut panis et vinum separantur in cœnâ, ita corpus et sanguis Christi separata sunt in cruce. 3. Ut panis frangitur et vinum effunditur, ita corpus Christi fractum in cruce, sanguis effusus. 4. Ut panis et vinum non nutriunt, nisi oraliter percipiantur, ita nec corpus et sanguis Christi animam alunt, nisi per fidem recipiantur, et applicentur. 5. Ut communicantes participes sunt omnes unius panis, ita fideles participes sunt unius Christi, et cum eo, et inter se in unum corpus coalescunt, 1 Cor. x. 17.

Unio autem panis cum corpore Christi est merè relativa, ut inter regem et ejus imaginem, annulum et dignitatem, chartam et possessionem. Verùm non tantùm sacramentum Eucharistiæ nobis hæc significat, sed obsignat etiam communionem nostram cum Christo intimam, imò in eo sacramento sese nobis dat Christus cum suis beneficiis.

XI. Cœna non debet administrari nisi adultis, non verò infantibus, ut crediderunt multi ex veteribus; nam maximum est discrimen inter baptismum et cœnam. 1. Baptismus est sacramentum initiationis in Ecclesiâ; at sacra cœna est sacramentum institutum ad nutriendam animam et confirmandam fidem, per commemorationem beneficiorum Christi; *primi* sunt capaces infantes; *secundi* tantùm adulti. 2. Illud confirmatur ex eo quod Paulus exigit examen ab iis qui recipiunt sacram cœnam, at examinis non sunt capaces infantes, non autem magis mirum videtur, baptizatos infantes non admitti ad cœnam, ac non mirandum erat, si circumcisi infantes olim Pascha non comedebant. Non debet quoque administrari cœna furiosis et amentibus, quibus sacra symbola ingerere est profanare, nisi quando illi mente capti dilucida patiuntur intervalla, quibus insaniam deponunt, et communione rectè uti possunt Non debet administrari non baptizatis, nam ante baptismum non censentur homines esse in Ecclesiâ; ideo cœnâ excludebantur catechumeni, ut et pœnitentes. Quoad *mutos*, admitti possunt, si singularibus indiciis fidem suam ostendant.

CAPUT VI.

De Sensu horum verborum; Hoc est corpus meum.

I. CHRISTUS cœnam celebrans dixit, *Hoc est corpus meum;* Quæritur an hæc verba intelligenda, sensu *proprio*, an *figurato;* nos existimamus sensu figurato intelligenda esse.

Ac *primò*, quidem posse hæc verba ita sumi, nemo, ut opinor, negabit, nam 1. Stylus figuratus usitatus est scriptoribus orientalibus. In omnibus ferè testamentis, verbi gratiâ, figuratæ occurrunt locutiones, Gen. xlix. Deut. xxxiii. 2 Sam. xxiii. 1 Reg. ii. 5. 2. Stylus idem usurpatur non rarò à Christo, quum se vocat vitem, viam. 3. Stylus ille usitatissimus est in sermone ordinario; dicitur de *tabellâ*, *hic est Rex*. 4. Verbum, quod additur, *est*, et ab Hebræis

subintelligitur, non rarò ponitur pro *significare*, ita *septem vaccæ sunt septem anni, ossa sunt domus Israël, petra erat Christus, bonum semen sunt filii regni.* 5. In celebratione Paschatis, paterfamilias dicebat, hic panis est afflictionis, quem patres nostri manducarunt, et, ut jam dictum est, vocabant *agnum assum*, corpus Paschatis. 6. In celebratione cœnæ stylum figuratum adhibet Christus, dum dicit, *hic calix est novum testamentum;* corpusque Christi dicitur fractum, quamvis ibi non frangeretur nisi in figura.

Verum *secundò*, pertendimus hæc verba debere sumi sensu figurato, juxta quatuor hasce regulas, quas sensus communis dictat. 1 Quando locus aliquis dicit aliquid absurdi, debet sumi sensu figurato. 2. Quando propositio aliàs impossibilis est, ac contradictiones varias includit. 3. Quando aliàs videretur textus imperare crimen, si sumeretur sensu proprio. 4. Quando sic tribuuntur res indignæ Deo. At hæc omnia sequerentur, si *sensu proprio* sumerentur verba Christi, ut in sequentibus notabimus. Præterea probamus sensu figurato debere sumi; 1. Quia Christus instituebat sacramenta, at natura est sacramentorum esse *signa* et *figuras*, ita Deus instituens circumcisionem, dicit *hoc est fœdus meum.* Agnus paschalis dicitur transitus Jehovæ, Exod. xii. 11. 2. Quia eodem modo intelligere debemus, ac intellexerunt Apostoli; at sensu figurato intellexisse patet, ex eo quod nihil objiciant Christo super re adeo stupendâ, qui tamen super omnibus rebus stupebant, ut quum Christus iis dixit, *Cavete à fermento Pharizæorum.*

Imo, *tertiò*, pertendimus non posse aliter sumi, nam, præter varia quæ in sequentibus dicemus, dum de præsentia Christi in Eucharistia verba faciemus. 1. Quandoquidem Christus de pane loquebatur, quum dixit, *hoc est corpus*, cùm corpus Christi non possit prædicari de pane, nec enim panis est corpus, certum est necessariò esse recurrendum ad figuram. 2. Addit Christus, *quod fractum est pro vobis*, at tunc fractum non erat corpus Christi, ergo necessariò hîc est agnoscenda figura.

II. Nec magis mirum videri debet, si verba hæc figuratè intelligi dicamus, ac quum quotidie dicimus de imagine regis, hic rex est; hoc sanè certum, propositiones esse figuratas, quando prædicatum cum subjecto non identificatur, at corpus Christi non identificatur cum pane.

III. Ita intellexerunt Patres. Tertul. lib. iv. contra Marcionem. *Acceptum panem et distributum discipulis corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum, dicendo, id est figura corporis mei.* August. in Epist. ad Adimantum cap.

XII. *Non dubitavit Dominus dicere, hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui.* Et Facundus Episcopus Hermianensis ita loquitur, lib. IX. cap. ult. *Potest sacramentum adoptionis adoptio nuncupari, sicut sacramentum corporis et sanguinis ejus, quod est in pane et poculo consecrato, corpus ejus et sanguinem dicimus, non quòd propriè corpus ejus sit panis, et poculum sanguis, sed quòd in se corporis, sanguinisque mysterium contineant.*

CAPUT VII.

De Præsentiâ Christi in Eucharistiâ.

I. PRÆSENTEM Christum esse in Eucharistiâ non negamus, et quidem variis modis. 1. Quia ut Deus omnia replet. 2. Quia per Spiritum suum cum animâ nostrâ Christus unitur, et quia efficaciam suam explicat in nobis, ut sol dicitur præsens in aliquo loco, quum in eum locum vibrat radios. 3. Quia præsens est per symbola, quæ illum repræsentant. 4. Quia fidei nostræ præsens est ejus corpus et sanguis.

II. At negamus ejus corpus esse præsens in Eucharistia, ita ut sit actu et realiter in sacramento. 1. Quia si præsens esset corpus Christi in Eucharistiâ, sequeretur corpus Christi non esse verum corpus, siquidem nec esset visibile, nec impenetrabile, nec circumscriptum, et corpus fieret spiritus, innumera loca occuparet, simulque esset unum et non unum, parvum et magnum, corpus procerum includi posset in puncto, imò ubique esse posset; at hæc absurdissima quis non videt? 2. Quia sic confunderentur divinitas et humanitas Christi, nam sola divinitas Domini est immensa, imò corpus cum spiritu confunderetur. 3. Quia hæc præsentia corporalis contraria est Scripturæ, quæ docet, (1) Christum esse, quâ hominem, similem nobis in omnibus. (2.) Christi corpus tantùm ex beatæ Virginis substantiâ formatum, non verò ex pane. (3.) Christum habere corpus visibile et palpabile Luc. XXIV. 39. (4.) Christum ascendisse in cœlum, ac reliquisse mundum. (5.) Non debuisse semper esse in terrâ, ut pauperes. (6.) Debere manere in cœlis usque ad restaurationem omnium, Act. iii. 21. (7.) Nos non debere iis credere, qui dicunt de Christo, *Ecce in deserto est; Ecce in conclavibus.* (8.) Imò contraria est iis quæ dixit Christus, *hoc facite in mei memoriam*, quæ jungenda cum iis quæ dicit Paulus, *annunciabitis usque dum veniat.*

4. Quia hæc præsentia inutilis est, nam sola præsentia Spiritus Christi utilis est, nec minus præsens fidei corpus est, etsi sit in cœlis, ac si in terris esset invisibile.

III. Ex eo quòd præsens non sit corpore Christus, patet, non posse dici, panem et vinum, in corpus et sanguinem esse conversa, nam hæc transubstantiatio. 1. Est contraria *testimonio sensuum* non unius, sed plurium, et sensuum omnium hominum, qui nihil aliud vident, gustant, odorantur, tangunt, quàm panem. Testimonium autem sensuum hic non recusandum: distinguenda enim sunt *mysteria*, quæ à rebus corporeis planè abstracta sunt, et sub sensus neutiquam cadunt, ut mysterium Trinitatis, in quo audire sensus absurdum est, ab *iis mysteriis*, quæ rebus corporeis involuta sunt, ut sunt sacramenta, in quibus audiendi sensus; nec enim eorum superant sphæram unde ad eorum testimonium provocavit Christus, ad veritatem suæ resurrectionis probandam. 2. Est contraria *rationi*, quæ docet. (1.) Non posse corpus plura loca occupare. (2.) Corpus esse extensum et habere partes extra partes. (3) Accidentia non posse esse sine subjecto. 3. Est contraria *Scripturæ*, ut patet ex dictis de præsentiâ corporali, quod potest confirmari ex eo quòd symbola Eucharistica idem nomen retineant post consecrationem, quod habebant antea, ut patet ex inspectione locorum Matth. xxvi. 29 Marc. xiv. 25. 1 Cor. xi. 23, 26, 27, 28. 4. Destruit *naturam sacramenti*, nam transubstantiatio destruit *signum*, dum panem abolet, *signatum*, dum corpus Christi spoliat suâ quantitate, et abolet analogiam inter utrumque, cùm relationis sacramentalis fundamentum tollat. 5. Destruit naturam *veræ conversionis*, nam in conversione requiritur, ut res, in quam alia convertitur, de novo producatur. 6. Non necessaria est *transubstantiatio* in cœna, magis quam in baptismo, in quo aqua non transubstantiatur in sanguinem Christi. 7. Vel transubstantiatio fit per *annihilationem panis*, vel per *transmutationem panis in corpus Christi;* si prius, non est *transubstantiatio*, sed tantùm substitutio corporis Christi in locum panis: si posterius, tunc corpus fieret ex pane. Rursus vel producitur in Eucharistiâ corpus Christi, vel è cœlo deducitur: *produci* dici non potest; quia si produceretur, vel ex *nihilo*, vel ex *pane*, vel ex *aliâ materiâ;* non esset idem cum corpore Christi in cœlo existente: *adduci* dici quoque nequit, quia ut jam dixi, sic non posset vocari transubstantiatio.

CAPUT VIII.

De Manducatione Christi.

I. MANDUCARI debere carnem Christi dixim
Christus Joh. vi. 53. Sed quænam sit natura ma
explicandum.

II. Non esse manducationem *corporalem* p
Quia sic corpus Christi sanctissimum et glori
sordibus et impuritatibus subjiceretur, in stom
missum. Alii addunt illam manducationem for
quia esset ἀνθρωποφαγία, unde August. lib. III. d
Christiana cap. 16. probat hanc phrasim, *mand*
figuratam, quia aliàs jussisset Christus scelus p
Quia hæc manducatio *impossibilis* est, cùm Chi
sit in cœlo, docente Scriptura. 3. Quia hæc n
oralis *inutilis* est, siquidem sola manducatio
sufficit ad salutem, cùm manducatio oralis sola
impios, qui à salute excluduntur; non inservit il
ducatio *ad realem unionem carnis Christi cum*
trâ, quia communio quæ nobis intercedit cum Cl
tur spiritualis, 1 Corinth. vi. 17. Ephes. iii. 1
illa per *fidem* et *Spiritum;* non *ad unionem cun*
ratione; non *ad resurrectionem nostram*, quia
eam tribuit Spiritui Christi, Rom. viii. 11. non
stationem amoris Christi erga sponsam, quia
patefecit in morte sua, et quum eam desponsavit

III. Esse spiritualem multa probant, ac impri
tio cap. vi. Joh. ex quo deducitur; agitur eni
loco, 1. De manducatione, quæ *dat vitam æter*
50, 54, 2. De manducatione, quæ unionem r
Christi nobiscum et nostri cum Christo constante
petuam post se trahit, vers. 56. 3. De manducat
qua nulla est salus, ac proinde quæ communis fui
veteris Testamenti. 4. De ea, quæ respondet fa
spirituali, et quæ per fidem fit. *Qui credit in*
sitiet, vers. 35. 5. De ea manducatione, quæ per
fieri debuit, qma caro nihil prodest, vers. 63.

IV. Non mirum est, si hâc metaphorâ utatur
1. Id fecit, quia solet Scriptura res spirituales
mine rerum corporearum adumbrare. 2. Quia h
phora apposita est ad communionem nostram cun
designandam. 3. Quia Christus sese accommodi

pulorum captui, ex rebus, quæ se objiciebant oculis, suas locutiones trahebat; at panum miraculum præstiterat. 4. Quia de manna locutus fuerat. 5. Quia sic voluit carnem opponere *victimis legalibus, quæ offerebantur ad expiationem peccati*, quibus vesci non licebat, nec quoad carnem, nec quoad sanguinem, quod denotabat insufficientiam talium victimarum, quæ ita igne justitiæ divinæ absorbebantur, ut nihil rediret ad alimentum populi; vel per allusionem ad veteris legis institutum, quo sacerdotibus peracto sacrificio de victimarum carnibus epulari fas erat, Levit. vi. 16, 17, 18, 25, 26. vii. 6, 7, 31, 34, vel ad illud quod in *Eucharisticis sacrificiis* populo licebat de iis comedere.

V. Si quæratur, Quomodo manducatur caro Christi? Respondemus id fieri, 1. Per continuam meditationem passionis Christi. 2. Per applicationem assiduam meriti et obedientiæ Christi. Rectè August. in Joh. Tract. XXV. *Quid paras dentes et ventrem? Crede, manducasti* et Tract. XXVI. *Hoc est manducare illum escam, et illum bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se habere.*

CAPUT IX.

De Communione sub utraque specie.

I. DIXIMUS Christum jussisse poculum bibere, æquè ac panem edere, et utrumque distribuisse Apostolis, idem nobis præstandum esse censemus.

II. Probatur 1. quia id præstare debemus, quod à Christo institutum est et mandatum, nec ejus institutio et ejus mandatum unquam violari debet, at Christus dixit *bibite omnes*, et sub utroque symbolo Eucharistiam instituit, dicens, *hoc facite in mei memoriam*, idem igitur præstandum respectu poculi ac respectu panis. 2. Quia Paulus recitans institutionem *Eucharistiæ*, ecclesiam Corinthiacam ad sumendum utramque speciem obligat, 1 Cor. x. 16. et xi. 26, 28. 3. Quia hæc mutilatio sacramenti impugnat finem duplicem, propter quem sacramentum est institutum, tum ut sit commemoratio mortis Christi, quæ eximiè fit sub duabus speciebus separatis, quæ separationem sanguinis à corpore Christi designant; tum ut sit symbolum planæ sa-

tritionis nostræ per Christum. 4
semper usurpavit usque ad Conc
1415. habitum, ut patet ex test
Tertulliani, Origenis, Cypriani,
Pseudo-Clementis, Athanasii, Op
Commentariorum in Paulum, qu
latuit, Basilii, Gregorii Nazianzen
sostomi, Hieronymi, Augustini, A
rum innumerorum.

III. Memoranda sunt testimon
mani et *Gelasii*. Leo de cavendis
apud concionem Romanam verba
reticis tradit, Ser. 4 de Quadrag.
*tegendam infidelitatem suam nost
teriis, sic in sacramentorum comm
interdum tutiùs lateant, ore indig
piunt, sanguinem autem redemption
declinant* Eodem seculo, quinto
gem tulit *Gelasius* Pontifex quoqu
apud Gratianum de Consecr. d 2
teribus canonistis, *Ascino*, *Yvon
imus quod quidam sumptâ tanti
portione a sacri cruoris calice
cui dubio, quoniam nescio quâ su
stringi, aut integra sacramenta per
arceantur; quia divisio unius ej
grandi sacrilegio non potest prove
iensis, qui octavi seculi exitum vidi
num composuit in dedicationem E
num alloquens ita canit.

*Tuo sacrato hîc depasti
Tuoque sancto satiati sa
Ab hoste tuo defensi mu
Læti fideles sortiamur se
Vitæ perennis sine fine g*

Seculo XI. an. 1095. in Synodo Cl
Urbanus Pontifex Romanus *Corpu
nicus sanguis singulatim accipiatu*

IV Etsi igitur non omnes possint
mii, verbi gratiâ, debemus semper illi
debent quicquid in se est facere, a
quòd si non possint, debent creden
cipes fieri Christi, quia Deus, qui e

nasci voluit, supplet suâ parte, et totam rem significatam confert. Eodem modo de abstemiis ratiocinandum, ac de surdis; jam enim quis concluderet, homines posse dispensari ab audiendo verbo, quia surdi illud non audiunt?

CAPUT X.

An Sacramentum Sacræ Cœnæ sit sacrificium propitiatorium?

I. Duæ adhuc quæstiones supersunt expendendæ. 1. An in Eucharistia offeratur Deo, externum et propriè dictum sacrificium, verè propitiatorium pro peccatis vivorum et mortuorum? Nos credimus nullum in Ecclesiâ Christi dari sacrificium verum, reale et propriè dictum propitiatorium, præter sacrificium Christi semel in cruce oblatum, quod iterari non posse, nec debere censemus.

II. Probamus autem non dari ullum tale sacrificium præter sacrificium Christi. 1. Quia hoc nuspiam docet Scriptura, at hoc non omisisset, si reverà tale daretur sacrificium; innumeræ enim rationes ad hoc dogma proponendum impellebant petitæ à mysterii tanti momento, et difficultate illud credendi. 2. Quia Eucharistiæ institutio nihil habet affine ad sacrificium; Christus in cœnâ non adstitit altari, ut se ipsum immolaret, sed panem et vinum sanctificavit ac distribuit discipulis, idem jubet præstari ab apostolis. 3. Quia Christus est unicus sacerdos novi Testamenti et sacerdos secundùm ordinem Melchisedeci, sine successore suffraganeo, Hebr. vii. 17. 4. Quia de uno sacrificio Christi, meminit Scriptura, Hebr. vii. 26. semel eum se obtulisse dicit Paulus, et cap. ix. 25. *non ut se offerat sæpe semet ipsum* &c. vers. 27, 28. *ut statutum est semel mori, ita et Christus semel oblatus est:* cap. x. 10. *sanctificati sumus per oblationem semel factam*, &c. 5. Quia ad sacrificium propitiatorium requiritur sanguinis effusio, et mors victimæ, Hebr. ix. 22. *sine sanguinis effusione non datur remissio*, at in sacramento nulla est sanguinis effusio: 6. Quia quod perfectum est omnibus numeris, non potest, nec debet iterari; at Christi sacerdotium perfectum est, unde dicit Paulus *Christum in perpetuum unicâ oblatione consummasse sanctificatos*, Heb. x. 14. Quandoquidem Christus se offerendo in cruce, nobis remissionem peccatorum acquisivit, cur aliud quæreremus sacrificium, nam *ubi est peccatorum remissio, ibi non amplius est oblatio*, Heb. x. 18.

III. Non dissimulandum est altaris mentionem fieri Heb. xiii. 10. sed *altare* Christus est, et dicitur *altare nostrum*. 1. *In cruce* per oblationem corporis sui, et respondet *altari holocaustorum*: non dicimus tamen crucem debere dici *altare*, nam altare sanctificat victimam, at crux minimè sanctificat Christum. 2. *In cœlo*, per intercessionem, relatè ad *altare suffitum*. 3. In *mensâ* relatè ad *cibos* victimarum in altari oblatarum, quia apponitur nobis in alimentum.

IV. Non dissimulandum quoque Patres ati vocabulis oblationis et sacrificii. 1. Ut Judæorum et gentium criminationes diluerent, ac testarentur non carere sacrificio Ecclesiam Christi. 2. Quia sacramentum est commemoratio sacrificii Christi. 3. Ratione precum et hymnorum, qui sacrificii nomine veniunt, et qui ibi offerebantur. 4. Quia sacramentum fiebat ex donis et oblationibus panis et vini, quæ offerebantur à populo, tum in sacri epuli usum, tum in pauperum alimoniam.

CAPUT XI.

De Adoratione Eucharistiæ.

1. SUPEREST ut verbum addamus de adoratione Eucharistiæ, post ea quæ diximus, patet, 1. Revera pani et calici suam deberi reverentiam, tum ob *auctoris* majestatem, tum ob rerum quas obsignant præstantiam, tum ob usum, quem habent in religione. 2. Fideles debere in sacramento Christum sedentem ad dextram Dei adorare, eo tempore, quo ejus mortis memoriam recolunt. 3. At minimè sacramentum esse adorandum.

II Probatur hoc, 1. Quia nullibi jubetur adoratio Eucharistiæ: accipere panem, bibere vinum, facere omnia in Christi memoriam, nullibi adorare jubemur. 2. Quia nuspiam legimus apostolos adorasse Eucharistiam, imò recumbebant, quum Christus celebravit Eucharistiam; nec usquam dicitur eos genibus flexis coram sacramento, quòd à Christo porrigebatur, procubuisse. 3. Quia corpus Christi non est in Eucharistiâ ut probavimus. 4. Quia vetus Ecclesia nunquam Eucharistiam adorari censuit, quod patet, (1.) Ex eo quòd Justinus Martyr, qui totam cæremoniam Eucharistiæ describit, nullam adorationis mentionem facit.

(2.) Ex silentio Irenæi, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Cypriani, Origenis. (3.) De hac adoratione nihil in liturgiis, quæ prostant sub nominibus St Petri, St. Jacobi, St. Marci: nec in ea, quæ extat in libro Constitut. Apostolicarum, nec in scriptis Pseudo-Dionysii Areopagitæ, qui expressè de celebratione sacramenti agit. (4.) Illud idem evincitur, ex eo quòd vocent ut plurimum Patres sacramentum, panem et vinum in actu ipso communionis, frumentum, fructum vitis, fructum messis; quod non fecissent, si eum esse adorandum voluissent persuadere. (5.) Ex eo quòd ad absentes absque ulla cæremonia mittebant. (6) Ex eo quòd apud veteres licitum fuerit, corpus suum Eucharistiâ in morbo inungere, vino sacro vice atramenti in subscribendo uti, particulas sacras cum fidelium corporibus sepelire, quæ remanserant peracta communione cremare, vel in puteum projicere. (7.) Ex Paganorum et Judæorum silentio, qui hanc dubio procul Christianis objectassent adorationem, ut post undecimum seculum objecerunt Muhammedani, Judæi et Philosophi. (8.) Ex eo quòd Patres non modo damnant eos qui colunt ea quæ humano præsidio egent, quæ muris, seris, repagulis muniri indigent, sed et summam esse insaniam asserant adorare quod comeditur, Theodoret in Genes. Quæst. 55. T. 1. Quod ipse Averroes agnovit, dicebat enim, ut refert Card. Perronius, *Se sectam Christianâ*, (Pontificiâ scilicet) *deteriorem aut ineptiorem nullam reperire, quam qui sequuntur ii quem colunt, Deum dentibus suis discerpunt atque devorant.* 5. Ulterius non esse adorandam Eucharistiam probamus, ex eo quòd, etsi adesset corpus Christi, non tamen sequeretur esse adorandum, siquidem sola Divinitas Christi est objectum adorationis. At Divinitatem Christi in sacramento adorandam non esse, patet, ex eo quòd sic sequeretur quoque Christum esse adorandum in baptismo ubi æquè adest ac in cœna. Verùm certum est nos non obligari ad adorandum Deum adoratione externâ, ubicumque adest, sed ubi adest cum radiis majestatis gloriosæ, et ubi vult adorari: aliàs adorandus esset in arboribus et animalibus. Adorandus est in cœlis, ubi gloriosè se patefacit, ut olim ad arcam adorabatur, quia ibi Deus se patefaciebat. Adorandus itaque Christus, at non Eucharistiæ sacramentum. Illi Christo adorando, ut et Patri Spirituique Sancto sit laus, et gloria in secula seculorum. Amen.

THESES THEOLOGICÆ

IN ARTICULOS CONFESSIONIS GALLICANÆ

Ex totâ Theologiâ depromptæ.

In Articulum I.

Th. 1 DEUM existere ita notum est, ut id negare summa sit insania.

2. Unicum esse et ratio et Scriptura asserit, contra impiam Gentilium πολυθεότητα.

3. Sub variis nominibus sese nobis cognoscendum præbet, inter quæ nomen יהוה eminet, quod nulli creaturæ unquam tribuitur.

4. Dei natura planè spiritualis est, nec videri potest oculis corporis, ac simplicissima est, omnis compositionis expers.

5. Æterna est, sine initio, sine fine, sine successione.

6. Omnipræsens est Deus, et immutabilis, idem semper manens, tum respectu essentiæ omniumque attributorum, tum respectu scientiæ et voluntatis.

7. Omnia novit certò, etiam futura contingentia, et intimos mentis recessus.

8. Optimus est, sed idem justissimus, ac peccatorum vindex; et ita justitia ei essentialis est, ut peccatum inultum relinquere nequaquam possit.

9. Omnia potest, quæ non implicant contradictionem, et quæ ejus perfectionibus non repugnant.

10. Infinitus est, et ejus infinitas per omnia ejus attributa diffunditur.

11. In eum non cadunt propriè affectus, cum imperfectionem involvant.

12. Tandem summopere est beatus, qui plenissimè in suis perfectionibus acquiescit, atque iis delectatur.

13. Describi igitur potest; *Ens æternum, simplicissimum, infinitum, immutabile, optimum, maximum, justissimum, sapientissimum, omnipræsens, misericors, felicissimum, perfectissimum, omnium, extra se rerum auctor et conservator.*

In Articulum II.

Th. 1. Quandoquidem Deus lux est mortalibus inaccessa, nisi ipsis se revelare dignetur, variis modis iis se manifestare voluit.

2. Non tantùm sui notitiam in mentibus eorum impressit, unde ferè nulla gens tam barbara sub cœlo, cujus mentem non imbuerit aliqua Divinitatis opinio, et quæ omni religione planè careat.

3. Sed et per opera sua Creationis et Providentiæ, nunquam satis laudata, se ita cognoscendum præbuit, ut à nemine, nisi sponte cæcutiente, ignorari queat.

4. Ex hac naturali cognitione manarunt illæ civiles leges, justi et æqui vindices, quamvis sæpe multum sordium contraxerint ex canalium, per quos transierunt, luto.

5. Verùm quia hæc prima revelatio homini, peccati et Satanæ suâ naturâ mancipio, ad salutem non sufficiebat; aliam longè ampliorem addere voluit per verbum, quod mysteria salutis, naturæ planè incognita, nobis aperuit.

6. Hoc verbum primò viva voce tradi voluit Deus; mox gravissimis de causis scripto consignari jussit, ut esset certa fidei morumque norma.

7. Non igitur scriptum est verbum tantàm ex specialibus occasionibus, sed singulari Dei consilio, mandato, et afflatu, adeoque verè divinum est, et αὐτόπιστον.

In Articulum III.

Th. 1. Sacram Scripturam duobus voluminibus, veteris nimirum et novi Testamenti, complectimur.

2. Non alios veteris Testamenti libros pro Canonicis habemus, quam quinque libros Mosis, librum Josuæ, Judicum, Ruth, duos libros Samuelis, et duos Regum, duos libros Chronicorum, primum Esdræ, Nehemiam, Estheram, Jobum, Psalmos, tres libros Salomonis; quatuor Prophetas majores, et duodecim minores.

3. Nec alii ex novo Testamento pro canonicis nobis sunt, quàm quatuor Evangelia, Acta Apostolorum, quatuordecim Epistolæ Pauli, septem reliquorum Apostolorum Epistolæ; et Johannis Apocalypsis.

4. Explodimus igitur librum Tobiæ, Judith, Baruchi, Sapientiam, Ecclesiasticum; 1. 2. 3 4. Maccabæorum 3. et 4. Esdræ, Additamenta Estheræ, Canticum in fornace

trium Puerorum, Historiam Susannæ, Idoli Bel conis, Orationem Manassis, Appendicem Jobi, Præfationem in Jeremiam, aliaque hujus furfuris.

5. Nullos ex libris sacris periisse credimus.

6. Illi libri legi debent, et eum in finem in li gares transferri, ac verti.

7. Nullæ versiones sunt æquiparandæ tamen sed ad illud expendi debent et emendari, nulli nec septuaginta virali, nec vulgatâ.

In Articulum IV.

Th. 1. Constituto sacrorum librorum canone, s de eorum divinitate, et auctoritate dicamus.

2. Illos igitur divinitus inspiratos esse perte nihil scripsisse Auctores sacros, nisi vel afflant gente Spiritu Sancto.

3. Characteres Divinitatis in iis plures eluc ter alios, sublimitas mysteriorum, sanctitas præ efficaciâ doctrinæ, veritas prophetiarum, summa diversissimis locis et temporibus scribentium omnium ad unius Dei gloriam directio.

4. Cùm divini sint ii libri, summa quoque e nos est auctoritas, quæ non ab Ecclesiæ testimo denda est, quamvis istud testimonium utile esse

5. Existimamus igitur Ecclesiam quidem n Scripturam præstare, præconis, vindicis, ac inter agere, sed prætoria quadam potestate auctoritat ciliare negamus.

6. Unde non credimus Scripturam esse div hoc Ecclesia dicit, sed quia rádios divinitatis in cantes intuemur.

7. Non tamen arbitramur illos Divinitatis ita omnibus patere, ut non opus habeamus Spir luce, quâ illustrati divinam esse Scripturam cla mus. Spiritus quoque gratiam necessariam es ad persuasionem de divinitate Scripturæ in cordi ingenerandam.

8. Hæc Scriptura regula est fidei nostræ et tantùm Scriptura novi Testamenti, sed et veteri

In Articulum V.

Th. 1. Scriptura non modò certa est, sed

omnis veritatis norma, quæ ab hominibus suam auctoritatem non mutuatur.

2. Plenè igitur ac sufficienter ea omnia, quæ necessaria sunt ad salutem continet, ut ad traditiones recurrere non sit necesse, nec illi quicquam addere, aut detrahere liceat.

3. Non putamus tamen omnia expressè contineri, ac totidem verbis, sed nihil ad salutem necessarium esse arbitramur, quod vel expressè non legatur, vel per legitimas consequentias non eliciatur, ex sacro codice.

4. Indubitabilis igitur Scriptura norma est, ad quam omnes controversiæ examinari et decidi possunt à qua recedere nefas, et cui nec decreta hominum, nec concilia, nec enthusiasmi, nec alia quævis opponenda, sed omnia ad istum canonem expendenda censemus, ita ut nihil à nobis admittatur, quod cum hac norma non consentiat; sed quicquid cum ea consonat lubentes recipiamus.

5. Atque ea causa est, cur tria admittere non renuamus symbola, vulgò dictum Apostolicum, Nicænum, et vulgò dictum Athanasianum.

6. Non tantùm plenè omnia ad salutem conducentia complectitur Scriptura, sed et perspicuè; quamvis plura abstrusa mysteria contineat, et alia ad salutem non necessaria, intellectu difficilia in ea reperiantur.

In Articulum VI.

Th. 1. Scriptura, quæ unum Deum esse docet, tres quoque esse Personas demonstrat, quibus nomen Dei, attributa, opera et cultum adscribit, scilicet Patrem, Filium et Spiritum Sanctum.

2. Illæ tres adorandæ Personæ non sunt tres Dii, inter se tamen distinguuntur.

3. Pater dicitur generare Filium, ab æterno, et Spiritus Sanctus ab utroque procedere.

4. Mysterium hoc Trinitatis totum in Scriptura fundatur, et quamvis superet rationem, cum recta ratione tamen non pugnat, et singulares habet usus in praxi.

5. Filium igitur, et Spiritum Sanctum esse personas divinas, coæternas, et coëssentiales Patri, tuemur.

In Articulum VII.

Th. 1. Deum æternum, hunc mundum in tempore creâsse credimus.

2. Nihil enim quicquam est præter Deum, quod ab ipso non sit creatum.

3. Mundus igitur æternus non est, nec materia, ex qua mundus conditus, æterna est, imò nec esse potuit.

4. Sed ex nihilo educta est materia mundi, infinitâ Dei potentiâ.

5. Hæc potentia creandi nulli creaturæ communicari potest.

6. Mundus intra sex dierum intervallum conditus est. Prima die cœlum et terra, cum luce creata sunt, postrema homo ad imaginem Dei formatus est, quæ imago in solo dominio, quod ipsi concessum in res sublunares, non consistit, sed et præcipuè, in justitia et sanctitate.

7. Inter creaturas quæ à Deo creatæ sunt, referimus Angelos, quamvis de eorum creatione sileat Moses, et ignoretur quâ die conditi sint.

8. Eorum essentia spiritualis est, ac immortalis. Eorum potentia ac cognitio nequaquam infinita est. Non cognoscunt cogitationes, nec miracula præstare possunt.

9. Cùm omnes Angeli conditi fuerint boni, sed tamen mutabiles, alii in eo statu constantes manserunt; alii propria culpa et voluntario lapsu, se in æternam damnationem præcipitarunt.

10. Malorum angelorum lapsus est irreparabilis.

11. Angeli boni piorum hominum custodiæ inserviunt, non verò cuilibet homini est angelus custos assignatus.

12. Nec invocandi sunt, nec adorandi.

In Articulum VIII.

Th. 1. Postquam Deus res omnes creavit, minime eas casui aut fortunæ permisit, sed secundum sanctam suam voluntatem eum in modum regit ac gubernat, ut nihil in hoc mundo absque ejus jussu aut permissione contingat.

2. Non universalia tantùm et genera singulorum Providentiæ divinæ subsunt, sed etiam singularia quæque, non maxima tantùm et summa, sed et infima et minima, nec sola necessaria, sed etiam ea, quæ nostro respectu maximè contingentia videntur.

3. Huic etiam subsunt ipsamet creaturarum peccata, licet citra blasphemiam Deus vel auctor, vel causa peccati dici nequeat.

In Articulum IX.

Th. 1. Primus hominum ad imaginem Dei sanctus et innocens creatus, hoc felicissimo statu suâ culpâ excidit, et sibi summum infortunium accersivit, legem à Deo positam transgrediendo, et fructum arboris vetitæ edendo.

2. Commissum fuit peccatum hoc, non quòd gratiam suam Deus subtraxerit homini, sed quia homo libertate sua abusus est.

3. Hac inobedientiâ, justitiam originalem, cum qua creatus erat, amisit, mortem æternam meruit, et morti temporali obnoxius factus est, qui immortalis fuisset, si in innocentia perstitisset.

4. Hinc tenebræ occupatunt mentem, corrupta fuit voluntas, perturbati affectus.

5 Non existimamus tamen ita deletam fuisse in eo imaginem Dei, ut nullæ superfuerint reliquiæ, aut eum liberum suum arbitrium amisisse, sed putamus in eo statu fuisse, ut absque gratiæ auxilio nihil boni præstaret, nec præstare posset.

In Articulum X.

Th. 1. Adamus non sibi tantùm, sed et posteris suis nocuit; unde in Adamo omnes moriuntur, ut in Christo omnes vivificantur.

2. Hinc factum ut peccatum ejus ad posteros propagatum fuerit, et propagetur, quod peccatum originale dicitur.

3. Eo omnes à matris utero infecti nascuntur, nemoque ab ea lue immunis fuit; præter Christum Servatorem nobis per omnia similem factum, excepto peccato.

4. Nec ipsa Maria Christi mater beata hujus originalis labis expers fuit.

5. Non consistit istud peccatum in mera privatione seu carentia justitiæ.

6. Labes ista omnes nostras facultates occupat, et ex ea velut ex fonte obsceno, omnia alia peccata manant.

In Articulum XI.

Th. 1. Peccatum originale verum est peccatum, ac morte æterna dignum.

2. Manet in nobis, quamdiu in hisce terris vivimus, etiam post baptismum, quamvis condonetur fidelibus.

3. Naturam nostram ita inficit, ut in spiritualibus nihil ampliùs vel veri cognoscere, vel boni velle queamus absque auxilio Dei, imò ad malum ita propensi simus, ut ad illud semper feramur.

4. Præter istud peccatum originale, alia quotidie patramus, quæ fluunt ex prima labe.

5. Licèt omnia peccata æqualia esse negemus, tamen agnoscimus mortem omnia mereri, nec ullum esse veniale.

6. Omnium tamen peccatorum remissionem consequuntur fideles, unde iis nulla est condemnatio.

7. Nullum peccatum irremissibile dici debet præter peccatum in Spiritum Sanctum, in quod nulli unquam electi cadere possunt.

In Articulum XII.

Th. 1. Ex toto humano genere per Adamum lapso, et exitium æternum promerito quosdam Deus elegit ad et salutem destinavit.

2. Objectum electionis Dei non sunt omnes homines, sed quidam tantùm aliis nec meliores nec digniores, considerati ut lapsi, et ut æternæ mortis rei.

3. Non facta est electio ex prævisione fidei aut operum, sed à solo Dei beneplacito pendet.

4. Æterna est, ante jacta mundi fundamenta; certa et peremptoria quarundam personarum, quarum numerus est definitus, irrevocabilis, immutabilis.

5. De ea certus esse fidelis potest.

6. Ut quosdam Deus elegit; ita etiam alios præterivit, et in miseriâ suâ reliquit, quos æternis pœnis ob peccata addicit.

In Articulum XIII.

Th. 1. Cum justitia divina non pateretur homines salute donari, nisi priùs pro peccatis ab iis commissis ei satisfactum esset, constituit Deus mittere Filium suum, qui justitiæ suæ satisfaciens, salutem electis compararet.

2. Nemo hoc præstare poterat, præter unum Christum, beatæ Virginis filium, Immanuelem nostrum, verum Deum ac verum hominem, qui triplici munere instructus fuit à Patre, ut triplici malo per peccatum invecto mederetur; quique λύτρον, loco nostro, nec tantùm nostro bono justitiæ Dei iratæ, persolvit.

3. Hunc Jesum solum et verum esse Messiam à patribus expectatum, et expetitum, adversus Judæos tuemur, nec alium expectamus.

4. Non aliud nomen datum fuit hominibus per quod salventur; et quotquot sub veteri Testamento salvati sunt, ut et quotquot sub novo servantur, non nisi per ipsum et propter ipsum, ac fide in eum salvatos fuisse censemus.

In Articulum XIV.

Th. 1. Necesse erat ut Mediator noster esset Deus et homo, quia nec solus Deus pro nobis mortem perpeti potuit, nec merus homo justitiæ Divinæ satisfacere, mortem vincere, Diabolum debellare, ac peccatum expiare valuit.

2. Hæc causa fuit, cur Christus Dominus noster qui ab æterno Deus est benedictus, in plenitudine temporum naturam humanam assumpsit, in unitatem personæ, et hæc assumptio vulgò *incarnatio* appellatur

3 Sic in Christo duæ sunt naturæ, divina et humana: illam cum Patre et Spiritu Sancto eandem habet; hanc nobiscum habet communem. Secundùm utramque noster est Mediator.

4. Corpus ab eo assumptum non phantasticum et apparens tantùm fuit, ut Marcionitæ fingebant, sed verum corpus carne, sanguine et ossibus compactum, ac sub sensus cadens.

5. Caro Christi ex substantia Virginis desumta est, non cœlitùs delapsa, non ex essentia Patris, aut aliâ ignotâ materiâ. In utero beatæ Mariæ ex ejus substantia formata est, operante Spiritu Sancto.

6. Verùm etiam animam habuit, nec Deitas animæ locum occupavit, ut somniavit non nemo.

7. Infirmitates nostras sed tantùm inculpatas suscepit, sanctissimus enim fuit, nullius peccati labe infectus; nec peccavit, nec peccare potuit.

In Articulum XV.

Th. 1. Christus ita assumsit naturam humanam, ut inde tamen non sequatur duas esse in Christo personas.

2. Arctissimè natura humana et natura divina, unitæ sunt in *Christo*, quamvis earum unio perfectè explicari non possit.

3. Ita tamen unitæ sunt, ut non sint confusæ, et ut unaquæque suas proprietates distinctas retinuerit.

4. Non igitur censendum naturæ humanæ Christi communicatas divinæ proprietates, ut omniscientiam, omnipræsentiam, et omnipotentiam, ac vim vivificam.

In Articulum XVI.

Th. 1. Ut Christus officio sibi demandato ritè fungeretur, in duplici statu versari debuit, *exinaniri* et *exaltari*, ut salutem acquireret, et salutem acquisitam nobis applicaret.

2. Summus exinanitionis ejus gradus fuit *mors*, quâ Dei justitiam placavit, et nobis vitam meruit; plenèque ac perfectè Deo satisfecit.

3. Post mortem, corpus sepulchro est traditum; falsum verò vel corpore, vel animâ ad inferos descendisse, ut ibi de Satana triumphos ageret, vel Patres è Limbo educeret.

4. Nec ita intelligenda sunt verba symboli vulgò dicti apostolici, quamvis ab Apostolis non compositum sit.

5. Post triduanam detentionem corporis in sepulchro, resurrexit Christus è mortuis, suâ et Patris potentiâ suscitatus, non penetrando sepulchrum clausum, sed ex sepulchro aperto prodeundo.

6. Postquam per aliquot dies post resurrectionem se discipulis suis conspiciendum dedit, ascendit in cœlum vera et locali ascensione, non corporis disparitione.

7. Corpus idem, in quo passus fuerat et resurrexerat, retinuit, sed gloriosum et immortale reddidit, non verò post resurrectionem deposuit, aliudque assumsit.

In Articulum XVII.

Th. 1. Unico Christi sacrificio vero, et propitiatorio, in cruce oblato, peccatorum veniam, et jus ad vitam impetramus.

2. Eo quippe, verè ac perfectè justitiam Dei placavit, ac cum Deo nos reconciliavit.

3. In ea unica oblatione plenè acquiescimus, eosque omnes improbamus, qui Sanctorum merita Christi meritis adjungere non erubescunt.

4. Damnamus etiam eos, qui unica et non iteranda crucis oblatione non contenti novum sunt commenti Missæ sacrificium.

5. Idem judicium ferimus de iis, qui in contumeliam sanguinis pretiosi, à quo purgamur ab omni peccato, ignem purgatorium excogitarunt, et qui propriam stabilientes justitiam, merita sua jactare audent.

6. Rejicimus quoque eos, qui proprias vel Sanctorum venditant satisfactiones; ac Christum solum pro nobis satisfecisse, nosque ab omni pœna liberasse, pertendimus.

In Articulum XVIII.

Th 1. Ex perfecta Christi satisfactione pendet nostra coram Deo *Justificatio*, quæ cum sanctificatione nostra minimè est confundenda.

2. Hæc justificatio actio Dei est gratuita, quæ propter justitiam Christi nobis imputatam et fide apprehensam peccata omnia nostra nobis condonat, et jus ad vitam largitur.

3. Verbum igitur *justificandi*, cùm agitur de justificatione nostra coram Deo, non significat ex injusto facere justum per infusum justitiæ habitum, aut infusam justitiam augere; sed sumitur sensu forensi, ac denotat judiciariam actionem, condemnationi oppositam.

4. Solus Deus hujus beneficii auctor est; solus enim habet jus condonandi peccata

5. Causa meritoria, propter quam homo justificatur in judicio Dei, non est fides, aut actus credendi, non obedientia novæ vitæ, quæ pro perfecta justitia per gratuitam acceptilationem apud Deum admittatur; non habitualis et inhærens justitia; non opera, ne quidem illa quæ per fidem facta sunt.

6 Sed sola justitia Christi et obedientia nobis imputata, est causa meritoria, propter quam peccatorum remissionem consequimur, et jus ad vitam obtinemus.

In Articulum XIX.

Th. 1. Ut sine morte Christi cœlum nobis inaccessum foret, ita per eam, quæ peccatorum remissionem et jus ad felicitatem obtinuit, apertus nobis ad thronum gratiæ aditus, et data παῤῥησία ad Deum accedendi.

2. Per eum solum ad Patrem datur aditus; unicus enim est noster Mediator, qui pace per sanguinem facta, æternam redemptionem nobis est adeptus; quique pro nobis quotidie intercedit.

3. Illos igitur omnes improbamus, qui alios mediatores obtrudunt, puta angelos, sanctos sanctasque, et qui suffragia, intercessiones, meritaque sanctorum cum meritis et intercessionibus Christi conjungunt.

4. Preces nostræ Deo non sunt gratæ, nisi quatenus Christi merito et satisfactione nituntur.

5. Ab eo etiam, quicquid est in nobis vitæ spiritualis, ut et temporalis haurimus; ac caput nostrum est unicum, ut unicus Mediator.

In Articulum XX.

Th. 1. Per solam fidem amplectimur justitiam Christi, ideò per eam solam justificari dicimur.

2. Non credimus tamen fidem esse causam justificationis nostræ, quæ admittatur à Deo per gratuitam acceptilationem, aut aliquem fidei actum esse justificationis meritorium.

3. Objectum fidei debet esse verum, nec illi potest subesse falsum, nec aliud objectum est fidei, quàm verbum Dei.

4. Objectum proprium sive specificum fidei est promissio specialis misericordiæ in Christo.

In Articulum XXI.

Th. 1. Hæc fides non est omnium, sed electorum tantùm; nec existimamus gratiam *sufficientem subjectivam*, ut loquuntur *quidam*, dari omnibus et singulis.

2. Producitur illa fides à Spiritu Sancto, qui mentes cæcas illuminat, voluntates flectit.

3. Illa fides tamen non producitur sola operatione Spiritus Sancti sine verbo; agit per verbum et cum verbo Spiritus.

4. Gratia, quâ Spiritus Sanctus operatur in nobis fidem, non est tantùm suasio moralis, cui resistere possit hominis voluntas, sed invicta est et insuperabilis, quamvis suavissima.

5 Fides illa vera à Spiritu Sancto producta, per aliquod tempus non durat tantum, sed ad finem usque vitæ fidelium permanet; unde distinguitur à fide temporariorum.

6. Non arbitramur itaque fidelem planè deficere posse, et excidere gratiâ Dei, atque habitus fidei, spei et charitatis posse amittere.

In Articulum XXII.

Th. 1. Fides vera corda purificat, et per charitatem est efficax; sine operibus fides mortua est, nec ullum salvare potest.

2. Opera etiam sine fide, bona opera non sunt, nec Deo accepta, unde colligitur opera infidelium, utpote ex fide non facta, bona opera non esse.

3. Sola opera, quæ fiunt ex fide, quæ legi divinæ sunt conformia, ac ad Dei gloriam diriguntur, bona opera dici merentur.

4. Ea ad salutem necessaria sunt, non tamen salutis sunt meritoria; nulla merita de congruo, et de condigno admittimus.

5. Non negamus piis licere benè operari, intuitu illius mercedis, quæ eos in cœlo manet; sed nolumus eos arbitrari condigna fore sua opera illi mercedi, aut eam suis deberi operibus.

6. Insanos omnes reputamus, qui volunt suis meritis inniti; ut et illos, qui bonorum operum necessitatem negant.

In Articulum XXIII.

Th. 1. Ex iis quæ diximus de operum bonorum necessitate, patet legem moralem esse adhuc vitæ nostræ normam, ut sub veteri Testamento, quamvis abrogata fuerit, quoad maledictionem, et rigorem suum per Christum.

2. Non ita judicamus de lege cæremoniali, cæremonias enim Mosaicas, Christi adventu abrogatas fuisse, earumque usum inter Christianos abolendum esse censemus.

3. Non arbitramur tamen veteris Testamenti libros, in quibus leguntur cæremoniæ; nullius amplius esse usus; imò summo usui esse credimus.

4. Non omnes etiam ritus repudiandos esse putamus, quosdam enim utiles esse credimus, ut res in Ecclesia benè se habeant.

5. Sed censemus multiplici errore se implicare Ecclesiam Romanam, dum tot cæremoniarum praxim operosè injungit; quarum plures ex Judaismo, aliæ ex Gentilismo sunt ortæ.

6. Non credimus nos amplius obligare interdictum apostolicum, de sanguine et suffocato.

In Articulum XXIV.

Th. 1. Quandoquidem nullum aditum habemus ad Deum, ut jam diximus, nisi per Christum unicum nostrum mediatorem, rejicimus eos omnes, qui ad alios mediatores confugiunt, et qui angelorum et sanctorum defunctorum postulant intercessiones.

2. Negamus etiam ullum cultum religiosum competere vel angelis, vel Mariæ Virgini, vel sanctis demortuis, vel sanctorum reliquiis vel imaginibus χειροποιήτοις, vel hostiæ in Eucharistia consecratæ, vel summo Ecclesiæ Romanæ Pontifici.

3. Rursus, quandoquidem Christus verè et perfectè pro nobis satisfecit, omnes satisfactiones humanas explodimus.

4. Explodimus etiam ignem *purgatorium*, in quo animæ fidelium non satis in hac vita purgatæ purgentur et expientur; *vota monastica*, tum votum paupertatis, tum votum cæcæ obedientiæ erga superiorem, tum perpetui cœlibatus, *peregrinationes*, *confessionem auricularem*, aliaque ingenii humani figmenta, quæ à Religione Christiana proscribenda volumus, non modò ob falsam, quæ iis affingitur meriti opinionem sed etiam quia sunt ἐθελοθρησκίαι et cultus voluntarii.

5. Multùm etiam displicet et improbatur abstinentia à cibis quibusdam, certis temporibus.

In Articulum XXV.

Th. 1. Quandoquidem externis, ut et internis subsidiis indigemus, quibus fides in nobis gignatur, et crescat; necesse esse dari Ministerium publicum tuemur adversus fanaticos, et enthusiastas.

2. Non negamus tamen Deum potuisse, si voluisset, homines immediatè per se absque hominum ministerio, convertere atque salvare; verùm in hoc ordine constituto sapientiam Dei miramur, ejusque bonitatem, quæ ora et linguas hominum sibi consecrare dignata est, ut in illis sua vox personet.

3. Pastoribus itaque et doctoribus à Deo institutis et ad suum opus vocatis summam reverentiam deberi asserimus, iisque adscribenda esse certa de publico stipendia, non ut eleemosynas, sed ut justam retributionem in jure naturali, et divino fundatam.

4. Vim Evangelii, atque efficaciam ejus neutiquam suspendi autumamus à probitate, vel improbitate intrinseca ministrorum, nec cum iis sentire possumus, qui nullum esse fructum ministerii existimant, nisi exerceatur ab hominibus puris et perfectis, seu in se ἀμωμήτοις.

In Articulum XXVI.

Th. 1. Ut nemo in cœlis Deum agnoscere potest Patrem, qui non habeat in terris Ecclesiam Matrem, ita necesse est omnes ejus genuinos filios, in ejus communione manere, si salutis participes esse velint.

2. Neminem credimus igitur, cujuscunque ordinis aut dignitatis fuerit, sese à vera Ecclesia subducere debere, ut sese ipso contentus separatim degat, sed statuimus quos libet Christianos teneri non solum communionem internam sanctorum retinere, sed et communioni externæ alicujus cœtus Ecclesiastici, se adjungere, ubi ejus datur facultas.

3. Damnamus itaque omnes, qui schismatibus inconsutilem Christi tunicam dilacerant, et abrupto pacis vinculo unitatem Spiritus deserunt.

4. Verùm observamus, non schismati accensendam esse quamlibet in religionis negotio secessionem, sed eam demum quæ temeraria est et injusta. Nam quæ gravissimis fit de causis, vel propter hæresim, vel idololatriam, vel tyrannidem, qualis fuit secessio nostra à Papatu, non modò licita, sed justissima et necessaria fuit.

5. Improbamus quoque eos qui cum Catharis, Novatianisque nullam volunt communionem colere cum Ecclesiis, in quarum singulis membris non deprehendunt mores ab omni parte defœcatos, et omni labe carentes.

6. Ut et eos, qui acti fanatico spiritu cum nullâ planè Ecclesiâ communicant, nullumque superesse legitimum toto terrarum orbe ministerium Ecclesiasticum, cui se teneantur subjicere, contendunt.

7. Rursus eos, qui disciplinæ Ecclesiasticæ impatientes, ut nulli subsint censuræ, neutrales esse student ad reconciliandas religiones.

In Articulum XXVII.

Th. 1. Quandoquidem omnes, quæ in mundo sunt, sectæ, Ecclesiæ nomen prætexunt, accuratè expendendum, quænam sint veræ Ecclesiæ notæ.

2. Notæ autem ex quibus vera cognoscitur Ecclesia, sunt hæ, si Ecclesia pura evangelii prædicatione gaudeat; si sacramenta ex Christi præscripto administret; si disciplina Ecclesiastica, ut vitia corrigantur, obtineat. In summa, si ad normam verbi Divini omnia exigantur.

3. Illæ notæ non sunt omnes in eodem gradu necessitatis; sed absolutè necessaria pura verbi prædicatio, sine qua Ecclesia esse non potest.

4. Sed non parem necessitatis gradum habet sacramentorum administratio, quæ ita ex priore pendet, ut abesse tamen ad tempus possit. Eadem est disciplinæ ratio.

5. Quo magis igitur vel minùs accedunt Ecclesiæ particulares ad regulam Scripturæ, eo vel puriores vel impuriores dicuntur; sed non existimandum veræ Ecclesiæ statim nomen amittere illam Ecclesiam, quæ alicubi in doctrina impingit, modò non in errores fundamentales cadat.

6. Ex dictis patet, nomen Catholicum, antiquitatem, durationem continuam et non interruptam, amplitudinem, successionem episcoporum, gloriam miraculorum, lumen propheticum, temporariam felicitatem, et infelicem persecutorum exitum Ecclesiæ veræ non esse veras notas.

7. Ecclesiam veram ita definimus; hominum electorum religiosam societatem, quos Deus per puram veri sui prædicationem et Spiritum, à statu peccati vocat ad statum gratiæ, ut eos aliquando gloriâ æternâ donet.

8. Reprobos, et infideles, sive occultos sive manifestos, vera Ecclesiæ Christi membra esse negamus, quamvis multi ejusmodi in cœtu visibili versentur, piis et fidelibus permixti.

9. Non tamen existimamus eos, qui Ecclesiæ membra sunt, omnis peccati esse expertes, et perfectos omnino esse.

10. Ecclesiæ veræ membra esse possunt catechumeni, et excommunicati.

11. Non semper nota est in hisce terris Ecclesia, prout designat cœtum externum hominum veram fidem profitentium, nec semper potest se fidelis cœtui alicui externo adjungere.

In Articulum XXVIII.

Th. 1. Ex notis genuinis veræ Ecclesiæ suprà vindicatis facilè cognoscitur, quænam sit falsa, à qua secedere debeamus.

2. Patet inde igitur, Ecclesiam Romanam, quæ miserè verbum Dei corrumpit, sacramenta fœdè mutilat aut pervertit, veræ Ecclesiæ titulum male sibi vindicare, nedum ut vera dicatur, extra quam non datur salus.

3. Necesse itaque est, ut ii omnes, qui saluti suæ pros-

pectum cupiunt, ab ea secedant, nemo quippe salva conscientia cum ea Syncretismum inire, vel sacris ejus interesse potest, aut in ejus sinu manere cognitis ejus erroribus.

4. Interim, quandoquidem substantia baptismi in ea Ecclesia, mansit, non credimus iterandum baptismum à Pontificiis administratum, licèt legitimè ac sine vitio ab iis baptismum peti non posse putemus, eosque summoperè improbemus, qui suos infantes Pontificiorum, baptismate tingi patiuntur.

In Articulum XXIX.

Th. 1. Quandoquidem omnia decenter et ordine in Dei domo esse peragenda docet Gentium Apostolus, Ecclesiam certa quadam politia regendam esse censemus.

2. Regimen istud, licèt respectu Christi capitis *sit* monarchicum, tamen respectu rectorum, qui Christo serviunt, est tantum aristocraticum; non democraticum quod summam ἀναρχίαν induceret.

3. Credimus itaque necesse esse, ut sint pastores, *qui* verbum Dei annuntient, sacramenta administrent, sed quorum munus non est, ut Papatus sibi fingit, offerre in sacrificium Christi corpus sub speciebus panis et vini.

4. Pastoribus adjiciuntur seniores non laborantes in verbo, sed qui scandalis invigilent, quique in Ecclesiastica specula collocati, pro grege excubent simul cum ministris, singulorumque omnium defectus ac profectus notent.

5. Senioribus istis adduntur diaconi sacri œconomi, quorum præcipua cura est circa pauperes.

6. Ex hoc regimine nascitur potestas Ecclesiastica, quæ licet à politica differat, suam tamen auctoritatem habet, cui se unumquemque submittere par est.

In Articulum XXX.

Th. 1. Omnes verbi Ministri eandem potestatem et auctoritatem habent verbum prædicandi, sacramenta administrandi et disciplinam exercendi, nec ullus in alios summam auctoritatem sibi arrogare potest.

2. Solus Christus, Ecclesiæ universalis est Monarcha, sponsus et caput, ac titulus Episcopi œcumenici nemini mortalium competere potest.

3. Episcopi et presbyteri nomina idem munus in scriptura designant, nec patet Episcopi nomen ex usu Apostolico esse nomen prælaturæ, dominii et principatus.

4. Non improbamus tamen in certis quibusdam Ecclesiis episcopos presbyteris superiores esse, modo episcopi in inferiores nullam tyrannidem exerceant.

5. Æquales erant potestate omnes apostoli, quamvis inter eos primatus potuerit esse ordinis et ætatis, quicquid de Petri primatu blateret Roma.

6. Nulla quoque Ecclesia in alias jus habet.

In Articulum XXXI.

Th. 1. Quandoquidem omnis in Ecclesia Christi ἀταξία est vitanda, neminem illicitis mediis in ministerium irrumpere debere censemus, absque vocatione et ordinatione Ecclesiastica.

2. Omnes fanaticos explodimus, qui sufficere donis ad ministerium requisitis instrui pertendunt, ad arripiendum thuribulum absque prævia electione.

3. Jus eligendi et vocandi pastores ad solos episcopos non pertinere arbitramur, sed ad totam Ecclesiam, atque exerceri à pastoribus, nomine Ecclesiæ.

4. In statu Ecclesiæ perturbato multos posse credimus pastorum munere defungi absque vocatione ordinaria, et ritibus receptis, quando scilicet tanta est rerum confusio, ut ordo constitutus servari nequeat.

5. Itaque primorum illorum reformatorum, qui à cœtibus fidelium sine pastoribus vocati sunt, vocationem fuisse legitimam asserimus, nec miraculis debuisse confirmari putamus.

6. Eos igitur improbamus, qui satius esse autumant in casu necessitatis, pastoribus omnibus deficientibus, Ecclesiam manere sine pastoribus, et carere cultu externo, religionisque exercitio, quàm vocari pastores sine aliorum pastorum interventu.

7. Quoad illos Reformatores, qui vocati fuerant et ordinati in Ecclesia Romana, non putamus eos excidisse vocatione sua, quamvis non secuti sint intentionem eorum, qui eos ordinaverant; eam quippe ad verum et legitimum ejus finem à Christo primo vocationis auctore intentum retulerunt.

In Articulum XXXII.

Th. 1. Observavimus jam alibi necesse fuisse cum præconio verbi politiam aliquam atque regimen Ecclesiasticum institui, juxta quod gubernetur domus Dei.

2. Modus istius regiminis quoad circumstantias potest variari pro ratione temporum, locorum et personarum, et per se est ἀδιάφορος.

3. Leges igitur et canones Ecclesiasticos circa ἐντάξιαν in rebus natura sua adiaphoris, et externis condere potest Ecclesia; et eas leges potest quoque abrogare, si quid incommodi in iis deprehendat.

4. In iis canonibus nihil debet esse, quod vel tantillum à lege Dei recedat, et infra Scripturam longè subsidere debent.

In Articulum XXXIII.

Th. 1. Quamvis suus usus relinquendus sit canonibus et constitutionibus Ecclesiasticis, quoad regimen externum Ecclesiæ, non credimus tamen per se obligare conscientiam.

2. Detestamur igitur tyrannidem Pontificiam, quæ non modò multa dogmata à Scriptura damnata obtrudit credenda, sed et vult suos ritus multiplices, suasque constitutiones, quarum plerœque verbo Dei repugnant, per se conscientiam obligare.

3. Licere quidem existimamus Rectoribus Ecclesiarum, Synodis, Conciliis symbola et confessiones condere, ad fidei veritatem servandam, et errorum rejectionem, illarumque confessionum, ac symbolorum magnum esse pondus tuemur. At longè infra auctoritatem Scripturæ subsidere ea arbitramur, et ad Scripturam esse expendenda putamus.

4. Ministris quoque sacris competere potestatem spiritualem, peccatores contumaces, et scandalosos excommunicandi censemus.

5. Damnamus itaque eos, et qui Ecclesiasticam disciplinam funditus tollunt, et qui excommunicationem, ut rem illicitam, generis humani pestem, terræque flagellum traducunt.

6. Eos tamen, qui latius æquo trahunt excommunicationis effecta, improbamus, ut Pontificios, qui subditos Principum ac Magistratuum excommunicatorum à juramento fidelitatis dispensant, et Anabaptistas rigidiores, qui tuentur excommunicationem dirimere omne vinculum, ut adeo cum excommunicato, etiam pœnitente, nulla amplius esse debeat societas, neque naturalis neque conjugalis, neque œconomica, neque politica.

In Articulum XXXIV.

Th. 1. Quandoquidem Deus nihil omittere voluit a
nam fidei nostræ confirmationem, verbo quod aures p
Sacramenta addere voluit, quæ oculis observantur, u
missa sua in nobis obsignaret, et ut essent suæ erga n
nevolentiæ signa ac pignora.

2. Sacramenta igitur, sunt sacra signa et sigilla
Dei in Christo, à Deo instituta, ut promissiones salu
bis obsignet, et ut officii nostri nos moneat.

3. Solus Deus est auctor Sacramentorum, nec a
debent administrari quàm à Pastoribus, non à Laïcis
à mulieribus.

4. In omni Sacramento debet esse signum visibile
institutum, quod nobis gratiam cœlestem obsignet; e
illud signum ac rem signatam debet esse analogia.

5. Sacramenta non sunt tantùm nostræ profes
tesseræ; et mutuæ unionis vincula, sed et fœderis sigil
gratiæ indubitata pignora.

6. Non sunt signa vana ad nos decipiendos inst
idem enim Spiritus, qui cum externo verbi Divini præ
solet suam *ἐνέργειαν* in nobis exercere, etiam in usu leg
Sacramenti operatur in cordibus electorum, quantu
quomodo ipsi libuerit.

7. Non est tamen gratia alligata Sacramentis,
improbamus opus operatum Pontificiorum, ut et eoru
surdum dogma, qui ab intentione ministri, sacrament
efficaciam suspendunt.

In Articulum XXXV.

Th. A. Duo sunt sub novo Testamento à Christo ins
sacramenta, *Baptismus* scilicet, et *Eucharistia*.

2. Negamus *confirmationem*, *pœnitentiam*, *ord*
matrimonium, et *extremam unctionem*, esse sacra
vera à Christo instituta, et ab omnibus retrò Chris
usurpata.

3. *Baptismus* est primum novi Testamenti sacr
tum, quo per externam aquæ aspersionem in nomine
Trinitatis, peccatorum remissio per sanguinem Chri
regeneratio per Spiritum Sanctum offertur et obsigna

4. Eos rejicimus, qui docent esse tantum ritum te
rarium, cujus usus demum fuerit in Ecclesia nascen

esse tantùm nudam cæremoniam discretivam solum fidelium ab infidelibus, ac meram tesseram Christianismi.

5. *Baptismus* est necessarius necessitate præcepti omnibus Christianis; non tantùm iis qui initio ex Gentilismo ad Christianismum accedunt, sed et postea, tum adultis ad fidem conversis, tum infantibus Christianorum.

6. Sed eos explodimus, qui volunt baptismum esse absolutè necessarium, ita ut salute priventur, qui baptismo non tincti sunt infantes, et qui per baptismum, imaginarium characterem animæ imprimi nugantur, quique ad baptismi essentiam et valorem intentionem administri necessariò exigunt.

7. Baptismus semel collatus iterari non debet.

8. Improbamus baptismum à Laicis, et mulieribus administratum, sed longè magis damnamus baptismum campanarum, triremium, et aliarum rerum similium.

In Articulum XXXVI.

Th. 1. Ut Baptismus est sacramentum initiationis *nostræ*, ita *Cœna* nutritionis est sacramentum.

2. Instituta est à Christo, non modo ut sit ritus notificativus fidei ac professionis nostræ, sed ut obsignet nobis et exhibeat ea beneficia, quæ promeruit Christus traditione sui corporis et sui sanguinis effusione.

3 *Cœna* igitur est sacrum illud epulum, in quo Christus carne sua cibare, et sanguine potare nos vult, ac arctissimè secum conjungere, et sacramentum est in quo per panis fracti, et vini effusi distributionem, significatur et obsignatur fidelibus remissio peccatorum.

4. Manducatio illa carnis Christi et bibitio sanguinis non oralis est, sed spiritualis, nec tamen ficta est et imaginaria, Christum enim verè per fidem recipimus.

5. Symbola externa quæ in hoc mystico convivio ore et manu percipiuntur, sunt panis et vinum, nec unum ex iis symbolis potest eripi populo sine sacrilegio.

6. Ritum fractionis panis necessarium esse tuemur in administratione Eucharistiæ.

7. Verba cœnæ propriè et κατὰ τὸ ῥητὸν non esse intelligenda contendimus, sed tropicè et sacramentaliter.

8. Panem et vinum vi verborum consecrationis in ipsum corpus et sanguinem Christi verè transubstantiari, externis tantùm speciebus panis, et vini manentibus, negamus.

9. Non credimus quoque esse corpus Christi in, cum, et sub pane.

10. Sacramenti adoratio nobis est mera idololatria quam damnamus.

11. Qui ex sacramento cœnæ sacrificium propitiatorium faciunt pro peccatis vivorum et mortuorum, illud planè evertunt, Scripturæ repugnant, et sacrificium Christi imperfectionis accusant.

In Articulos XXXVII et XXXVIII.

Th. 1. Etsi sacramenta novi Testestamenti gratiam operari ex opere operato minimè credamus, existimamus tamen Deum ad præsentiam sacramentorum gratiam suam fidelibus cum fide ad ea accedentibus communicare.

2. Sic pertendimus in sacrâ cœnâ omnes, qui vera cum fide sacra signa suscipiunt, Christi participes fieri, et ejus carne cibari, ac sanguine potari.

3. Quamvis igitur fides non sit de essentia sacramenti, ita tamen necessaria est ad ejus usum, ut sine ea nihil prosit sacramentum.

4. Nulli itaque dubitamus quin veris fidelibus Christo caro sit verus cibus, quamvis manducationem oralem plane repudiemus.

5. Ex capite sexto Johannis nulla argumenta deduci posse tuemur pro manducatione carnali, imò multa contra eam elici possunt ex eo capite.

6. Manducationem oralem inutilem esse credimus, et solam spiritualem prodesse.

In Articulum XXXIX.

Th. 1. Deus qui vult et omnia ἐυσχημόνως καὶ κατα τάξιν fiant, Magistratus constituit, ut mundus legibus certâque politiâ regeretur.

2. Divinæ itaque institutionis magistratum esse, nemo negare potest, nisi Scripturæ contradicere velit, nec hominis Christiani officio repugnat magistratum exercere.

3. Custos esse debet utriusque tabulæ, ut duplici hac columnâ, pietate et justitiâ suam rempublicam stabiliat.

4. Potestatem habet leges positivas condendi ad bonum publicum ex æquo et bono ordinatas, auctoritatem jus dicendi subditis, inferioribus, et civibus, eorumque causas decidendi et terminandi, juramentum exigendi ad veritatis elucidationem, et capitalia in sontes exercendi supplicia.

5. Magistratui omnes subesse debent, cujuscunque ordinis, conditionis, ac status fuerint, tam seculares, quàm Ecclesiastici; ipsis unusquisque obsequi debet, et eorum mandatis, non modò æquioribus, sed et durioribus.

6. Antichristum se palam ostendit Pontifex Romanus, dum sibi arrogat potestatem in omnes terræ Principes, ita ut eos exauctorare, abdicare, eorumque subditos à juramento fidelitatis abducere, ac ipso excommunicationis suo fulmine perculsos, zelotarum cultris, et sicis trucidandos exponere pro lubitu possit.

In Articulum XL.

Th. 1. Cum quilibet cujuscunque ordinis et status sit, magistratui subjici debeat, tributa quoque ac vectigalia ipsi persolvere tenetur.

2 Peccare igitur graviter credimus, qui scommatibus, dicteriis, libellis magistratum traducunt, et qui in ipsum, sub libertatis vindicandæ prætextu, seditiones moliuntur ac concitant.

3. Non credimus tamen, quemquam debere magistratui obtemperare, si adversus legem Dei quicquam præscribat, nec enim jus habet in conscientiam, et præstat Deo quàm hominibus obedire.

4. Omnes illos improbamus, qui bonorum communione introducta turpissimam in mundum confusionem invehunt.

INDEX

Maximè notabilium S. Scripturæ Locorum, qui hoc Libro vel explicati, vel illustrati, vel vindicati sunt.

	Page.
Gen. i. 2	113
——— 3.	116
——— 26	121
—— ii. 7.	122
—— xviii. 21.	66
—— xxii. 1	187
—— xlix. 10.	229
Exod. iv. 16	58
——— xx. 4.	149
Num. xxv. 12, 13. ...	313
Deut. iv. 2.	34
—— xxv. 5.	378
2 Sam. xii. 11, 12.. ...	188
——— xvi 10, 11, 12...	187
1 Reg. viii. 27.	80
——— xxii. 23.	188
Job xii. 16.	187
—— xix. 25, 26, 27. 336,	338
Psalm xix. 8.	7
——— xxii. 1.	247
——————— 17.	246
——— li. 7.	150
——— cvi. 30, 31. ...	313
Prov. viii. 22, 23, 24...	92
Jes. i. 18.	362
—— xxviii. 21.	76
—— xxxiv. 16.	62
—— xlv. 15	310
Jer. xx. 7.	187
Dan. ix. 24, 25, 26. ...	226
Joël iii. 2.	343
Agg. ii. 4.	228
Zach. i. 1.	13
Matth. xv. 4, 5.	323
——— xvi. 19.	359
——— xxii. 13.	335
——— ——— 31, 32. ...	336
——— xxiii. 35.	13
——— xxiv. 15.	11
——— xxvi. 26.	405
——— xxvii. 46	247
——— xxviii. 19.	98, 395
Luc. i. 35.	240
—— xv. 7.	328
—— xvi. 22.	335
Joh. i. 1.	91
——— 3.	116
—— iii. 6.	151
—— iv. 24.	61
—— vi. 53.	409
—— x. 30.	94
Act. x. 34.	24
—— xix. 3—6.	396
Rom. ii. 15.	4
——— v. 12, 13, 14. ...	147
——— 17, 18, 19. ...	148
1 Cor. vii. 14.	151
——————— 19.	390
——————— 40.	23
——— ix. 9.	173
——— xiv. 32.	23
——— xv. 22.	148
——————— 28.	268
2 Cor. v. 21.	304

	Pagg.
Gal. i. 8.	28, 34
—— v. 17.	326
——vi. 15.	390
Eph. ii. 12.	6
—— iv. 11.	363
Col. i. 20.	204
—— iv. 16.	52
2 Thess. ii. 8.	360
———— 10, 11, 12...	188
———— iii. 17.	15
1 Tim. ii. 14.	139
——— iii. 15.	29
2 Tim. ii. 19.	196
——— iii. 15, 16. ...	33
Heb. xi. 1.	290
—— xiii. 10.	413
1 Pet. iii. 21.	392
2 Pet. i. 19	28
———— 20.	46
——— iii. 7, 10, 12. ...	340
———— 15.	15
1 Joh. ii. 18.	361
——— v. 7.	88
Apoc. xxii. 19.	195

INDEX

Vocum cum Hebraicarum tum Græcarum.

	Pagg.
אבי	310
אדני	59
אהיה	58
אל	ib.
אלהים	ib.
בראּ	108
ברית	130
הצדיק	298
חוללתי	96
יה	60
יהוה	57
כארו	246
נשמה	123
עדה	347
עלין	59
פסח	388
צבאות	59
שבט	228
שד	58
שדים	135
Αἵρεσις	310
Διαθήκη	130
Δικαιῶν	298
Ἐκκλησία	347
Ἐκλογὴ	191
Ἔλεγχος	290
Θεος	59
Κτιζειν	109
Κύριος	59
Μεταμέλεια	327
Μετάνοια	ib.
Παπίγυρις 347,	350
Πρόγνωσις	191
Πρόθεσις	ib.
Προορισμὸς	ib.
Συναγωγὴ	347
Ὑπόστασις	290

INDEX

Rerum Præcipuarum hoc Libro contentarum.

Page.

AARON et Moses sub veteri Testamento Judices erant subalterni et ministeriales, ac quomodo?... ... 45
Abba Pater est exclamatio fidelium novi Testamenti ... 310
Abrahæ sinus, quare cœlum ita dicatur 335
Adam, vis hujus nominis, 122. *Vide* porro de Adami creatione, &c. ad vocem homo
Adami peccatum primum, 139. istiusque peccati gravitas 141
Adam et Eva non æternum damnati sunt 146
Adoptio, quotuplici sensu in sacris sumatur, 308. Adoptio Divina et humana quî conveniant et differant, 309, Effectus Adoptionis qui, *ib.* Adoptio communis fuit omnibus veteris et novi Testamenti fidelibus, quamvis cum aliquo discrimine 310
Adoratio et Invocatio Spiritus Sancti, quare in S. S. rarius memoretur 100
Adoratio Eucharistiæ refutata 413
Æternitas Dei probata, 82. qualisque Deo competat, ac quomodo concipienda 83
Afflictiones fidelium non sunt pœnæ propriè dictæ ... 305
Alcoran non continet verbum Dei... 10
Altare sub novo Testamento est Christus; ac quare ita vocetur 413
Amor Dei, quid, et quomodo distinguatur 71
Angeli à Deo creati sunt; non autem ante principium Mosaicum, sed verisimiliter die creationis prima, 118, quare de illorum creatione taceat Moses, *ib.* sunt Angeli naturâ Spiritus, immortales, magnâque efficaciâ præditi, 119. quare et quî sub formâ humanâ apparuerunt, 119. Angelorum Cognitio qualis, *ib.* quare vocentur Angeli, et quæ ipsorum alia nomina, 120. De Angelorum Electione et Reprobatione vid. voc. Electio et Reprobatio.

Pagg.

Angelorum bonorum Opus 120. Non est singulis Fidelibus certus Angelus custos assignandus, 120. Angeli boni sunt honorandi, sed colendi neutiquam ... 121
Angeli non omnes in statu recto manserunt, 134. Angeli lapsi quomodo nominentur, 135. tempus quo peccaverint Angeli, eorumque numerus definiri nequit, *ib.* peccatum eorum inquiritur, *ib.* Mali Angeli homines ad peccatum tentant, 136. Angeli mali quando et quomodo puniti sunt, ac punientur postmodum 205
Angeli, saltem mali ultimo judicii die judicabuntur 342
Anima evincit dari Deum, 2. est spiritualis, 125. ac immortalis, quod et Ethnici saniores agnoverunt, 125. post mortem corporis superstes manet, atque tunc actuosa est, confertque se aut in cœlum aut in infernum 335
Antichristi vox quotuplici sensu sumatur, et quid proprie significet, 360. Antichristus non est una singularis persona, sed ordo sive series personarum in eadem sede sedentium, 360. locus ubi sessurus esset, 360. Tempus revelationis; circa quod varii gradus notari possunt, 360. Characteres Antichristi, quoad ejus Personam, notati, 360. Antichristus, de quo Johannes, I. Epist. ii. 18, loquitur non est Barchochab, 361
Antiquitas non est nota veræ Ecclesiæ 357
Apocryphi Libri non sunt divini, 52. quare ita dicantur. 54
Apostoli extraordinarii novi Testamenti erant Ministri, quorum characteres particulares notantur, 362. Non omnes Apostoli scripserunt, quod neque necesse erat, 9. Qui scripserunt, scripserunt modo epistolari, *ib.* In iis quæ scripserunt non sunt seducti ipsi, nec alios fallere voluerunt aut potuerunt, 18. Apostoli, quamquam Θεόπνευστοι, elicuerunt consequentias ex iis, quæ vel viderant, vel à revelatione perceperant, 24. non statim ac Spiritu Sancto die Pentecostes baptizati sunt omnia sciverunt, 24. Non fuerunt, licet Θεόπνευστοι, omnis peccati expertes. ... 25
Arbitrium liberum, *vide* Liberum arbitrium.
Arbor vitæ, quare ita dicta, et an in Paradiso adumbraverit Christum 133
Arbor scientiæ boni et mali, quare ita dicta, et an fuerit Sacramentum, necne, 133. quare istius arboris fructus esum Deus homini interdixerit .. 137
Ascendere et descendere quomodo Deus dicatur ... 80
Ascensio Christi in cœlum pluribus descripta, 253; fuit necessaria, ac utilis 255

Page

Aspersio Baptismi, quo jure et ob quam causam introducta, 395. an semel an ter fiat, perinde est ... 395
Astra quare dicantur signa 115
Astrologia Judiciaria damnata. 115
Auctoritas S. Scripturæ, quid? 25. dependet ea à notis Divinitatis insitis, *ib.* non autem ab Ecclesiâ, quod argumentis 5. imo 6. probatur, 26. quamquam tamen Ecclesiæ circa S. Scripturam officium non parvi ponderis et multiplex est 28
Ἀντοχιφία interdicta 324

Baptismus J. Christi 242
Baptismus, quid vi vocis notet, 392. Veteres quadruplicis baptismi mentionem faciunt, baptismi flaminis, &c *ib.* Baptismus externus et internus, *ib.* Baptismus ut primum novi Testamenti Sacramentum descriptum, *ib.* ejus Auctor est Christus, 393. qui in institutione Baptismi rationem habuit moris inter Judæos usitati, 391. Baptismi signum, res significata, et analogia inter utrumque, 393. istius subjecta sunt quoque Christianorum infantes, *ib.* Necessarius est Baptismus, non tamen absolutè, 394. estque perpetui in Ecclesia usûs, 395. primitus per immersionem, postmodum per aspersionem administratum est, ac quare? *ib.* Formula Baptismi Matth. xxviii. 19. investigata, 395. à V.D. Ministris Baptismus administrandus est, 396. An Baptismus ab Hæreticis administratus sit legitimus, disquiritur, et ad id respondetur distinctè, *ib.* Quænam gratia in Baptismo obsignetur, 397. Efficacia Baptismi respectu infantum baptizatorum distinctius proposita, *ib.* Baptismus non imprimit characterem indelibilem aliquem, propter quem sit irreiterabilis, 399. Non est tamen reiterandus 399
Baptismus Johannis essentialiter cum Baptismo Christi idem est, quamvis ratione circumstantiarum sit discrimen, 396. An à Johanne baptizati à Paulo iterum baptizati sint, nec ne, perinde est 396
Baptizari in nomine Patris, Filii, ac Spiritus S. quid includat, 395. In nomine Spiritus S. baptizari ejus Divinitatem arguit, 99. quomodo Israëlitæ in Mosem baptizati dicantur 99
Barchocab non est Antichristus, de quo 1 Joh. ii 18... 361
Beatitudo Dei, quid? 93

Pago
Beelzebub et Beelzebul 136
Bellum etiam sub novo Testamento licitum est ... 324
Bona Opera. *Vide* Opera
Bonitas Dei, quid? 71

Caius Caligula non est Homo peccati, de quo Paulus 361
Caput Ecclesiæ est solus J. C. non vero Petrus ... 358
Caro Christi non corporaliter, sed spiritualiter manducanda est, et quomodo? 409
Certitudo Electionis à parte fidelium 197
Certitudo fidei et salutis à parte fidelium probata, 295. circa quam tamen varia observanda sunt... ... 296
Christus. *Vide* Jesus Christus.
Circumcisio Christi 241
Circumcisio, veteris Testamenti Sacramentum primum fusius explicatum, 387. adveniente Christo abrogari debuit, quæ tamen abrogatio habuit suos gradus, 388, quomodo circumcisio dicatur nihil esse, et nihil valere 390
Claves Regni cœlorum Petro concreditæ, quæ? ... 359
Cœlibatus Pastoribus non est necessarius, *369*. Imo nemo cœlibatus votum facere debet, quin potius *illud* nuncupatum rejicere 379
Cœlum in quod J. C. evectus est, non est ipse Deus nec gloria ac beatitudo cœlestis, sed est tertium cœlum, verus locus, 254. quare cœlum dicatur sinus Abrahæ 335
Cœna S. *Vide* Eucharistia, Panis, Vinum
Cognitio Dei naturalis est vel insita et innata, vel acquisita, 4. utraque summum bonitatis Dei est testimonium, 5. quæ et quot cognitio Dei naturalis doceat? 5
Cognitio Dei supernaturalis quod necessaria sit, et ipsæ gentes agnoverunt, 6. atque ejus necessitas probatur, 6. *Vide* Verbum Dei
Cognitio ad fidem necessario requiritur 288
Communio, quare S. Eucharistia dicatur, 400. Communio sub utraque specie demonstrata 410
Compositio non cadit in Deum 83
Concilia ab Apostolorum exemplo originem traxerunt, 373. Jus indicendi concilia ad Ecclesiam pertinet, maxime ad præcipua Ecclesiæ membra ut Reges sunt Magistratusque Christiani, *ib.* conciliorum Auctoritas quæ, *ib.* quando legitima sint, 374. Nullum fuit concilium quod fuerit œcumenicum, *ib.* Concilio-

Pagg.
rum decreta et testimonia Patrum non sunt fidei morumque regulæ 42
Concupiscentia vetita, etiam concupiscentiæ motus primi, 325. Objectum concupiscentiæ triplex descriptum 325
Concursus Dei cum actionibus creaturarum probatur, 175. quomodo concipiendus sit, 176. Concursus Dei cum actionibus creaturarum peccaminosis, 181. et in specie circa odium Dei 182
Conjunctio animæ cum corpore arguit esse Deum ... 3
Conscientia hominis Existentiæ Dei testis est, 3. ut et etiam Providentiæ 170
Consensus Populorum omnium pro Dei existentia militat 3
Conservatio rerum à Deo dependet, 174. ac quâ in re consistat 175
———— fidelium in statu gratiæ probata ... 293
Consummatio sæculi ab Ethnicis prævisa, 339. istius tempus ignoratur, 340. Signa varia antecedentia, *ib.* Mundus tunc conflagrando renovabitur, non autem annihilabitur 340
Continentia perpetua, *vide* Cœlibatus
Corpus hominis erectâ formâ ac prorsus mirabili modo creatum est, 122. quæ corporis fabrica, exclamat esse Deum 2
Corpora omnium hominum resuscitabuntur, et quidem eadem, 335. Fidelium corpora æternum glorificabuntur 345
Creatio definitur, 108. dari creationem probatur, *ib.* facta ea est ex nihilo, 110. soloque Dei verbo, 111. est opus solius Dei, ac creandi actio cum nulla creatura communicari potest excluditque omne instrumentum, *ib.* per creationem nulla Deo accidit mutatio, 112. Mundi creatio non unico momento, sed sex diebus peracta est, *ib.* cujusque diei Opera notata, 113. In creatione tres adorandæ Trinitatis Personæ concurrunt 116
Creatio Angelorum fusius descripta. *Vide* Angeli ... 118
Creatio hominis fusius explicata. *Vide* Homo ... 121
Crucifixio Christi necessaria 245

DANIELEM Judæi malè ex Prophetarum numero eximunt 10
Dealbatio quare remissio peccatorum dicatur ... 302
Decalogi divisio, 320. certæ regulæ ad explicandum

Page.
Decalogum, *ib.* certæ regulæ obedientiæ ipsi debitæ, *ib.* ejus Præfatio, *ib.* Singula præcepta paucis exposita 321
Decretum Dei, quid? 102. dari decreta divina probatur, *ib.* ea æterna sunt sapientissima, liberrima ac immutabilia, 103. Nulla in Deo sunt decreta conditionata, à conditione mutabili pendentia, 104. Dei decreta, eaque immutabilia neutiquam creaturarum libertatem spontaneitatis, sed independentiæ omnino tollunt, 103. Decreta Dei circa bona et mala quomodo versentur, 105. versantur quoque circa unius cujusque hominis vitæ terminum fixum quod contra objectiones defenditur, *ib.* Ordo decretorum notatus 106
Decretum Dei versatur etiam circa hominum salutem et interitum, 190. hujus decreti objecta sunt omnes Adæ posteri, considerati ut jam creati et lapsi, *ib.* Dei decretum de salvandis hominibus variis in S. Scripturâ phrasibus proponitur, 191. *Vide* Electio et Reprobatio
Descensus Christi ad inferos qui intelligendus ... 249
Desiderium Dei 73
Deus, quod sit, sex vel septem argumentis probatur, 1. est tantum unus et unicus, quam Dei unitatem Ethnicorum plures agnovere, quamvis eorum plurimi multos statuerunt Deos cujus idololatriæ causæ investigantur. 55. Varia Dei Nomina notata, 57. est Deus Ens Perfectissimum, 60. Spirituale, quamvis humano more humana Deo tribuantur membra, *ib.* est Deus invisibilis, quamquam multoties visus esse dicatur, 62. Dei vita explicata, 63. ut et ejus Beatitas, *ib.* Omniscientia, 64. summa Sapientia, 67. Omnipotentia, 78. ac Omnipræsentia, cui non repugnat quod ascendere et descendere dicatur, 79. Existit Deus necessariò, 81. atque sic æternus est, 82. Simplicissimus, 83. Immutabilis, 85. ac infinitus, *ib.* De Dei Amore, Bonitate, Cognitione, Gratiâ, Justitiâ, Odio, Omniscientiâ, Scientiâ, Voluntate, &c. *vide suis locis.*
Deus Pater in S. S. Trinitate nominatur primus, ac quare? 90. est in opere salutis summus judex, *ib.* quare Pater audiat 90
Deus Filius. *vid* Filius. Deitas Filii probatur ... 91
Deus Spiritus S. *vid.* Spiritus S. Ejus Deitas probatur 98
Diabolus homines ad peccatum tentat, 136. Non est ipsi potestas infinita, *ib.* futura contingentia non

Pags.
novit, *ib.* quomodo in corpus nostramque animam agat definitu difficile est, *ib.* qui averruncandus est 136
Diabolus sub serpente vero latitans primos parentes ad peccatum impulit ac seduxit, 137. cujus seductionis natura, ac eventus demonstrantur, ... 137
Diaconi, ac Diaconissæ in Ecclesia novi Testamenti quales 369
Dies Dominicus in locum Sabbathi jure summo successit 323
Diffidentia est fidei opposita 293
Disciplina Ecclesiastica. *Vide* Excommunicatio.
Divinitas Librorum veteris et novi Testamenti ex octo characteribus dignoscitur, 16. confirmatur autem rationibus quatuor, 21. Divinitatis notæ quæ in S. Scriptura reperiuntur, neutiquam per se absque ope Sp. S. possunt intelligi, 31. quomodo autem Spiritus S. Divinitatem istam persuadeat, demonstratur, *ib.* De hac Librorum veteris et novi Testamenti, Divinitate omnes fideles sunt certi, quamvis forte rationes, propter quas Divinos esse æstimant, eloqui nequeant 32
Doctores inter et Pastores, de quibus Paulus Eph. iv. 11. an discrimen sit 363
Dominium Dei, illiusque fundamenta, 79. est Dominium illud absolutum 79
Dominium in res creatas homini recto concessum ... 128
Donaria quæ lege Mosis exigebantur 217
Dositheani 227
Dubitatio est fidei opposita 293

Ecclesia, quid vi vocis notet, ac quotuplici sensu in S. Scriptura sumatur, 347. Ecclesiæ descriptio, 348. vera Ecclesiæ membra sunt soli fideles, non hypocritæ ac reprobi, 349. An catechumeni et excommunicati pertineant ad ecclesiam disquiritur, 350 Ecclesia quare dicatur, una, Sancta, ac Catholica, 351. quo sensu visibilis et invisibilis, 352. cognitione certâ cognosci potest aliquam societatem esse societatem Christi, seu veram Ecclesiam, 353. non distinctè tamen cognosci possunt illæ personæ, quæ vera Ecclesiæ membra sunt, quod nec necesse est, *ib.* vera Ecclesia non semper est visibilis, *ib.* neque semper dici potest; hîc est vera ecclesia, 354. non est infallibilis, *ib.* vera Ecclesia deficere non potest, 355. Ecclesiæ notæ veræ falsæque, 356. Ecclesiæ caput est solus J. C. non vero Petrus 358

Pagg.

Ecclesia S. Scripturæ non conciliat auctoritatem Divinam. *Vide* Auctoritas. Quomodo sit columna et firmamentum veritatis 29

Ecclesiæ competit controversiarum judicium subalternum, quod quo usque obliget, ostenditur .. 44

——— ante Christi adventum varius status 223

——— Ministri. *Vide* Ministri et Pastores

Ecclesiastica Disciplina et Potestas, *vid.* ad eas voces

Edere Christi carnem non corporaliter sed spiritualiter fit ac quomodo 409

Electio descripta, 191. æterna est, *ib.* quamvis et etiam electio sit in tempore, *ib.* electio est certorum quorundam hominum, quorum numerus à Deo est definitus, 192. profluit illa ex merâ Dei gratiâ non autem ex prævisâ fide aut bonis operibus, *ib.* In electionis decreto quomodo Deus consideretur, 193. electio quid includat? *ib.* immutabilis illa est, cui non obstat Apoc. xxii. 19, 194. Electionis suæ fidelis potest esse certus; ac qua ratione illa certitudo obtineri queat, demonstratur, 197. Electionis et reprobationis dexter usus 201

Electio et Reprobatio Angelorum probata, 203. Electio Angelorum qua in re consistat, 204. Non est in Christo Mediatore 204

Enthusiasmus quomodo ab operatione Spiritus Sancti in Vocatione interna differat 283

Epistolari Methodo, quare scripserint Apostoli ... 9

Epistola ad Hebræos scripta est à Paulo, 15. Epistola ἐκ Λαοδικείας, de quâ Col. iv. 15... 52

Essæi vel Esseni. 227

Ethnicorum virtutes splendida peccata fuisse demonstratur 168

Eva à Serpente seducta, et maritum suum ad edendum impulit 139

Evangelium quid vi vocis notet, 279. quare et Reprobis evangelium promulgatur 280

Evangelistæ sub novi Testamenti, qui? 363

Eucharistia, alterum novo Testamento Sacramentum, varia gerit nomina, interque ea præcipua sunt, εὐλογία, εὐχαριστία, κοινωνία &c. 399. In institutione Eucharistiæ rationem habuit Christus moris inter Judæos usitati: quod in genere, 391. et postea, 402. per partes demonstratur. Quare Christus in hoc Sacramento duo

Pags.
signa, eaque communissima adhibuerit, 401. Consecratio Eucharistiæ Benedictione Christi facta est, 402. Christum ipsum S. Cœnam comedisse probatur 404. Signorum Eucharistiæ res significata ac cum re significata analogia, *ib.* Sensus horum verborum; Hoc est corpus meum, investigatus ac demonstratus esse improprius, 405. Præsentia Christi in Eucharistia neutiquam est corporalis, 407. In Eucharistia panis et vinum non transubstantiantur in corpus et sanguinem J. C. 408. Infantibus non est administranda S. Cœna, 405. In ea Christus non corporaliter sed spiritualiter manducatur, ac quomodo? 409. sub utrâque specie administranda est, 410. neutiquam est sacrificium propitiatorium, 412. quare tamen altaris fiat mentio, ac Patres eam nominent oblationem et sacrificium, 413. Minimè adoranda est Eucharistia 413
Examen Ministrorum novi Testamenti 368
Excommunicatio alia minor alia major, planeque necessaria, 371. excommunicationis apud Judæos species, 372. excommunicandi jus Ecclesiam habere probatur, *ib.* circa ejus exercitium quædam annotantur. 372
Expectatio Dei.. 73

Festa Israëlitarum sub veteri Testamento.. .. 218
Fideles omnes de Divinitate Liborum veteris et novi Testamenti sunt certi, quamvis forte rationes, propter quas Divinos esse æstimant, eloqui nequeant, 32. Unicuique fideli competit judicium privatæ discretionis. 45
——— sunt Prophetæ, Sacerdotes, ac Reges. ... 268
——— veram fidem amittere nequeunt, quamvis tamen in gravissima peccata et errores possint incidere, sed nec tunc vera fides deficit, 293. possunt fideles suæ fidei, suæque salutis æternæ certi esse, 295. ad quam fidelium certitudinem varia observanda sunt. 296
——— qui sint veri, in particulari non cognosci potest, quod nec necesse est... 353
Fidelitas Dei 77
Fides est alia historica, alia miraculorum, alia temporalis, alia autem justificans et salvifica ... 287
Fides salvifica includit ante omnia in conceptu suo notitiam, 288. plures alii fidei actus distinctè memorantur, *ib.* Utrum fiducia sit de essentia fidei disquiritur, 289. fidei variæ descriptiones, etiam illa

Page.

Pauli Heb. xi. 1. 290. Auctor fidei est Deus, 291. Subjectum ejus sunt tantum electi, et quidem qui ratione sua uti possunt, *ib.* Discrimen inter fidem salvificam et temporariam pluribus demonstratur, *ib.* Opposita fidei quæ, 293. Fides alia est firma, alia infirma, *ib.* deque eâ fidelis potest esse certus ... 295
——— quomodo justificet?... 305
Fiducia an sit de essentia fidei disquiritur 289
Figuratus sensus. *Vide* sensus.
Filiatio credentium est maximæ dignitatis 309
Filius, secunda Trinitatis Persona, est verus Deus, 91. Imo summus Deus Patri æqualis, 94. est à Patre ab æterno genitus... 96
Fœdus naturæ Deus cum homine primo iniit, 130. quod fœdus per partes declaratur, 131. fœdus istud vocatur naturale, legale, ac fœdus operum, 132. non habuit Mediatorem, *ib.* externa in hoc fœdere symbola 32
Fœdus Gratiæ descriptum, 270. quare dicatur fœdus novum, ut et gratiæ fœdus, *ib.* convenientia ac differentia inter fœdus operum et gratiæ, 271. Gratiæ fœdus jam obtinuit sub veteri Testamento, *ib.* quamvis tamen inter fœderis gratiæ veterem et novam œconomiam discrimen sit 272
Fœdus gratiæ quare diversimodo dispensata .. 274
——— vetus et novum, quomodo à nonnullis confusæ sæpius sumantur 273
Fractio panis nomen Eucharistiæ est, 400. est autem ritum ille Eucharistiæ non negligendus, sed necessarius 403
Fundamentum Dei quod firmum stat, quale? ... 196

GAUDIUM Dei 73
Gehenna, quare locus damnatorum dicatur ... 344
Generatio Filii, quæ 96. est æterna *ib.* prorsus differt à generatione humana, 97. Ratio generationis formalis, quæ non, et quæ omnino 96
Gentilium virtutes splendida peccata fuisse demonstratur 168
Gloria et Majestas Dei 86
—— æterna qualis erit, 345. gloria corporum futura, quæ *ib.* in gloria gradus fore verisimile est ... 346
Gratia Dei, quid notet? 72
—— convertens physicè et moraliter agit, 285. est irresistibilis, *ib.* non tamen libertatem lædit ... 285
Gubernatio, secundus Providentiæ actus, qua in re consistat 175

Page
Hasidæi notati, 226. Hasmonæi, &c. 226
Hemerobaptistæ, 227. Herodiani 227
Historia Ecclesiæ ante Christi adventum 223—227
Homicidium quale non et quale omnino vetitum 323
Homo ultimò omnium creatus est, 121. Ad hominis creationem Deus veluti deliberabundus introducitur, *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, 121. quoad corpus homo ex pulvere terræ creatus, atque inde dictus est Adam, 121. Anima ipsi à Deo est indita, 122. ipsi et à Deo creata est mulier, 123. de hominis ad imaginem Dei creatione; vide imago
—— rectus ornatus fuit justitiâ originali, 126, in statu integritatis quoad animam et corpus fuit immortalis, 127. habuitque in res creatas dominium ... 128
Homo peccati, de quo Paulus 2 Thess. ii. 8. non est Caligula, sed Antichristus 361

Jacobus et Paulus de justificatione invicém conciliantur 312
Idea Dei 4
Ideæ rerum, an in mente Dei sint et quid sint? ... 104
Jehova; quî nomen hoc pronunciandum et quid significet, 57. soli Deo proprium est 58
Jejunium religiosum paucis explicatum 329
Jesus Christus, est verus Deus, 91. Imo summus Deus Patri æqualis, 94. est à Patre genitus, cujus generationis ratio vera à falsis discriminatur 96
———— quod verus Messias sit demonstratur, 229. tempus ipsius adventus indicatur, *ib.* Ipsius Prodromus fuit Johannes Baptista 230
———— veram totamque naturam humanam assumsit, 230. quod et necessarium erat, 231. debuit esse Deus et homo, *ib.* Assumsit naturam humanam in unitatem Personæ, 232. secundum naturam humanam potitus est summis quidem, sed non infinitis dotibus, neque proprietatibus naturæ Divinæ ... 234
———— duplicem statum subire necessariò debuit, 236. exinanitio ejus, quomodo concipienda ... 237
———— quando natus sit? 238. natus est ex Maria Virgine, ex cujus substantiâ ipsius corpus formatum est, 239. cur ex Virgine nasci voluerit, *ib.* conceptus est interventione Sp. S. qui tamen inde Christi Pater dici nequit 240
———— quare circumcisus sit, 241. accepit in circumcisione nomen Jesus, 242. baptizatus est à

Page.
Johanne Baptista et quare? *ib.* tentatus est à Diabolo, 243. ipsius miracula notata, *ib.* Orsus est ministerium suum circa annum ætatis suæ 30, 242. quamdiu ipsius ministerium duraverit? 244
Jesus Christus passus est non tantum in corpore, verum et in animâ 244. variæ ad Christi passiones observationes, 244. mortuus est ac mori debuit, et quidem supplicio crucis, 245. Ipsius verba, Deus mi, Deus mi, quare &c. explicata, 247. Sepultus est Christus, 248 non localiter ad inferos descendit, 249 quomodo tamen in symbolo, vulgo Apostolico dicto, ad inferos descendisse dicitur? 249
Jesu Christi Resurrectio, Ascensio in cœlum, et Sessio ad Patris dextram vid. suis locis.
Jesus Christus est verus Mediator, et quidem secundum naturam utramque, 227. *Vide* Mediator.
———— erit ultimo die Judex secundum utramque naturam, 341. Solus ille est caput Ecclesiæ non autem Petrus, 358. In S Cœnâ quomodo præsens sit, ac manducetur? *Vide* Eucharistia. Quare ille à Paulo nominetur altare 413
Ignorantiâ quomodo peccari potest. 157
Imago Dei, ad quam homo creatus est 124
Imagines Dei non sunt faciendæ, quod et saniores Ethnici intellexerunt 321
Immersio in Baptismo quid notet? ac quo jure et quam ob causam in ejus locum aspersio introducta sit ... 395
Immortalitas animæ probata, 125. uti et totius hominis in statu recto... 127
Immutabilitas Dei demonstrata, 85. Electionis adstructa 194
Impœnitentia notata 329
Impotentia hominis peccatoris ad bonum spirituale et morale fusius demonstrata, quæ tamen ipsum à peccato minime excusat 165
Imputatio peccati Adami probatur, ... 146
———— Justitiæ Christi.. 303
Incredulitas est fidei opposita 293
Induratio ac excæcatio hominis quomodo Diabolo, ac homini ipsi, imo etiam Deo adscribatur, 184. Exemplum hominis indurati suppeditat Pharao ... 185
Infantum sanctificatio quomodo concipienda ... 286
Infantes non possunt habere fidem... 291
——— Christianorum baptizandos esse probatur, 393. *Vide* Baptismus. Infantes absque Baptismo morientes non ideo tamen damnantur. 399

Pago.
Infantibus, quamvis baptizati sint, Eucharistia tamen administranda non est 405
Infernus quid? 344. quare tenebræ extimæ ... 335
Infidelitas est fidei opposita 293
Infinitas Dei 85
Injustus, de quo 2 Thess. ii. 8. non est Simon Magus 361
Inspiratio S. Scripturæ, animadversiones ad eam ... 23
Intercessio J. Christi necessaria est, et qualis ... 265
Interpretatio S. Scripturæ quæ requirat media ... 50
Invisibilitas Dei probata; atque cur et quomodo Deus visus esse multoties dicatur 62
Invocatio et adoratio Spiritus S. quare in S. Scriptura rarius memoretur, 100. *Vide* Preces.
Jobus notatus 224
Johannes Baptista, Christi fuit Prodromus, de quo plura notantur, 230. Ipsius Baptismus cum Baptismo Christi essentialiter idem est, quamvis ratione circumstantiarum quarundam discrimen sit, 396. An à Johanne baptizati iterum à Paulo baptizati sint, nec ne, perinde est 396
Johannes Apostolus notatus 14
Josaphati vallis non erit ultimi Judicii locus... ... 343
Ira Dei. 74
Judæorum Sectæ variæ, 226. Duos Judæi finxere Messias 236
Judex ultimo judicii die erit Christus secundum naturam utramque.. 341
——— supremus controversiarum ipse Deus est in Scripturis loquens, 43. visibilis Judex in terris non est necessarius, 44. Judex subalternus quis? et quo usque hominem obliget.. 44
Judices Israëlitarum quales? ... ... 11, et 224
Judicium supremum de controversiis Deo competit in S. Scripturâ loquenti, 43. subalternum Ecclesiæ 44. ac privatæ discretionis unicuique fideli 45
——— zeli apud Judæos quale?... 321
——— ultimum futurum fore probatur, 341. Judex tum erit J. C. secundum utramque naturam, 341. judicabantur præter angelos omnes homines, 342. super quibus judicandi sint homines, *ib.* Ratio et forma hujus judicii, *ib.* Locus istius judicii designatur per aërem et nubes, non autem erit vallis Josaphati. 343
Juramentum per nomen Dei licitum esse probatur, 321 et 332. conditiones juramenti, 332. Juramentum assertorium et promissorium, 332. Juramenta temeraria et levia ac per creaturas vetita sunt ... 322

Pagg.
Justificandi vocem in negotio gratiæ sensu forensi sumendam esse pluribus probatur, 298. quare ista voce Paulus in Epist. ad Hebr. non utatur, 299. qui quandoque voce generali lavandi et justificationem et sanctificationem designat ac quare? 299
Justificatio hominis innocentis explicata 300
———— hominis peccatoris descripta et per partes declarata, 301 Fundamentum ejus non sunt bona opera, 302. sed Justitia Christi imputata, 303. Quomodo justificatio dicatur esse per fidem, 305. Non est ea facta ab æterno, sed fit in tempore, 307. Una est seu æqualis sub veteri et novo Testamento, quamvis quoad gradus et sensum discrimen sit ... 308
Justificatio hominis justi, explicata, 312. Ubi simul Paulus et Jacobus in hoc justificationis negotio invicem conciliantur, *ib.* justificationis causæ, quæ?... 313
Justitia Dei quid notet? 75. Justitia vindicatrix Deo est naturalis, *ib.* neque obstat, quod punire vocetur opus Dei alienum. Jesai. xxviii. 21. Justitia ea vindicatrix exigit satisfactionem, 208. quamquam tamen non refragetur, si alius loco peccatorum *satisfaciat.* 209
——— Christi imputata est fundamentum justificationis 303
——— Originalis, quâ rectus homo ornatus fuit ... 126
——— propria inhærens hominum peccatorum non est fundamentum justificationis 303

Lapsus primorum Parentum incertum tempus, 137. ad lapsum impulit Diabolus, cujus seductio fusius describitur, *ib.* causa istius lapsus in solâ liberâ hominis voluntate quærenda est, 139. qui homo integer labi potuerit, 140. quomodo Deus concurrerit in hoc lapsu, aut quid præstiterit, *ib.* gravitas hujus lapsus notata 141
Lavare secundum Apostolum Paulum comprehendit justificationem et sanctificationem 299
Lectio S. Scripturæ est necessaria 46
Leviratus lex quomodo consideranda 378
Levitæ ordinarii erant veteris Testamenti Ministri 219 et 362
Lex à Dei Filio, angelorum catervis stipato, in Monte Sinai sive Horeb data, imo scripta est 214
—— ante Christi adventum data est, non ut homines à reatu aut à servitute peccati liberaret, 221. sed ut homines ad Christi adventum præpararet ... 221
—— per Mosem lata triplex est, moralis, cæremonialis,

Page
et forensis, inter quam triplicem legem maximum discrimen ostenditur 215
Lex Moralis quomodo Pædagogus ad Christum, 222. quousque hæc Lex sub N. T. abrogata et non abrogata sit 275
—— cæremonialis quare data, ac circa quas res occupata fuerit, 216. ducebat illa homines ad Christum, 222. sub novo Testamento plane abrogata est, 276. quæ abrogatio de jure facta est per Christi mortem, de facto autem successivè et per gradus, 276. ex quâ abrogatione non inferendum est, abolendos esse in Ecclesiâ externos ritus omnes 277
—— Politica seu forensis veteris Testamenti quare lata, 219, quo respectu abrogata et non abrogata 277
—— Oralis Judæorum notata 220
Libertas creaturarum, quæ spontaneitatis dicitur per Dei decreta immutabilia non tollitur, at vero libertas independentiæ omnino 103
—— à servitute peccati per hominis lapsum amissa est 165
Libertas Conscientiæ quæ? 311
—— Christiana quid non et quid omnino sit, 310. quomodo fidelibus veteris et novi Testamenti communis, *ib.* ac quomodo et quæ fidelibus novi peculiaris est *ib.* In libertate infirmorum ratio habenda est. 311
Liberum Arbitrium descriptum, 128. cui opponitur necessitas Physica et naturalis, tum coactionis, non autem necessitas dependentiæ, *ib.* non consistit illud in indifferentia, 129. hominis recti quale 129
———— respectu boni spiritualis et moralis homo peccator plane amisit, qui ad spirituale bonum prorsus impotens est. 165
Liber Jehovæ Is. xxxiv. 16. 52
—— vitæ triplex est, 195 Libri Dei quot et quales? 195
Libri veteris Testamenti quot sint, et quomodo à Judæis dispescantur; ii recensiti, eorumque argumenta et Scriptores indicantur, 10—14. Libri novi Testamenti quot numero? qui dividantur; Scriptores eorum, et tempus quo conscripti sunt indicantur, 14. Libri veteris et novi Testamenti quâ linguâ scripti ac quare? 16. ex eis ne unus periit, 51. quæ conservatio horum Librorum in hunc usque diem Divinitatis illorum testis est, 21. qualis etiam est horum librorum styli Majestas, 22. *Vide* porro ad voc. Auctoritas, Divinitas Inspiratio, Perspicuitas, Scriptura, &c.

Pags.
Loca Sacra sub veteri Testamento 218
Longanimitas Dei 77
Lucas Evangelista notatus 14
Lucifer filius aurorae non est epitethon Diaboli, sed Regis Babylonici 145
Lucta carnem inter et spiritum quomodo in irregenitis, ac quomodo in regenitis 326

MACCABÆI notati 226
Magistratus divinæ est institutionis, 374. Munia ejus quæ, 375. etiam circa sacra versatur Magistratus, non tamen absolutè, sed limitatè, *ib.* Nemo à subjectione Magistratus immunis est, ne quidem Clericis exceptis 376
Majestas et Gloria Dei 86
Mansuetudo Dei 77
Marcus Evangelista notatus 14
Maria Virgo fuit ex tribu Juda et semine Davidis orta, et J. C. mater, ex cujus substantiâ Christi corpus formatum est, 239 Cur ex Maria Virgine nasci voluit Christus, *ib.* non absque peccato ea nata est 153
Materia non est æterna, sed ab alio summo ente ex nihilo educta 2
Matrimonium Divinæ institutionis, 377. requisita Matrimonii notata, *ib.* Matrimonium inter fratres et sorores prohibitum, *ib.* Lex Leviratus, 378. Matrimonium est vinculum indissolubile, *ib.* Omnibus licitum, 379. Non est Sacramentum ... 379
Matthæus Apostolus notatus 14
Mediator, *vide* Sponsor. In Fœdere naturæ non habuit locum, 132. Mediator inter homines triplex est, ac triplici illo respectu Christus noster est Mediator, 256. Mediator debebat esse Deus et homo, 231. omnia Mediatoris requisita in Christo concurrunt, 257. qui quoque præstitit quod Mediator præstare debebat, *ib.* Christus secundum utramque naturam Mediator est, estque ille solus Mediator, 258. Nemo Mediator est intercessionis, qui non sit redemtionis, 258. Mediatoris Christi Munera. *Vide* Munera.
Melchisedecus notatus 224
Merita nostra bona opera non habent: quibus et Christi sanguis virtutem merendi dare nequit ... 319
Messiam venisse probatur, 228. J C. esse Messiam demonstratur, 229. Tempus Adventûs ipsius indicatur 229
Metus Dei 73

Page.
Ministri veteris Testamenti ordinarii fuerunt Levitæ et Sacerdotes; extraordinarii autem, Prophetæ ... 362
——— novi Testamenti extraordinarii fuerunt Apostoli, Prophetæ, ac Evangelistæ. Ordinarii autem sunt Pastores, 362. An quædam distinctio sit inter Pastores et Doctores, 363. horum institutio probatur, *ib.* De eorum Vocatione, Examine et Ordinatione, *vide suis locis.* Ipsis debentur stipendia, 368. Cœlibes eos esse neutiquam necesse est 369
Ministerium publicum orditus est Christus circa annum ætatis suæ 30, 242. quamdiu illud duraverit ... 244
Miracula J. C. notata, ac ad ea quædam animadversiones 243
Mori peccato; mortuum esse in peccato; et moriturum esse in peccato, sunt tres phrases distinguendæ ac quomodo? 167. Mortuus esse in peccatis dicitur homo peccator: quod ipsius impotentiam ad bonum spirituale arguit, 166. Pro mortuis non est orandum ... 331
Mors fœderis naturæ comminatio est, 131. Uniuscujusque hominis mors à Deo decreto æterno immobiliter constituta est, quod contra objectiones defenditur, 105. Mors fidelium non est pœna propriè dicta ... 305
—— spiritualis circumscripta, 166. Mors Christi necessaria 245
Moses non fuit seductor, 17. Moses est scriptor Pentateuchi, 10. Moses et Aäron sub veteri Testamento erant Judices subalterni et ministeriales, ac quomodo? 45
Motus rerum corporearum Deum docet 2
Mulier, unde creata, et quare? 123
Mundus non est ab æterno; sed à Deo sex dierum spatio creatus, 109. Mundi machina, ornatus et ordo demonstrant esse Deum, 1. Mundus ultimo die conflagrando renovabitur, non autem annihilabitur ... 340
Munus Christi Mediatorium est triplex, Propheticum, Sacerdotale, et Regium, 259. quæ tria munera necessaria sunt, *ib.* ac in uno Christo visa sunt, *ib.* qui ad illa unctus est 260
Mysteria Religionis, rationem superantia et in Libris veteris et novi Testamenti tradita, eorum Divinitatem demonstrant 19

Nativitatis Christi tempus investigatum, 238. Christi nativitas ex Maria Virgine 239
Nazaræi 219
Nomina Dei varia notata 57
Notæ veræ Ecclesiæ, tum veræ tum falsæ 256
Notitia ad fidem necessariò requiritur 288

Page.

OBLATIO Christi fuit ac perfectè verè satisfactoria, 263. Eucharistia quare à Patribus oblatio dicta ... 413
Odium Dei quid? 73
Oeconomia veteris et novi Testamenti ab invicem differunt, 272. Novi Testamenti œconomia supra veterem multa habet privilegia, 273. Oeconomia veteris Testamenti, vel quoad externam speciem pædagogiæ legalis, vel quoad promissiones Evangelicas considerari potest, 274. ratio diversæ œconomiæ, quæ? 274
Omnipotentia Dei 78
Omnipræsentia Dei probata et ab Ethnicis agnita, 79, quomodo concipienda ea, 80. Varii modi omnipræsentiæ Divinæ notati 81
Omniscientia Dei probata, 64. extendit se ad omnia, etiam ad possibilia et futura, 65. modus quo omnia cognoscat Deus, 66. Omniscientiæ Divinæ non refragatur dictum Dei Genes. xviii. 21. *Descendam* 66
Opera bona quæ? 317. Ethnicorum splendida facta non sunt bona opera, *ib.* Operum bonorum necessitas adstructa, 318. Neutiquam ea sunt meritoria, neque Christi sanguis iis virtutem apud Deum merendi dare potest 319
Opera Misericordiæ quare sola à Christo memorantur, Matth. xxv. cum respectu ad ultimum judicium ... 343
Ordinatio Pastorum quæ? 368

PACTUM Patrem inter et Filium paucis descriptum ... 269
Panis in Eucharistia qualis? à Christo benedictus est, et etiam fractus, quæ fractio neutiquam negligenda, 402. significat in S. Cœna panis Christi corpus, cum quo ejus analogia demonstratur, 404. Verba Christi de pane dicentis, *Hoc est corpus meum*, figurata sunt, 405. non transubstantiatur panis in Christi corpus 408
Paradisus 132
Paraphrasis Onkelosi in Pentateuchum 48
Paschatis vox quid notet, et quotuplici sensu in S. Scripturâ sumatur, 388. Pascha, veteris Testamenti. Sacramentum secundum, fusius explicatum ... 388
Passiones Christi notatæ... 244
Pastores vocantur novi Testamenti Ministri ordinarii, 363. An inter Pastores et Doctores Eph. iv. 11. distinctio sit, *ib.* *Vide* Ministri. A subjectione Magistratûs non sunt immunes Pastores 376
Pater quare prima S.S. Trinitatis Persona ita dicatur?

Page.
90. est ordine primus, *ib.* In opere salutis ut summus Judex consideratur 90
Patres veteris Testamenti salvati sunt æque ac nos .. 274
Patrum Testimonia et Decreta Conciliorum non sunt fidei morumque regulæ.. 42
Patentia Dei 77
Paulus Scriptor est Epistolæ ad Hebræos, 15. Paulus et Jacobus de justificatione invicem conciliantur 312
Peccatum variis nominibus exprimitur, 142. peccati natura, 141. peccati macula et reatus, 143. de peccati pœnis, *vide* Pœna
——— primum primorum Parentum, *vide* Lapsus. peccatum illud quales effectus in primis Parentibus produxerit, 144. Omnibus posteris imputatum, quod neque mirum videri debet 147
——— originale dari probatur, 150. ejus natura, 152. Omnibus hominibus inhæret, excepto solo Christo, non autem ejus matre, 153. Vocatur istud sæpissimè concupiscentia, estque veri nominis peccatum, 153. illud quomodo propagetur... 154
——— actuale in varias species distinctum, 155. sunt autem peccata inæqualia 158
——— in Spiritum S. explicatè investigatum et descriptum, 159. cur vocetur peccatum in Spiritum Sanctum, 163. Num in omnes homines cadere queat, *ib.* An etiamnum reperiantur homines, qui in hoc peccatum labantur, 163. quare irremissibile sit? ... 164
Pentateuchi scriptor est Moses 10
Perfectio S. Scripturæ probata, 33. nequaquam ministerium Ecclesiasticum aut Spiritus Sanctus operationem excludit 35
Perjurium vetitum est 322
Permittere peccata quomodo Deus dicatur... .. 180
Perseverantia fide probata 293
Personæ tres sunt in Divinâ Essentiâ distinctæ; non autem tres Dii, sed unus Deus sunt, 86
——— Sacræ sub veteri Testamento 218
Perspicuitas S. Scripturæ probata, ac qui intelligenda. 38
Petrus neutiquam fuit Caput Ecclesiæ 359
Pharao exemplum hominis indurati exhibet... .. 185
Pharisæi qui et quid docebant ac faciebant? ... 226
Phinehæ factum ipsi imputatum est ad justitiam, quamvis multa in eo videbantur improbanda 313
Poculum laudis et benedictionis, 400. In Eucharistia etiam poculum omnibus fidelibus dandum est. ... 410

Pagg.

Pœna peccati quæ et qualis, 143. infinita ea est, si non respectu graduum, saltem respectu durationis, 144. pœna peccati propriè dicta non est mors, neque afflictiones fidelium 305

Pœnæ infernales, quæ et quales, 344. erunt eæ inæquales quidem sed tamen æternæ. 344

——— quibus apud Judæos mulctabantur rei ... 220

Pœnitentia Dei 74 hominum. *vide* Resipiscentia.

Potentia Dei 78

Potestatis Dei, per quam jus habet ea omnia præstandi quæ facit, fundamenta notantur 79

Potestas quædam et auctoritas Ecclesiæ data est, 370. ea à potestate Politica distincta est, *ib.* quæ potestas penes Pastores est, non vero penes Magistratus, *ib.* In quibus versetur hæc Potestas, 370. *vide* Disciplina Ecclesiastica, et Excommunicatio.

Præceptum decimum cui usui inserviat 325

Prædictiones in S. Scriptura occurrentes ejus Divinitatis indicia sunt 21

Præsentia Jesus Christi in S. Cœna variis modis admittitur: corporalis autem negatur 407

Preces ad Deum solum fundendæ sunt, 330. earum necessitas, *ib.* pro mortuis non est precandum, 331. quæ res precibus à Deo petendæ, *ib.* Conditiones precum, *ib.* corporis gestus in precibus qui? ... 331

Prophetæ sub veteri Testamento quales? 218. extraordinarii erant veteris Testamenti Ministri, 362. quomodo dignoscebant Divinam esse Revelationem, et quomodo se probabant aliis à Deo missos ... 362

Prophetæ sub novo Testamento de quo Eph. iv. 11. qui? 363. Omnes fideles sunt Prophetæ .. 268

Prophetas et Apostolos omnia ad salutem necessaria non tantum prædicâsse verbis, sed et mandâsse scripto, probatur 34

Propheticum Christi munus fusius explicatum ... 216

Providentia Dei quod detur probatur et contra objectiones defenditur, 169. versatur ea circa minima, contingentia, libera, mala, 172. complectitur tum rerum Conservationem, tum Gubernationem, 174 &c Dei Providentia circa hominum actiones liberas, et actiones bonas qualis? 178. quomodo illa cum libertate nostra consentiat, ac cum rerum contingentiâ, 178. Modus Providentiæ pro diversitate Objectorum diversus est, 179. quomodo Dei Pro-

Page.
videntia versetur circa peccati initium, progressum et finem, 179 &c. Providentiæ Praxis. 189
Punire quare dicatur opus Dei alienum, Jes. xxviii. 21. 67

RATIO humana, quamvis multiplicem usum præstet, non est tamen fidei ac morum regula, 41. Ratio et fides non sunt sibi invicem opposita, 42. Quando ratio audienda non sit? 42
Reformatorum Vocatio qualis? 367
Regeneratio quare vocatio interna dicatur. ... 281
Reges sunt fideles 268
Regnum Christi quotuplex, 267. Quomodo regnum Œconomicum Christi prædictum et adumbratum, ac qui Christus regnum istud exerceat, *ib.* est spirituale, *ib.* Christi Regnum Mediatorium trifariam potest considerari, 268. est illud æternum, *ib.* Regni cœlorum claves quæ? 359
Remissio peccatorum variis phrasibus exprimitur, 302. Quare lavatio audiat, 299. non excludit ea afflictiones fidelium, quæ tamen propriè dictæ pœnæ non sunt, 305. non extendit se ad peccata futura, 308. quomodo beneficium hoc in Sacramentis confertur. 386
Reprobationis Decretum explicatum, 199. peccatum quem respectum ad Reprobationem habeat, 200. Decretum hoc nullam homini conquerendi ansam dat, *ib.* ejus ut et Electionis dexter usus. 201
Reprobatio malorum Angelorum. 205
Resipiscentia quo sensu in S. Scriptura sumatur, 327. ejus actus, *ib.* triplex distinguitur resipiscentia, 328. Cur Luc. xv. 7. dicatur, resipiscentem unum peccatorem majus gaudium creare in cœlo, quam, 99. justos, 328. Opposita resipiscentiæ sunt. 1. falsa pœnitentia, et 2. impœnitentia. 329
Resurrectio Christi multis probatur, 250. necessaria ea est ac utilis, 251. In resurrectione recepit Christus immortale quidem, sed tamen idem corpus, 252. Christi Resurrectio fundamentum est Resurrectionis fidelium. 336
———— respectu hominum quotuplici sensu sumatur, 336. resurrectionem corporale multimo die futuram esse probatur, *ib.* erit ea omnium hominum, 338. qui quisque idem suum quoad substantiam corpus reassument, quamvis qualitatibus diversissimum. 338
Revelatio supernaturalis facta est per verbum Dei. 7

Page.
Ritus externi omnes in Ecclesia novi Testamenti abolendi non sunt. 277
SABBATHUM quomodo à Pastoribus, ac quomodo à Populo sanctificatur, 322. Signum fuit fœderis Deum inter et Israëlitas, 323. cum aliis cæremoniis abolitum est, cui verò jure summo successit dies Dominicus. 233
Sacerdotale munus Christi descriptum et adumbratum, 263. Ratione hujus muneris Christus se ipsum obtulit, pro nobis intercedit, nobisque benedicit, 263. Christi Sacerdotium Leviticum longe superat, 265. Sacerdotii Christi fructus. 266
Sacerdos est J. Christus, 263. et quidem secundum ordinem Melchisedeci, 266 estque Sacerdos æternus. 266
Sacerdotes, sub V. T. eorumque Ministri, 219. erant ordinarii veteris Testamenti, Ministri. 362
——— sunt fideles novi Testamenti 268
Sacramentum quid apud Latinos, quidque apud Ecclesiasticos Scriptores notet, 380. Sacramentorum natura exposita, 381. Finis Sacramentorum, ac ratio cur ea Deus instituerit, 382. Convenientia et discrimen Verbum inter et Sacramenta, 383. Sacramentorum efficacia non ab intentione Ministri dependet, 384. non operantur gratiam, *ib.* sunt notæ professionis nostræ; sed simul etiam sigilla obsignantia, et signa exhibitiva, 385. quomodo 1. remissionem peccatorum, 2. sanctificationem, et 3. fidelium cum Christo unionem exhibeant. 386
Sacramenta veteris Testamenti ordinaria fuere Circumcisio et Pascha, 387. extraordinaria quæ? 389. Discrimen et convenientia inter Sacramenta veteris et novi Testamenti. 309
——— novi Testamenti duo tantum sunt Baptismus et Eucharistia, 390. in quibus rationem habuit Christus moris inter Judæos usitati: quod sigillatim demonstratur, 391. *Vide* Baptismus et Eucharistia
Sacrificia veteris Testamenti quæ et quotuplicia. ... 217
Sacrificium Christi fuit verè ac perfectè satisfactorium 263
——— propitiatorium Eucharistia non est, 412. quare tamen à Patribus sacrificium dictum sit? ... 413
Sadducæi. 226
Salutis æternæ fideles certi esse possunt, 295. ad quam fidelium certitudinem varia observanda sunt. ... 296
Sancti non sunt invocandi nec adorandi. 330
Sanctificatio quotuplici sensu in Sacris sumatur, 314. Modus quo Deus sanctificat fideles, 314. differt à

justificatione, cum qua tamen connexa est, 315. profluunt inde bona opera. *Vide* Opera et 316. Quomodo sanctificatio per Sacramenta confertur, 386. Infantum sanctificatio qui concipienda, 286, 398. est sanctificatio in hâc vitâ imperfecta, 326. ubi simul et rationes,ob quas Deus fideles non perfectè sanctificat. 326
Sanctitas præceptorum, quæ in S. Scripturâ mandantur, illius Divinitatis testis est. 20
——— Ecclesiæ quæ? 351. Dei Sanctitas. *Vide* Deus.
Sanctus quare tertia Trinitatis Persona dicatur? 101
Sanhedrin Judæorum. 220
Sapientia Dei quid? 67. Sapientia æterna apud Salomonem non est Virtus, sed ipse Filius Dei. ... 92
Satisfactio quid notet, 207. Satisfactionem Divinæ Justitiæ necessariam esse probatur et adversus objectiones defenditur, 207. non tamen necesse fuit ut peccatores ipsi satisfaciant, 209. de Sponsore. *Vide* Sponsor. Satisfactio hæc à persona Divina præstanda erat; et quomodo id fieri potuit, cum omnes Personæ ex æquo offensæ essent, 211. Satisfactio Divinæ justitiæ à Christo verè et perfectè præstita est. 263
Scandalum infirmis non est dandum. 311
Schisma quid et quotuplex? 351
Scientia Dei naturalis et simplicis intelligentiæ; tum libera et visionis, ... 67
Scriptores Librorum Sacrorum indicantur. ... 10
Scriptura S. quod Divina sit, credimus propter characteres Divinitatis qui in eâ elucent: Ecclesia verò Scripturam indicat et ad eam manuducit: sed Sp. S. notas Divinitatis intelligere et nosse facit 32. *Vide* Authoritas et Divinitas. Perfecta est ea, et perspicua 33, 38. tam veteris quam novi Testamenti scriptura fidei morumque regula est, 40. legenda ea est, inque alias linguas notas vertenda, 46. admittit tantum unum sensum, 50. *Vide* Interpretatio. Versio.
Sectæ Judæorum variæ. 226
Seniores in Ecclesia novi Testamenti qui? 369
Sensus S. Scripturæ est tantum unus, 50. quænam ad S. Script. sensum inveniendum sint necessaria, 50, à sensu literali non temere est recedendum 51
——— figuratus, quando locum obtineat necessario, 406. Is in verbis Christi *Hoc est corpus meum*, debet admitti, neque ea verba aliter sumi possunt ... 405
Sensuum testimonium *Vide* Testimonium.
Sepultura J. Christi 248

Pags.
Serpens qui Evam seduxit non fuit merus serpens, sed Diabolus sub vero serpente latens. ... 137
Servus peccati, homo peccator à natura est .. 166
Sessio J. C. ad Patris dextram 255
Severitas Dei, quid? et quando eam maxime exerceat Deus 77
Signa vocantur astra et quare? 115
—— et Sigilla. *Vide* Sacramentum.
Simplicitas Dei 83
Sinus Abrahæ, quare cœlum dicatur? 335
Spes et exspectatio Dei, quid? 73
Spiritualitas Dei probata, 60. cui non obstat, quod Deo humana membra tribuantur 61
Spiritus Sanctus, quare tertia Trinitatis Persona ita nominetur, 101. est Persona subsistens à Patre et Filio distincta, 97. est verus Deus, 98. quare adoratio et invocatio Spiritus Sancti rarius in S. Scripturâ memoretur, 100. procedit à Patre et Filio ... 100
Spiritus Sancti necessaria operatio, ejusque modus, ad Divinitatis notas in S. Script. occurrentes rite intelligendas, 31. Unumquemque fidelium illuminans non potest tamen dici privatus, 32. Ipsius operatio ad Vocationem internam necessaria est, 283. Ipsius operatio interna ab Enthusiasmo differt, *ib.* Modus operationis ipsius in vocatione internâ, 284. est ea ipsius operatio plane irresistibilis 285
Spiritus S. Pater J. Christi dici nequit 241
———— Peccatum in eum quale, et quare irremissibile 159
——— Servitutis sub veteri Testamento 223
Sponsor, qui peccatorum hominum loco satisfaceret Divinæ Justitiæ, admitti potest, 209. Requisita ejus recensita, quæque in J. C. inveniri ostenduntur, 210. cur statim post non missus, 213. Quibus oraculis promissus, *ib.* *Vide* Mediator.
Stylus S. Scripturæ, quomodo ejus Divinitatem ostendat? 22
Superbia, an primum Angelorum lapsorum peccatum? 135
Supernaturalis cognitio Dei et Revelatio. ... 6
Synagogæ vox plerumque in novo Testamento significat cœtum Judæorum 347

TARGUM Jonathanis in Prophetas 48
Templa alicui struere, honor Divinus est: ac quomodo fideles dicantur templa Spiritûs Sancti 99
Tempus cum mundo concreatum est 117

Page.
Tempora Sacra sub veteri Testamento 218
Tenebræ extimæ, quare Infernus dicatur 335
Tentatio J. Christi à Diabolo 243
Tentare homines quomodo Deus dicatur 187
Testimonium suum in mysteriis Divinis quando locum obtinet, et quando non; maximè autem in S. Eucharistiâ non est recusandum 408
Theologiæ definitio, 1. ea alia est naturalis, alia super naturalis, 4. Theologia naturalis est vel insita et innata vel acquisita, 4. Naturalis Theologia et revelata mutuam sibi præstant operam, quamvis differentes
Traditionis vox explicata, 36. Judæorum traditiones notatæ, *ib.* Non omnes traditiones, sed illæ Papistarum orales et dogmaticæ damnantur 37
Transubstantiatio refutata 408
Trinitatis vox non est rejicienda... 88
———— mysterium demonstratum, 86. Ethnicis illud plane ignotum est, quicquid contradicant aliqui, 89. Ad faciliorem hujus mysterii intelligentiam quædam observantur, 89. *Vide* Personæ.
Tristitia Dei 73
Typus quando statuendus? 51

VALLIS Josaphati non erit ultimi judicii locus ... 343
Verbum, per quod omnia creata sunt, est Filius Dei, de quo intelligendum est, quod Moses de Deo dicit: Deus dixit, Lux sit, et erat lux 116
———— Dei à principio non scriptum erat, at postea mandato Dei scriptum est, 8. *Vide* Scriptura S. &c. Continetur Verbum Dei in Libris veteris et novi Testamenti, 10. *Vide* Libri. Verbum istud est objectum fidei generale 288
Veritas Dei 76
Versiones S. Scripturæ variæ notatæ, quæ cujus sint auctoritatis et quousque valeant, disquiritur, 47. Versio LXX. viralis notata, quæ fontibus non est æquiparanda, 48. Versio Vulgata, 49. Tetrapla, Hexapla et Octapla,quomodo ab Origene concinnata 48
Vinum in Eucharistiâ quale sumendum, ac quale à Veteribus sumtum sit, 401. Vini benedictio in S. Cœna, 402. significat Christi sanguinem, cum quo analogia signi demonstratur, 404. non transubstantiatur in sanguinem Christi, 408. illud omnes fideles bibere debent 410
Virtutes Ethnicorum fuerunt splendida peccata ... 168

Page.

Vita Dei, 63. Vita æterna, qualis erit? 345
—— Fœderis naturæ promissio est 131
Unctio Prophetarum, Sacerdotum et Regum sub veteri Testamento, 260. J. Christi ad sua munera ... 260
Unio inter animam et corpus. *Vide* Conjunctio.
—— inter Christi Divinam humanamque naturam, 232. effecta istius unionis multiplicia notantur, 234. per illam humanæ Christi naturæ summæ quidem sed non infinitæ dotes adeoque nullæ proprietates Divinæ naturæ communicatæ sunt 234
—— fidelium cum Christo, quomodo in Sacramentis confertur 386
Unitas Dei probata, 55. Unitas Ecclesiæ, quæ? ... 351
Vocatio, quo sensu ea vox in S. Scriptura sumatur, 278. Quare gratiæ Divinæ opus ita dicatur, 278. est ea vel externa vel interna; quarum convenientia et differentia explicatur, 279. est et ordinaria vel extraordinaria 279
Vocatione externâ quamvis Deus non intendat reproborum salutem, tamen eos vocando maximè seriò agit 281
Vocatio interna, quare Regeneratio et Sanctificatio ac Conversio nominetur? quarum vocum distinctio notatur, 281. variæ ad vocationem internam observationes, 282. Ad eam requiritur immediata Sp. S. operatio, 283. modus operationis Sp. S. in vocatione internâ, 284. qui est plane irresistibilis 285
——— Ministrorum novi Testamenti quotuplex, 364. est ea ad ministerii munus exercendum necessaria, *ib.* quamquam in certo quodam casu absolutè necessaria non sit, 365. Vocationis jus originaliter et radicaliter ad Ecclesiam pertinet, *ib.* quid de Vocatione Reformatorum censendum 367
Voluntas Dei, 68. quomodo distinguatur, 69. nulla inter voluntatem decreti et præcepti est contrarietas 69
Votum, quid? ac conditiones ejus quales, 333. Vota temeraria et levia qualia? quæque interdicta? ... 322

Zelotypia Dei 74

Bradford in Com. Ebor. Typis T. Inkersley.

ERRATA.

Pag. 49, lin. 19, lege bis ἀρχή.
—— 58, — 15, dele punctum fiuale.
—— 60, — 1, lege vetustissimus.
—— 63, — 21, lege vita.
—— 71, — 19, lege effeotus.
—— 73, — 27, lege relicturum.
—— 78, — 2, lege lignatum.
—— 92, — 33, lege nôsti.
—— 119, — 19, pro id lege de.
—— 132, — 38, lege promissa.
—— 148, — 5, lege præpositio.
—— 151, — 42, pro quam lege quem.

Pag. 155, lin. 1, et Pag. 241, lin. 16. pro alleg. lege allig.
—— 173, — 42, lege minimæ.
—— 187, — 14, lege suscipiendum.
—— 196, lineæ 23 et 24 transponuntur.
—— 201, lin. 14, dele punctum in medio.
—— 207, — 9, lege satisfacerent.
—— 230, — 15, lege desertis.
—— 299, — 15, lege pœnam.
—— 385, — 43, et Pag. 386, lin. 4, pro Spiritus lege Sanctus.

Errata minora quamvis præterita et non recognita condonentur.